JURIS
PUBLICI ROMANI
ARCANA

SUB REGIBUS ATQUE IN EJUS CONVERSIONIBUS
SUB AUGUSTO HADRIANO CONSTANTINO
JUSTINIANO DETECTA

SIVE

DE CAUSSIS ROMANI JURIS

AUCTORE

JOSEPHO TOSCANO

MANDATORITIO

JURISCONSULTO NEAPOLITANO.

TOMUS I.



NEAPOLI MDCCLXVII.
EX TYPOGRAPHIA SIMONIANA.
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX CAPITUM.

De Cauſſis Romani Juris.

LIBER PRIMUS.

CAP.I. §.I. *De neceſſitate ſcientiæ juris naturalis ad jus civile*. pag.23.
§.II. *De neceſſitate ſcientiæ juris naturalis, in definiendis contractuum obligationibus*. pag.31.
§.III. *De lege Rhodia*. pag.36.
CAP.II. §.I. *De civili Romanorum Imperio*. pag.41.
§.II. *De forma Romanæ Reipublicæ a Romulo inſtituta, ejuſque jure*. pag.46.
§.III. *De legibus publicis a Romulo inſtitutis*. pag.51.
§.IV. *De jure privato a Romulo inſtituto*. pag.54.
§.V. *De Numa Pompilio*. pag.59.
§.VI. *De Servio Tullio, ejuſque civili regimine*. pag.65.
§.VII. *De Republica Athenienſi ſub Solone*. pag.71.
§.VIII. *De Republica Lacedæmoniorum ſub Lycurgo*. pag.76.
CAP.III. *De aliis ſubſidiis ad acquirendam juriſprudentiam neceſſariis*. pag.80.
§.I. *De veteri Juriſconſultorum latinitate*. ibid.
§.II. *De Philoſophia Stoica*. pag.89.
§.III. *De Geographia*. pag.102.
CAP.IV. *De antiquo uſu Fori Romani in cauſis decidendis*. pag.109.
§.I. *De antiquis Romanis Magiſtratibus*. pag.110.
§.II. *De fictionibus, formuliſque antiqui Fori Romani*. pag. 118.
§.III. *De jure recepto in foro Romano ex Prudentum diſputationibus*. pag.122.
CAP.ULT. *De iis, quibus opus eſt ad Principum Conſtitutiones intelligendas*. pag.126.

Digitized by Google

§.I. *De Chronologia legum*. pag.129.
§.II. *De notitia Magistratuum Romanorum*. pag.134.
§.III. *De Religione Principis, ejusque indole*. pag.137.
§.IV. *De necessitate Historiæ Ecclesiasticæ*. pag.142.
§. ULT. *De cognitione veteris Romanorum Religionis ad juris civilis intelligentiam*. pag.147.

De Romana Jurisprudentia sub Cæsare Octaviano Augusto.

LIBER II. pag.161.

CAP.I. *De Romanæ Monarchiæ primordiis*. pag.171.
§.I. *De Rerumpublicarum conversionibus*. ibid.
§.II. *De Mario, & Sylla*. pag.177.
§.III. *De Cornelio Sylla*. pag.182.
§.IV. *De legibus Marii, & Syllæ*.
CAP.II. *De progressu Romanæ Monarchiæ*. pag.195.
§.I. *De Pompejo, Crasso, & Cæsare*. ivi.
§.II. *De legibus Pompeji*. pag.206.
CAP.III. ET ULT. *De Monarchia Romana*. pag.211.
§.UNICUS. *De Octaviano Augusto, Antonio, & Lepido*. ibid.
CAP.I. *De Romana Republica sub Imperio Octaviani Augusti*. pag.218.
§.I. *De rationibus, & de forma regiminis instituta ab Augusto*. ibid.
§.II. *De Romano Senatu*. pag.224.
§.III. *De Tribunatu plebis, Pontificatu Maximo, ac Proconsulatu*. pag.226.
CAP.II. *De Constitutionibus Cæsaris Octaviani Aug.* pag.241.
§.UNICUS. *De Constitutionibus ad Urbis ornatum, & Conservationem*. pag.243.
CAP.III. *Ad legem Juliam, & Papiam, de maritandis Ordinibus*. pag.255.
§.I. *De legis hujus occasione, atque historia*. ibid.
§.II. *De maritandis Ordinibus*. pag.259.
§.ULT. *De sexagenariis, quinquagenariis, ac de sponsalibus*. pag.265.

CAP.

Digitized by Google

CAP.VI. *De amotis per Augustum impedimentis contra nuptias.* pag.273.
§.I. *De legatis, & de libertate data sub conditione Cœlibatus.* pag.274.
§.II. *De jure affinitatis.* pag. 278.
§.III. *De absentia Reipub. causſa, & indulgentia Senatus propter nuptias.* pag.281.
§.III. *De prohibito divortio Libertæ, de divortii modo, & pœna, deque parentibus cogendis, ut liberos elocent.* pag. 283.
CAP.VII. *De privilegiis maritorum, & parentum in gerendis, petendisque honoribus, & in hæreditate acquirenda; deque Cœlibatus pœnis.* pag.289.
§.I. *De ornamentis Consularibus.* ibid.
§.II. *De immunitate ob liberorum numerum, deque jure Quiritium ob eosdem consequendo.* pag.291.
§.III. *De libertorum operis, mulierumque tutela, quibus ob numerum liberorum solvebantur.* pag.296.
§.IV. *De decimis, & de solidi capacitate.* pag.300.
§.V.& ULT. *De pœnis Cœlibatus, & orbitatis.* pag.307.
CAP.VIII. *De legibus, quibus Monarchia inolevit.* pag.309.
§.I. *De ærario Principis.* ibid.
§.II. *De vigesima hæreditatum.* pag.318.
§.III. *De abrogatæ vicesimæ reliquiis in jure Justinianeo.* pag.326.
CAP.IX. *Ad legem Papiam de caducis.* pag.331.
§.I. *De actione hæreditatis, & quando dies legatorum cedat.* ibid.
§.II. *De bis, quæ pro non scriptis habentur, qnæque sunt in causa caduci.* pag.340.
§.III. *De caducis, ereptitiis, & vacantibus bonis.* pag.345.
§.IV. & ULT. *De jure accrescendi, transmittendi, & de tacitis fideicommissis.* pag. 353.
CAP.X. *Ad legem Juliam Majestatis.* pag. 359.
§.I. *Quibus, & adversus quos, & ob quas res judicium Majestatis competat.* pag. 364.
§.II. *De pœna legis Juliæ.* pag. 376.

§.III.

Digitized by Google

§.III. *De pœna legis Juliæ Majestatis, ex Arcadii Constitutione.* pag.386.
§.IV. *Ad legem Juliam de vi publica.* pag.390.
§.V. *Ad legem Juliam de adulteriis, quidque sit adulterium, & a quibus committatur.* pag.397.
§.V.ET ULT. *De adulterii pœna, & quinam de eo accusare possint.* pag.403.
CAP.XI. *De regiminis Provinciarum forma ab Augusto instituta, legibusque pro eisdem latis.* pag.409.
§.I. *De antiquo jure Provinciarum.* pag.410.
§.II. *De jurisdictione, & imperio Præsidum, Quæstorumque in Provinciis.* pag.413.
§.III. *De regimine Provinciarum imperante Octaviano Augusto instituto.* pag.420.
§.IV. *Ad legem Juliam repetundarum.* pag.428.
§.IV.ET ULT. *De mandatis Principum Præsidibus Provinciarum datis.* pag.339.
CAPXII. *De Magistratibus ab Augusto institutis.* pag.443.
§.I. *De Magistratibus, qui Monarchiæ congruunt.* ivi.
§.II. *De Præfecto annonæ, Præfecto vigilum, Comite riparum, & alvei Tiberis, Consulari aquarum, deque Curatore operum publicorum ab Augusto institutis.* pag.449.
§.III. *De Præfecto Urbis, & Præfecto Prætorio.* pag.457.
§.IV. *De Præfectis ærario, Subcensore, & Quæstore.* pag.467.
CAP.XII. *De Magistratibus Provincialibus ab Augusto institutis.* pag.474.
§.I. *De Præfecto Augustali, deque Juridico Alexandrino.* pag.475.
§.II. *De Procuratore Cæsaris, deque ejusdem rationalibus.* pag.479.
§.III.ET ULT. *Ad legem Juliam de ambitu, ac peculatu.* pag.486.
CAP.XII. *De consilio, sive consistorio Augusti, deque novo Fori Romani usu sub eodem.* pag.492.
§.I. *De origine consistorii Principis.* pag.494.
§.III. *De auctoritate Prudentum, deque Principis Consiliariis.* pag.496.

§.IV.

Digitized by Google

§.IV. *De Sacris Cognitionibus*. pag.505.
§.V. *De Conſtitutionibus, Reſcriptis, deque beneficiis, atque diſpenſationibus Principum*. pag.511.
§.IV.ET ULT. *De Legibus Juliis Judiciorum*. pag.515.

ERRATA.

Pag.1. lin.12. derivantur, *Sic lege*: deriventur. Ibid.l.16. non juvari, *leg.* juvari. Pag.2. l. 31. eorum arma... ut, *leg.* ſua arma... ut illa. Pag.3. lin.1. Barbarorum, *leg.* Barbari. Pag.4.l.2. ſpeciem, *leg.* ſpecimen. Pag.6.l.11. reviviſci, *leg.* reviviſcere. Ibid. lin. 30. vindicibus reſtauratoribus, *leg.* vindicibus ac reſtauratoribus. Ibid. l.18. hoc tempore tempus, *leg.* hac ætate tempus. Ibid. l.20. eos, qua maxime, *leg.* eos quam maxime. Pag.8.lin.8. me vocare, *leg.* me vocet. Ibid.lin.10. hortor, *leg.* e re cenſeo. Ibid.lin.27. hauſtam tam, *leg.* hauſtam. Ibid. lin.31. abſolutas, *leg.* abſolutiores. Pag.10. lin. 9. ei, *leg.* eis. Ibid. lin.10. ſtatim ac, *leg.* ſtatim. Pag.11.lin.34. Hæc autem publica poteſtas, *leg.* Ei autem hæc publica &c. Pag.12.lin.1. communem, *leg.* commune. Ibid.lin. 13. pugnent, *leg.* pugnant. Ibid.lin.15. depromet, *leg.* depromat. Pag.19.lin.35. ſepiat, *leg.* ſapiat. Ibid. compartum, *leg.* compertum. Pag.20. lin.11. fuerint, *leg.* fuerit. Pag.21. lin.3. eo, *leg.* adeo. Ibid. lin. 32. norma, *leg.* normam. Pag.26. lin.9. ſalubris, *leg.* ſalubri. Pag.28. lin.33. præſeferant, *leg.* præſeferat. Ibid.lin. 34. id plectendum, *leg.* ea plectenda. Pag. 36. lin.25. quam fulgentiſſima, *leg.* quam fulgens. Ibid. lin.29. uſurpatum, *leg.* uſurpata. Ibid. lin. 33. cuiquam, *leg.* quemquam. Ibid. lin.35. ne cui, *leg.* ne quam. Pag. 44. lin.27. Reſpublica adeo fuit perturbata, *leg.* Rempublicam adeo perturbavit. Iibid.lin.35. pretendebatur, *leg.* prætendebatur. Pag.45. lin.1. Graccorum, *leg.* Gracchorum. Ibid.lin.3. quæ ad ſedanda, *leg.* quas ad ſedandas. Ibid.lin.5.cupidiras, *leg.* cupiditas. Pag.48.lin.29. reſpondit, *leg.* reſpondet. Ibid.lin.34.eis, *leg.* ſibi. Pag.49.lin.19. adeo, *leg.* ita. Pag.50. lin.10. ipſe, *leg.* ipſo. Pag.54. lin.8. compoſitum, *leg.* compoſitus. Ibid.lin. officio, *leg.* officium. Pag.57.lin. 7. eum, *leg.* ipſum. Pag.60.lin.27. gerebant, *leg.* gererent. Pag.61. lin.25. jure eam, *leg.* jura. Pag.63. lin. 13. ſit, *leg.* eſſet. Pag.64. lin 8. conſultiſſimum, *leg.* conſultum. Ibid.lin.36. vereretur, *leg.* verererentur. Pag.68.lin.25. pernoſſet, *leg.* pernoſceret. Pag.70.lin.22. unde, *leg.* undique. Pag.72.lin.11. finit, *leg.* ſinit. Pag.76.lin.28. ni, *leg.* ſi non. Pag.77.lin.27. permittere, *leg.* permittens. Pag.78.lin.8. proficiſcatur, *leg.* proficiſceretur. Pag.82.lin.17. quoad, *leg.* quod. Pag.88.l.32. legamus, *leg.* legimus. Pag.90.lin.31. hæc, *leg.* hac. Pag. 91.lin.19. Stoicæ, *leg.* Stoica. Pag.92.lin.9. creba, *leg.* crebra. Pag. 94. lin.13. reſpondit, *leg.* reſpondet. Pag.96. lin. 21. minus, *leg.* minores. Pag.97. lin.8. adhiberemus, *leg.* adhibeamus. Ibid. lin.22. non debentur, *leg.* non debetur. Pag.100.lin.27. Theodoſi, *leg.* Theodoſiano. Pag.101. lin. 32. Papinianas, *leg.* Sabinianas. Ibid.lin. Proculeanas, *leg.* Proculianas. Pag.102. lin.22. ad hoc, *leg.* ad hanc. Pag.104.lin.5. proficiſcantur, *leg.* proficiſcatur. Ibid.lin.26. uberius, *leg.* uberiores. Pag.106.lin.25. fregiſſe, *leg.* fractam eſſe. Ibid.lin.30. Urbem, *leg.* ad Urbem. Pag.107.lin 30. Pancirol, *leg.* apud Pancirol. Pag.110. lin. 27. in res ſacras, publicas & privatas, *leg.* in rebus ſacris publicis, & privatis. Ibid.lin.40. coerebat, *leg.* cohærebat. Pag.111.lin.24. nec ne, *leg.* vel contra. Pag.122.lin.2. hæc conſuetudo, *leg.* hanc conſuetudinem. Pag.116.lin. 4. juſtitia, *leg.* imperitia. Pag.118.lin.6. ignoraverat, *leg.* ignorabat. Pag.120.

lin.

Digitized by Google

lin.10. non eſſet, *leg.* non ſit. Pag.121.lin.2. prætergreſſus ſit, *leg.* prætergreſſus eſſet. Pag.122.lin.27. quod anne ita ſe habeat res, *leg.* quod an ita ſe habeat. Pag.124.lin.21. rem ita abſolvit, *leg.* rem abſolvit. Pag.125.lin.5. conveniſſet, *leg.* eſſet conventa. Pag.126 lin.29. negligant & abhorreant, *leg.* negligunt & abhorrent. Pag.127.lin.20. atque hoc, *leg.* atque hæ. Ibid. lin.31. hujuſmodi reſcripta vim legis generalis habere, *leg.* ut hujuſmodi reſcripta vim legis univerſalis haberent. Pag.129.lin.2. agendum, *leg.* videndum. Ibid. lin.12: ipſius, *leg.* ipſis. Ibid.lin.25. Anciræ, *leg.* Ancyræ. Pag.131.lin.11.dejecti, *leg.* dejectæ. Ibid.lin.20. quum Magiſtraribus, *leg.* cum Magiſtratibus. Ibid.lin.21. ut & iis, *leg.* ut & ii. Ibid.lin.25. idemque ſit, *leg.* idemque eſſet. Ibid.lin.29. inaceſſa, *leg.* inacceſſa. Pag.132.lin.24. derogatam, *leg.* abrogatam. Pag.133.lin.19. poſſet; *leg.* poſſit. Pag.135.lin.21. per ſe, *leg.* per eum. Pag.136.lin.17.hæc, *leg.* hæ. Ibid.lin.21. poſſint, *leg.* poſſent. Pag.137.lin.30. confixit, *leg.* confinxit. Pag.139.lin.11. efferrebant, *leg.* efferebant. Pag. 140. lin.4. pro ſuo, *leg.* pro ejus. Ibid.lin.16. qui ſibi, *leg.* qui ei. Pag. 141. lin.8. heæ, *leg.* eæ. Pag.144.lin.22. denuo & illud, *leg.* denuo. Pag.145.l.20.in Codice, *leg.* in Codicem. Pag.151.lin.21. peragendo, *leg.* peragendis. Pag.252. lin.22. tantum, *leg.* tantam. Ibid.lin.35. Faſtus, *leg.* Feſtus. Pag.170. lin. 21. cauſſas, *leg.* cauſſæ. Pag.179.lin.35. forte, *leg.* ſorte. Pag.195.lin.4. imaginem, *leg.* imagine. Pag. 196. lin. 24. adniſſus, *leg.* adniſus. Pag. 230. lin.32. appellarent, *leg.* appellarent. Pag.273.lin.1. *dele* quæ. Pag.280.iin.14. victricum, *leg.* vitricum. Pag. 283. lin.17. Senatus, *leg.* Senátum. Pag. 286. lin.13. eandem, *leg.* eadem. Pag.300. lin.12. ordines, *leg.* ordinum. Pag.336. lin. 31. ad filium reponendum, *leg.* ad fiſcum repellendum. Pag.395.lin.35. ne, *leg.* nec. Pag. 72.§.4. lib.1. qua ſane reſponſione ex Stoicorum doctrina, *leg.* ex doctrina, quæ poſtea fuit Stoicorum.

Digitized by Google

Adm. Rev. U. J. D. D. Carolus Gagliardi in hac Regia Studiorum, Universitate Professor, revideat & in scriptis referat. Datum Neapoli die 10. Septembris 1765.

NICOLAUS DE ROSA EPISC.PUTEOL.CAP.MAJ.

S. R. M.

OPus inscriptum *de causis Romani Juris*, ut M. V. jussa facerem, attente jam legi, in quo undique splendet elegantia sermonis, rerum ubertas & ordo, & multigena eruditio. Cumque in eo nil offenderim regiis juribus, nostrisque moribus, ac legibus adversum, typis illud mandari posse censeo. Neapoli die 26. Novembris 1766.

M. V.

Humillimus Subditus
Carolus Gagliardus.

Die 9. Mensis Januarii 1767. Neapoli.

Viso Rescripto Suæ Regalis Majestatis sub die 27. Mensis Decembris proximi elapsi anni, ac relatione Rev. U.J.D.D. Caroli Gagliardo de Commissione Rev. Regii Cappellani Majoris ordine præfatæ Realis Majestatis

Regalis Camera Sanctæ Claræ providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inserta forma præsentis supplicis libelli, ac approbationis dicti Rev. Revisoris; verum in publicatione servetur Regia Pragmatica, Hoc suum.

GAETA. PERRELLI.

Ill. Marchio Citus Præses S. R. C. tempore subscriptionis impeditus, & cæteri Ill. Aularum Præfecti non interfuerunt.

Reg. f. 127.
Carulli.

Athanasius.

Adm.

Digitized by Google

Adm. Rev. Dominus D. Jacobus Martorellius Regius Linguæ Græcæ Profeſſor revideat, & in ſcriptis referat. Datum die 9. Novembris 1763.

PH. EPISC. ALLIPHANUS VIC. GEN.
JOSEPH SPARANUS CAN. DEP.

PRINCEPS EMINENTISSIME.

IN juris Romani ſapientia inſpicienda, quicunque aliquid videt, quod aliorum latuit ſollertiam, næ is omnium bonorum merebitur ſuffragia. Joſephus Tuſcanus Mandatoritius Urbis Roſſani Patritius, ac Neapolitanus Jureconſultus, cujus tum mores ad ſummam honeſtatem compoſitos, tum legum penitiorum ſcientiam ſemper ſuſpexi, quo prægrande ingenii, ac ſtudiorum præ ſe ſpecimen ferret, primo hoc volumine, *de Cauſis Romani juris* inſcripto (negotium ſane ardui, ac digniſſimi argumenti) ſpondet futurum, ut præſtet legum γενικὴν θεωρίαν, atque hiſtoriam, tradatque ſapientiæ veteris abſolutam numeris omnibus diſciplinam, cauſis, quæ etiam hodiedum inter gentes incidunt, decidendis aptiſſimam, atque ingreſſus totius antiquitatis iter, contemplatuſque non unum Rei Romanæ ſtatum, ipſa præterea principia rimatus, inde diligentiſſime derivet legum momenta, ac rationes, interdum etiam ignota antehac interpretamenta interſerat. Quantum in his excelluerit præclariſſimus auctor, cernet qui in rem præſentem venerit, parumque dubii eſt, quin certus abierit ipſum omne tuliſſe punctum. Cum autem opus legum ſtudioſis maxime profuturum ſit, rogandus es, Princeps Eminentiſſime, ut promptam facias illud typis edendi poteſtatem. Neapoli Idibus Sept. 1766.

Dignitatis ſuæ Eminentiſſimæ

Cultor Obſervantiſſimus
Jacobus Martorellius.

Attenta relatione Domini Reviſoris, imprimatur. Datum Neapoli die 29. menſis Martii 1767.

PH. EPISC. ALLIPHANUS VIC. GEN.
JOSEPH SPARANUS CAN. DEP.

IN-

Digitized by Google

VIRO AMPLISSIMO

MARCHIONI

STEPHANO PATRICIO

A SANCTIORIBUS REGALIS CAMERÆ S. CLARÆ

ET TRANSFRETANÆ SICILIÆ

FERDINANDO IV. CONSILIIS.



Onſuetudo jam uſque a vetuſtis ducta temporibus fuit Opera omnia, ſive apta elaborata manu, ſive docto ingenio profecta, Viris eximiis devovendi, ut ii & auctoritate, qua pollent, ea probarent, & patrocinio adverſus invidia laudis alienæ auſa tuerentur. Egregie quidem & præclare factum! Verum genus hoc dedicationes, ſi finem quem intendunt aſſequi velint,

Digitized by Google

uti temporibus reſpondere debent, ſic eorum propriæ eſſe, quibus Opus ſiſtitur. Philoſophus olim quidam Antiocho, qui inter arma furebat, perelegantem de Juſtitia libellum obtulit: *At quid mea*, inquit is, *Themidis commentariolum, dum ſtrident ex catapultis molares, & ariete mœnia ſubruo?* & Pompejus ei, qui meminerat Leges, dum ſago indutus manum ſcuto inferuerat, reſpondit: *Armatus ut Leges cogitem?* Fruſtra igitur id illis erit, qui in Operibus nuncupandis importune ſe gerunt.

Sed ſi ſæpe alias, in iis maxime, quæ ingenio perficiuntur, alia aliorum ſunt ſtudia. Quidam in hoc toti ſunt, ut per doctas Lucubrationes ſuas in lucem ipſi prodeant, atque ad honores attollantur: alii locupletiſſimos quoſque avide quæritant, a quibus per Opellas ſibi dicatas opes divitiaſque exſpectent. Jam vero, his ita ſe habentibus, ecquæ æqua Operis comparatio erit cum eo cui nuncupatur? bene conſilio auctoris conſultum erit, nequaquam vero Libelli dignitati.

Sunt vero alii, pauci quamvis numero, quibus Deus hanc mentem dedit, ut per improbum laborem, ſalutiſque, ſi Superis placet, diſpendium, illis inſudent, quæ hominum vitæ vel morali, vel civili proficiant; neque aliam ob cauſam ingenioſos fetus in publicam lucem emittant, quam ut mortalium generi proſint. Hi profecto Mæcenatem, cui ſe dedunt, cum delectu dignitatis inquirunt: eum enim ſibi optant, qui gnarus rerum quæ aguntur, atque æque ſapienterque de laboribus ſuis dijudicaturus, aut lucem ad meliora, quæ forte effugerint, impertiat, aut

ea

Digitized by Google

ea quæ chartis illeverint, ſi probaverit, a dente Theonino vindicet, novaque ad ſcribenda ſollicitet. Horum hercle pobandæ ſunt dedicationes, quippe quæ ex ſtudiorum convenientia proficiſcuntur, & non fucata benevolentia; quodque de Patrono ſuo prædicatur, nihil ſane eſt, quod aſſentatorum technas oleat, quum omnia ex ſincero pectore prodeant, ejuſque dignitati congruant.

Sed ad Operis mei occaſionem, atque ejuſdem dedicationis conſilium devenio. Adoleſcens ego ex Calabriæ finibus in hanc Urbem Regni principem, ſcientiiſque florentiſſimam profectus, Præceptoribus lectiſſimis Juris & Civilis, & Canonici operam auditor dedi. Vix autem a legum theoreſi diſceſſeram, quum ad earum uſum, rebus domeſticis ad forum vocantibus, deſcendi, nequaquam tamen penitiori Juriſprudentiæ Juſtinianeæ interpretationi nuncio remiſſo. Inter haſce forenſes exercitationes vidi quidem, ſæpenumero in definiendis controverſiis ad leges provocari, quæ nimirum ad alias Reipublicæ formas, atque inter alios populorum mores latæ, vix aut ne vix quidem cauſſarum noſtræ gentis noſtrorumque temporum deciſionibus aptari appoſite poterant. Quapropter diu mente rem perpendens, ſtatui tandem, præclare actum iri, ſi præter propriam verborum notionem, quibus Icti Romani ad conſulentibus reſpondendum uſi ſunt, hiſtoriæ luce, temporum varietate, diverſarum Reipublicæ formarum, ad quas conditæ leges ſunt, intelligentia, ſectarum Ictorum ſibi adverſantium cognitione, interior legum mens introſpiceretur, eas ad pura puta principia,

Digitized by Google

veraſque ad cauſſas rationeſque revocando. Sed hoc opus, hic labor. Perfectam vocabulorum ſignificationem ex caſca priſcorum Juriſprudentia, philoſophiam Ictorum diſparem, multiplicem Romani Imperii formam, religionem, moreſque populi varios, cum quibus leges aliæ alio tempore congruebant, quæ ſane omnia ex nitidis fontibus, hoc eſt, æqualibus ſcriptoribus haurienda ſunt, quis vel ſollertiſſimæ mentis homo non deſperet?

Verumtamen, curta licet ingenio meo, quod non diffiteor, ſupellex ſit, factus audax hanc arcem expugnare adnixus ſum. Interdiu ac noctu duros exantlavi labores, ut hac via, quam monſtravi, quamvis ſalebris aſpera, in Civile Canonicumque Jus penetrarem. Affecta me valetudo non revocavit, nec pulveris forenſis ſollicitudines interceperunt. At vero quorſum pertinax hic labor? Quæ mei mens animi fuerit, teſtari ii poterunt, quibus mecum conſuetudo fuit, vitamque meam civilem norunt. Hi quidem profitebuntur, id mihi conſilii fuiſſe, ut juſtum in legibus pernoſſem, doctuſque fierem in ſcientia tam præclara glorioſaque, utque publicæ utilitati, quæ ſemper cordi fuit, conſulerem.

Sed manu ad tabulam accedente, fateor me primum deterritum vehementer: unde inciperem, qui curſus eſſet, quive exitus futurus, diu hæſi. Ut enim ante oculos legum corpus a Triboniano quaqua collectum, atque in Pandectis compilatum ſtatui, in illis adverti immenſam ſimulque indigeſtam Reſponſorum molem, quæ veteres Juriſperiti, alii in alia Reipublicæ forma, ac diverſas philoſopho-

rum

Digitized by Google

rum ſectas ſequentes, a ſe invicem diſſidentia dederant. Adverti haud integra ea relata, ſed fruſta tantum eorum eſſe ac fragmenta, nec ſedibus in ſuis collocata. Mecum ipſe reputabam, deſperandum prorſus omnem conatum. Qui fiat, ut leges has ſic vage disjectas ad locos ſuos adducerem, ſuaque ad principia referrem, earum lacunas explerem, Reipublicæ formas omnes, in quibus Jcti quotquot ſunt vixerint, varia Principum ingenia, ſub quibus ſcripſerint, dignoſcerem, ſua cujuſque philoſophiæ dogmata calleam?

Nec minor mihi perlegenti Codicem, ubi proſtant ſacratiſſimæ Imperatorum, & Paganorum & Chriſtianorum, Conſtitutiones, difficultas parata eſt. Hæ maximam partem Reſcripta ſunt ad Magiſtratus Principum oracula in dubiis controverſiis conſulentes, Reſcripta nimirum ſine libellis, a quibus lumen accipiant. Sæpe deſiderantur Conſules, unde facilis eſſet ad rerum Imperii, morumque populi hiſtoriam acceſſus. Plerumque mutilæ ſunt ac decurtatæ, & non raro infida manu interpolatæ aliamque in faciem verſæ. Num igitur interiores Divalium Conſtitutionum rationes cauſſaſque inter has tenebras perſpectas habebimus, nulla face prælucente, quæ in tanta rerum obſcuritate eo quo properandum ducat? Num ſic dilaniata ac fucata Placita ad ingenium Imperantium ac regimen referri recte poterunt?

His de cauſsis conſternatus ſtilum e manu dejeci, tabulaſque quas paraveram, diffiſus ingenio meo, diffregi, quum, immane quantum me nitente, ſaxum voluturum pro certo haberem. Sed haud diu

poſt

Digitized by Google

poſt, intimo neſcio quo ſenſu in priſtinum conſilium, a quo faſtidioſus me abalienaveram, revocante, ad rem veluti tentabundus reverti; viamque illam, quam mente conceperam, tenens, nonnulla ante omnia in quædam Juris Publici Romanorum capita commentariola inchoare conatus ſum. Quumque hæc in academico eruditorum cœtu apud Illuſtrem Marchionem Joſephum Antonium Caſtagnolam, Regalis Cameræ Quinquevirum; cujus nomen clariſsimum ſemper poſteris erit, recitare auſus fuerim, fata longe alia, quam quæ mihi ominabar, expertus ſum; a cuncto enim conſeſſu maximo plauſu fuerunt comprobata. Quod quidem extulit me dejectum, fractoſque ita reſtituit ſpiritus, ut Opus tandem perpetuum, quod mihi ante propoſueram, a carcere ad calcem confidenter decurrerem.

Itaque, quale quale hoc ſit, V. in Libros diſpeſcendum cenſui, quorum I. præter ſubſidia generalia, quibus reconditior legum intelligentia comparatur, priſcam ſub Regibus Romanis Juriſprudentiam complectitur. Quoniam vero poſt hos ad Auguſtanam uſque Monarchiam una prope fuit Reipublicæ forma, quamquam pro Patriciorum, aut Plebis potentia, modo Ariſtocratica, modo Democratica; miſſis proinde Reipublicæ legibus, ad illas Libro II. feſtinavi, quæ ab Auguſto Imperatore, Reipublicæ per ſpeciem conſtituendæ, ſeu populo priſcam libertatem reſtituendi, latæ ſunt. In III. agitur de Juriſprudentia Hadrianea, per quam, conditis ex ſola Principis voluntate per æquitatis oſtentationem legibus, & curante Juliano Icto Edictum

per-

Digitized by Google

perpetuum, Monarchia firmata: IV. Juriſprudentiam Conſtantinianam in medium profert, quam ex philoſophiæ Chriſtianæ dogmatibus, oblanguente in diem illa Paganorum, quæ legum Romanarum norma ante fuerat, interpretatus ſum. In V. demum de Juriſprudentia Juſtinianea differitur herili Monarchiæ omnino conveniente, ad quam Tribonianus ingenioſo artificio miroque ſtudio antiquam illam accommodavit: atque ubi ad Juſtiniani Novellas perveni, non modo neceſſitatem novas pro tempore leges condendi, atque obliteratas hominum vitio ad priſtinum revocandi confirmavi; ſed etiam id maxime conatus ſum, ut, quum inibi Juriſprudentia Sacra potiſſimum agatur, eam Conciliorum canonibus, rebuſque tunc temporis Eccleſiæ, tota quanta eſt, innixam eſſe oſtenderem. In quo ſane mihi placeo, quum ante me hanc Juriſprudentiæ partem ad unguem expoſuiſſe viderim neminem. Porro prætereundum non eſt, me in quinis hiſce Libris ſic geſſiſſe, ut integra æqualium ſcriptorum loca afferrem, quum ſatis mihi numquam fuerit Auctorum fidem obteſtari, niſi eorum teſtimonia fidelibus ſubjicerentur oculis; quod ſicuti Lectoribus voluptati erit, ita mihi operoſo fuit negotio.

Atque hæc totius Operis ſumma, quod poſt maximos labores, pluresque annos ex domeſticis laribus tandem vidit ſolem. Supereſt modo, ut videamus, Tibine, ſapientiſſime Vir, præ ceteris Lucubrationes has, quanticumque æſtimaveris, ſtiturus fuerim, & num æqua earum comparatio ſit ad Mæcenatem, cui nuncupatur.

In

Digitized by Google

In trinam quidem Juriſprudentia Romana faciem diſtingui commode poteſt, antiquam ſub Xuiris, mediam ſub Prætoribus, poſtremam imperantibus Principibus. In vetuſta illa omnia horrida erant, probabilique ratione carentia. Jus omne verſabatur in ſuperſtitioſis quibuſdam ritibus formuliſque, in quibus adeo defixi veteres hærebant, ut, vel vocula neglecta, cauſſa caderetur, contractuſque omnis evaneſceret. Quid? adeo preſſe & anguſte definiebatur verborum notio, ut niſi ſecundum eam acciperentur, reſque ex vi vocabuli expediretur, omnia fruſtra fierent. Quod quidem voluit Cicero, quum ait: *In omni Jure Civili, relicta æquitate, verba tantum retinuiſſe;* atque Attico reſpondens, qui ut in leges ſcriberet rogaverat: *Quo me*, inquit, *vocas? aut quid hortaris, ut libellos conficiam de ſtillicidiorum, ac de parietum jure, aut ſtipulationum, & judiciorum formulis componam?*

In I. ego Libro hujus Opellæ de triſti hac ſeveraque Juris Romani ſpecie ſermonem inſtitui, non quod ſuperſtitioſæ hujus Juriſprudentiæ ſcientia judiciis exercendis uſui cenſeatur, ſed quia ſine ingenitæ verborum carminumque illorum ſignificationis cognitione abſtruſa Ictorum Reſponſa, quæ illam reſpiciunt, penitus intelligi nequeunt. His accedit, per eam nobis artem arcanam oſtendi, qua populus gubernabatur ſub ea forma, quæ ſemel a Romulo fuerat inſtituta. Etenim tale primævum illud Romanæ Reipublicæ Jus ſtatutum erat, quale plebem effrenem ſub Patriciorum dominatione callide cauteque contineret. Quapropter Tullius pulchre ſatis

de

Digitized by Google

de Ictis ait, *eos magna profeſſos in parvis eſſe verſatos. Quid enim eſt tam exiguum, quam eſt munus hoc eorum, qui conſuluntur, quamquam eſt populo neceſſarium?*

Jam vero, ut ad Te me vertam, Pater ampliſſime, Te ante omnes partem hanc tenebricoſæ illius Juriſprudentiæ penitus intellexiſſe, ſatis ſuperque oſtendunt tot forenſes orationes, quibus maximus ab omnibus plauſus, quum inter primores a ſubſelliis verſabaris, excitabatur. Tu enim & quæ fuerit antiquæ Reipublicæ Romanæ forma, quæ ratio eam gerendi, quoque artificio Patricii ad inſolentem cohibendam plebem uſi fuerint, in dicendo pro re nata graviſſime docebas; & caſca atque ancipitia veterum Jctorum vocabula ad intelligentiam ſuam revocans, cauſſaſque non ſine interiori eruditione orans, ex ſolidis non autem inficetis principiis normam juſte rectèque judicandi præmonſtrabas.

Itaque diverſa Rerump. genera, & pro earum varietate varia legum dictata ob mentis oculos ponens, ex probe intellectis antiquorum inſtitutis ea ad fori negotia hauriebas, quæ uſui gentis noſtræ, ejuſque regimini paria videbantur, jejunas vero ſubtilitates, ac ſuperſtioſas nugas ad plebem frena mordentem inuentas, quamvis tunc temporis opportunas, ſapienter ſuſque deque habebas. Nimirum tale ingenium Tuum, ut ex religioſis illis ac futilibus formulis, ex intento vocabulorum veteris Juriſprudentiæ ſtudio, tamquam aurum ex luto, ſolidiora quæque decerperes, omniaque ad publicæ utilitatis ſenſum referres; ſiquidem compertum Tibi, non propter le-

Digitized by Google

ges homines esse, sed propter homines conditas leges. Quapropter de Te dicam, quod de C. Aquilio Gallo Tullius: *Hominem prudentissimum, acutum, & exercitatum, ex eo quod ejus prudentiam populus Romanus in cavendo, non in decipiendo perspexisset, isque Juris Civilis rationem numquam ab æquitate sejunxisset.* Eccui igitur prima hæc meorum laborum pars aptius statuenda, quam Tibi, qui de antiquæ Romæ legibus tam præstantissime mereris?

Sed quum Patriciorum tyrannidem, quam in speciem juris dandi, justitiamque tuendi exercebant, jam plebes persentisceret, furore ad potentiam eorum minuendam exarsit. Quare videntes illi perstare amplius non posse artificiosam hanc carminibusque implexam Jurisprudentiam, quum palam factum esset ejus arcanum, agitare cœperunt consilium Jus novum ad aliam Reipublicæ formam, quæ in dies, furente plebe per ejus Tribunos recens creatos, exsurgere videbatur, aptum condendi. Porro id aperte facere, perinde erat ac profiteri se victos, ac vehementiores plebi, quæ numquam contenta novis semper rebus studet, donec ad dominationem assurgat, stimulos admovere. Itaque ad alias leges, sed fucatas quodammodo, versum est, novo creato Magistratu, qui occulta politia legum lationem tamquam in insidiis absconderet. Quumque efferatus Romanorum mos civili familiaritate, & elegantiorum gentium consuetudine mansuescere cœpisset, leniri & eæ aliquantulum videbantur. Quapropter per æquitatis ostentationem, qua antiquæ leges horridæ satis ac severæ expoliebantur, ortum

est

eſt novum prorſus Jus; quod cum populo ferocia exſuto conſentiret.

Quum autem religioſum eſſet leges antiquas mutare, quas æternas atque immutabiles putabant; id propterea Magiſtratus hic ſibi ſtatuit, ut cuncta latenter, ac veluti per cuniculos ageret. Quamquam igitur omnium primum in leges jurabat, ſenſim tamen actiones exceptioneſque privatim dare aggreſſus eſt, quod unum ſatis erat ad leges eludendas, quæ quidem fruſtra ſunt, quoties eas exſequi Magiſtratus haud curat. Ad hæc, actionibus aut exceptionibus priſcæ Juriſprudentiæ callida cunctatione ſuperſedendo, novas ipſe dabat ſub variis coloribus, per nova nempe vocabula, verbaque antea inaudita, perque varias fictiones; & quando nihil aliud, in integrum reſtituebat, ut Jure Prætorio non teneretur, qui nexu civili erat obligatus. Atque ex iſtiuſmodi hujus Edictis, ortum eſt Jus Prætorium æquitate profecto innixum, novam pariens Juriſprudentiam, cui, Jure antiquo pedetentim deficiente, ac tandem in cinere prope jacente, Icti, veluti porrecta ſibi invicem dextra, univerſi ſtrenuam navarunt operam: quæ propemodum ſunt Reſponſa Prudentum, quæ in Pandectarum volumen congeſta legimus. Videamus modo, qui juſtior Judex in hac altera Juriſprudentia optandus mihi fuerit.

Quando Prætorium Jus ex naturali ſapientia proficiſcitur, quantum Tu in hac divina ſcientia polleas, non populares tantum Tui, qui propius Te intuentur, ſed & exteri omnes, qui ubique gentium norunt, maxime mirantur. Etenim cordi ſemper

Digitized by Google

Tibi fuit illud Ciceronis monitum, ex intima hominis natura Juris disciplinam hauriendam, ejusque exordium ab illa summa lege, quæ sæculis omnibus ante nata est, quam civitas ulla constituta, repetendum. Ab adolescentia nosti, veram justitiam esse, quæ ex naturali jure, sive rectæ rationis lumine, res hominum administrat, illudque omnis justitiæ fontem esse & principium, idemque in civili societate locum habere, temperatum aliquantulum, atque ad Reip. commoda relatum; siquidem, ut ait Ulpianus *l. 6. pr. De just. & jur. quum aliquid addimus, vel detrahimus juri communi, Jus Civile efficimus*. Compertum Tibi erat, hujusmodi detractiones, atque additiones Juris Civilis, respondere opus esse Reipublicæ formæ, populi moribus, temporumque vicibus; atque hinc novas leges ferri, veteres abrogari, aliis obrogari, ab aliis derogari, si quando regimen mutetur, aliique mores obrepant.

Solidis his institutionibus mente Tua conformata, sic studiorum ratione inita, quid mirum, si & Judex in Magna Curia sedens, & mox potissimum inter Sacri Consilii Patres cooptatus, in gravium ac perplexarum caussarum disceptationibus sanctitatem judiciorum non sine omnium ordinum commendatione sustinebas? Tu enim, aliis alia sentientibus, ad leges confugiebas, quæ naturali æquitati aptabantur, quæ humanitatis sensui accedebant, quæ publico bono suffragabantur. Unde autem hoc, nisi quod justum & æquum ex fontibus suis hauseras, leges ex utilitate communi interpretabaris, penitiores earum latebras subiveras, ad gentis mores referebas, legum.

Digitized by Google

gumque latores ſalutem civitatis ac commoda, præterea nihil, ſibi propoſuiſſe ſat noveras? Sic ſane aſſuetus, in cauſſis impeditiſſimis jus dicens, tanta ſapientia ac gravitate ſententias ferebas, ut ad poſterorum exemplum, ac veluti ad certa præjudicia, plura Deciſionum Tuarum volumina congeſta in pluteis Tuis admiremur; quæ ſi lucem viderint, quod in optato omnibus eſt, haud hercle minorem Fabrianis laudem aſſecuturas meo periculo ſpondeo.

Quum igitur omnia ſemper, quæ ex æquo & bono prodeunt, animo Tuo maxime grata fuerint, & Jus Prætorium ego fuſe pro ingenii viribus expoſuerim, nonne id Tibi prætoria mente ſic prædito dicandum? Num juſtior vigiliarum mearum Cenſor exſpectandus fuerat, qui Edictorum interpretationes, qualeſcumque chartis illevi, vel probaturus ſit ſi forte fortuna dignæ videantur, vel ſi qua peccaverim, quod vehementer vereor, virgula ſua notet, ac meliora humaniter doceat?

Sed ad poſtremam tandem Principum Juriſprudentiam deſcendi; quæ quum varia pro varia Imperii fortuna fuerit, ſic eam diſpeſcendam cenſui, ut de Auguſtana primum, deinde de Hadrianea, deinde de Coſtantiniana, deinde de Juſtinianea diſſererem. Et vero in illa Auguſtana in hoc totus fui, ut miram artem, ingeniique ſollertiam, quæ Imperatori, aſſidente C. Clinio Mæcenate, non deerat, admirarer. Etenim per blandam Reipublicæ conſtituendæ ſimulationem ita ſe geſſit, ut leges ejus oculis civium libertatem præferrent, intus vero per eas ſibi caneret, ac Monarchiam foveret. In altera autem,

quan-

Digitized by Google

quando, detecta facie, ante omnium ora ſine ſuco volitavit Principatus, id arcanum fuit, ut e re ſua ducerent cives in Monarchia manere, neque libertatem primævam amplius rerum novarum cupidi anhelarent. Quoniam vero Juriſprudentia Romana in philoſophia Pagana tota nitebatur, Conſtantino placuit, ut Jus Civile, cognito Chriſto, veraque religione probata, a Chriſtianorum moribus Evangelio inſerviens non diſſideret. Quumque ſanctiſſima quæque, labentibus annis, elangueſcant, ſuoque gradu decidant, ſurentibus poſt Conſtantinum hæreſibus civilibuſque diſcordiis, concidit diſciplina quum Civilis, tum Eccleſiaſtica: quare coactus Juſtinianus, herili Monarchia conſtituta, novas quamplures edere Conſtitutiones ſuit, quibus Chriſtianam religionem a diſſidentium hominum impetu vexatam tutaretur, judiciis integritas reſtitueretur, foro calumniæ averterentur, atque Eccleſiaſtica maxime diſciplina ad priſtinum rediret.

Itaque, ut ad Imperii orſa redeam, quod Syllæ, quod Pompejo, quod Cæſari, quod Antonio, aliiſque, non bene, aut peſſime potius ceſsit, Auguſto ſatis ex ſententia, ac feliciſsime proceſsit, qui Imperium ſub Principis nomine capeſſens, cuncta inſperata pace, & proſpere gubernavit. Quo autem artificio, quove ſtudio, quibuſque præſidiis fultus tantam dignitatem tuto, atque a periculis procul, tamdiu ſuſtinuerit, ut expiſcarer, herculeos, equidem fateor, exantlavi labores. Tum enim cuncta diſcordiis civilibus feſſa advertere debui, tum maxime ex memoriæ illius ſcriptoribus Imperatoris ingenium

Digitized by Google

nium, consilia, religionem, artesque omnes rimari opus fuit. An autem sors mihi sereno riserit vultu, atque ex caussis suis bene de Augusti legibus meritus sim, Tu unus, maximi nominis Vir, cognoscere potes. Si enim semper Tibi præ manibus M. Tullii, Suetonii Tranquilli, Cornelii Taciti, Dionis Cassii, omnium politicorum, & veterum & recentiorum, libri fuerunt, meritissimo Tuum tamquam in jus Librum II. Operis mei producendum duxi, quum Tu judicare æquo Jove possis, an, ut par erat, Augustana perfunctus sim Jurisprudentia.

Porro autem furti manifesti reus peragerer, si Tibi exhibitorio edicto utenti, aut jure vindicanti, Libri III. filioli tamquam Tui præsentiam non præstitissem, aut justa restitutione Parenti suo non exhiberem. Etenim Augustana Jurisprudentia exsolutus, saltatoria veluti excursione confestim, omisso Hadriano, ad illam Constantini, & Justiniani evolare mihi statueram: siquidem negotiosa nimis mihi provincia videbatur, si Hadrianei Juris interpretationem, & caussas scrutari aggressus essem. Qui sane fieri possit, ut ex historiæ penu, ut meus est mos, intimam Imperatoris hujus in imperando mentem, firmata jam Monarchia, atque reconditiores ejus Constitutionum recessus penetrarem, quando vix unus Spartianus res Hadriani gestas enarrat, suasque Constitutiones, misso die & Consule, per saturam veluti meminit? Ceterum in Justinianeo Codice unam tantum Hadriani sanctionem legimus, eamque nullo die adscripto, unde illius occasionem decerpere liceat. Quamplures, fateor, in Digestis sparsas habemus, sed detruncatas, exe-

sas,

Digitized by Google

ſas, Juriſconſultorum Reſponſis admiſtas, nulla adjecta cauſſa, niſi plerumque, *ut Divus Hadrianus ſcripſit*. Ecquis tam lynceus erit, qui in tantis tenebris, nullo ſublucente crepuſculo, Conſtitutionum ejus rationes introſpexerit?

Hæc, inquam, deterruerunt me, ne in campum tam operoſum deſcenderem, argumentumque incertæ plenum aleæ auderem. Sed Tu, Senator ampliſsime, veluti de cælo miſſus me conſternatum ſuſtuliſti, animumque dejectum erexiſti. Tu hortationibus Tuis ad tantum Opellæ meæ hiatum explendum impuliſti, ſtimulis pungentiſsimis renuentem excitaſti, manum jacenti porrexiſti. Eviciſti tandem Tua eloquentia, Tuaque auctoritate, ut ſtilum repoſcerem, & quod nolueram inceptarem, quodque deſperabam perficerem. Ita ſe re habente, nonne Tuum dicendum, quod ſine Te non eſſet ſuſceptum? Si quod ipſe peperi, opera Tua concepi, & juſti filii patrem ſequuntur; nonne injurius fuerim, & ſubrepti partus reus, ſi ſpartam hanc, quam a Te nactus ſui, utcumque a me ornatam, non Tibi acceptam retuliſſem, Tibique exhibuiſſem? Vereor tamen, ne quod felici aſtro a Te in me ingenitum, imbecillitate culpaque mea monſtroſum enixus ſim. Sed quale quale in lucem prodierit, Tibi, Pater amantiſsime, ſiſtendum jure optimo oportuit. Comprimas, ut libet, illidas, per me licet, modo officio meo defuiſſe ne arguar.

Et aliis vero nominibus Tibi maxime bini poſtremi Libri debentur, in quorum altero interiores Coſtantiniani Juris cauſſas exquiſivimus; in altero autem Juſtiniani volumina ex ejus mente explanavi-

mus.

Digitized by Google

mus. Num enim aliis magis, quam Tibi judicium in eos dederim? Et quidem Conſtantinus M. Chriſti religionem amplexatus, poſtquam Imperium ejus univerſum quatuor in Præfecturas diviſit, juraque ad bene gerendas dedit; id ſibi potiſsimum curandum cenſuit, ut Paganam ſuperſtitionem, quæ altiſsimas tot ſæculorum diuturnitate radices egerat, undique ex Provinciis omnibus evelleret, civiumque mores ad Evangelicæ philoſophiæ formam componeret. Itaque leges eas pertulit, quæ Deorum cultum proſternerent, Chriſti fidem foverent; ejus Apoſtolorumque doctrinam ſuſtinerent, Epiſcoporum Clericorumque omnium dignitatem tuerentur, Conciliorum canonibus obſequium juberent, moreſque fœdis Ethnicæ religionis obſcenitatibus perditos corrigerent, ut demum omnia ad Divini Verbi effata referrentur. In hoc totum fere, quantum eſt Conſtantinianum Jus, verſatur.

Quid Juſtinianus? Quum memoria ſua Chriſtianorum pietas male concidiſſet, Chriſti Eccleſia debacchantium ſtudiis in alias atque alias hæreſes diſciſſa eſſet, turbis omnia miſcerentur, totumque civilibus diſcordiis dilaceratum eſſet Imperium; quumque ideo Civilis æque, atque Eccleſiaſtica diſciplina corruiſſet; opus profecto fuit, ut in Imperio ſuo heri-li novis ac ſaluberrimis legibus hæreticorum furor comprimeretur, mores corrupti reformarentur, diſciplina Eccleſiaſtica in integrum reſtitueretur, juſtitia rediret ad forum, Magiſtratuum civilium, ac militarium poteſtas certis finibus coerceretur.

An autem ex fontibus ſuis legum harum expo-

ſtionem apte derivarim; quis juſtiſſime judicet, niſi Tu, Vir ſapientiſſime? Te in hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſcientia, atque in Conciliorum conſtitutionibus, æque ut in legibus civilibus, adoleſcentiæ annos inſumſiſſe, nemo eſt, cui lateat. Te annos decem & tres Regio Capellano Majori ad conſilium aſſediſſe, apud quem ad trutinam ſevere expenduntur Curiæ Romanæ Reſcripta, ſanctorum ne canonum menti conſona ea ſint, temporique reſpondeant, meminimus omnes: atque utinam tredecim Conſultationum Tuarum in hoc argumentum volumina cito lucem videant! quam ſane avidiſſime ad poſterorum documentum exſpectantur! Ad hæc, non Tu es, quem Carolus Hiſpaniarum Rex, cui in Chriſtiana pietate, atque in juſtitiæ laude, poſteri vix invenient parem, utramque Siciliam auſpicatiſſimo imperio regens, inter alios maxime ad Codicem ſuum concinnandum elegit, ut veluti Tribonianus Exquæſtor ſacri Palatii alter, novum legum corpus pro utroque Regno congereres, quod pietati proſpiceret, ſuum cuique ex æquo bono tribueret, judiciorum innocentiam foveret, litibus æternitatem præcideret, controverſas Jctorum ſententias dirimeret, ſubdolas calumniatorum cavillationes propelleret, omniaque demum religioni, moribus, ingenio civium, temporique aptaret? Et quando huc oratio proceſsit, liceat aliquantulum excurrere, & miſſo tantiſper Conſtantino & Juſtiniano, quorum maxime Juriſprudentiæ interpretes cenſoria virgula Tua ſe ſubducere nequeunt, meritos proſequamur honores, qui Tibi Magiſtratui ſpectatiſſimo magnifice delati ſunt.

Tali

Digitized by Google

Tali enim Te mentis acie divinitus præditum, eaque legum prudentia diurnis nocturnisque laboribus instructum, prospiciens Rex noster providentissimus, cui Superi cuncta fortunent, Te, inquam, præ ceteris ad Feudalem Regiæ hujus publicorum studiorum Universitatis Cathedram, & quidem honorificentissimam, delegit. Ubi quidem cum dignitate sedens non aliorum quorumcumque sermone trita, veluti crambam, recoquis, sed, Deus immortalis! inaudita prorsus eleganter, clare, distincteque, Musis omnibus plaudentibus, doces. Hic Tu inficetas ex animis opiniones penitus insitas evellens, Feuda per temporum historiam ostendis primum tristi atque immani vultu obducta cum barbarorum moribus congruentia, a quibus prognata; mederata deinceps ac mitia, postquam humaniores gentes Principesque facti sunt; quique demum Feudalis Juris, memoria nostra, in ancipitibus quæstionibus usus faciendus. Ingenue fateor, & me ætate licet provecta cum aliis bene multis ad perdiscendum sæpe, quum per negotia forensia quibus distineor licuit, auditorem accessisse, nec me pœnituisse, quod ab ore Tuo solidas horas pependerim, quum una prælectione Tua plus profecerim, quam perpetua de re Feudali volumina evolvendo. Itaque hæc non fando refero, sed oculis auribusque testibus comprobo. Atque eapropter, ut caussis ex suis Feudorum Consuetudines interpretatum Te esse omnibus innotescerent, Feudales Antiquitates attexuisse novimus: quas tamen, quod adhuc typis non credideris, gravissimæ in quibus versaris occupationes in caussa fuerunt.

Digitized by Google

Tua Te dignitas, non ſumoſarum imaginum commendatio, ad maximum honorem, vix tredecim poſt annis Conſiliarium, inter ſummos Conſilii S.Claræ Viros, gratulantibus omnibus, ſuſtulit. Quantæ, bone Deus! amplitudinis iſthoc Conſilium eſt! Etenim hoc templum eſt ſanctitatis, mentis publicæ ſalutiſque ſpecula ſublimis, ara Provinciarum, portus omnium gentium, Curia vindex temeritatis, moderatrix officii, ſummus Ordo, quem in rebus graviſſimis Princeps conſulit: in hoc maximi momenti cauſſæ agitantur, hic Magiſtratus creantur, ſacræque Principis auctoritati proponuntur, de Sacerdotii juribus atque Imperii diſceptatur. In hac altiſſima arce poſitus Tu es, interque ſplendidiſsimos Viros, quorum ſapientiam & majeſtatem demiſſo vultu & cives, & advenæ venerantur: ſive nobis occurrat Marchio Balthaſar Citus, qui Caroli Collateralis Conſilii Regentis filius, Locumtenens Regiæ Cameræ, huc Præſes advocatus eſt, Vir in abſtruſioribus negotiis perſpicaciſsimus, & maximi conſilii, comitate, aſsiduitate, vigilantia, provecta quamvis ætate, admirabilis; ſive Marchio Dominicus Salomonius, ingenuis litteris, hiſtoriaque Eccleſiaſtica & Civili præſtans, & in cujuſcumque generis cauſsis expeditiſsimus; ſive Marchio Dominicus Antonius Avena, qui ut pietate eximius, ita priſcarum fori conſuetudinum, ſcientiæque judicialis doctiſſimus; ſive Diodatus Targiannius græce latineque doctus, hiſtoriæ utriuſque, rerumque Theologicarum ſcientia, & moribus probatiſſimus, & Regii Juris in contentionibus Sacerdotium inter, & Imperium Advocatus commen-

da-

Digitized by Google

datiſſimus : quibus ſane adjiciendus Joſephus Caravita Turitti Dux, qui ex Coronæ Advocato in Supremum hunc Senatum ſupra numerum allectus eſt, Regalis Juriſdictionis Delegatus, & monaſticæ diſciplinæ exactor integerrimus. De quibus profecto non poſſum, quin jure efferam, quæ Cariſius de iis, quos Imperator ad ſuum Conſiſtorium ſelegerat, magnifice dixit: *Credidit eos, qui ob ſingularem induſtriam, explorata eorum fide & gravitate, ad hujus officii magnitudinem adhibentur, non aliter judicaturos eſſe, pro ſapientia & luce dignitatis ſuæ, quam ipſe foret judicaturus*. At vero quum virtuti gloria tamquam ſpirans imago reſonet, juſtiſſime ſane & Te in hoc celſiſſimo Divorum cœtu glorioſe effulgere, Vir meritiſſime, intuemur.

Quid? hæc ipſa virtus Tua ad Supremum Abuſuum Conſilium evexit, a quo profecto quidquid perverſum pravumque temporum intemperie in Regno oboritur, Regia auctoritate corrigitur, & ſi qua inordinata videantur, in ordinem adducuntur. Tuæ virtutis ergo Regi noſtro Auguſtiſſimo a ſanctioribus Siciliæ transfretanæ conſiliis es, quibus quæ ad ejus tranquillitatem, felicitatemque gentis ſpectant, provide ſuggeruntur, neu quid opulentiſſimum Regnum hoc detrimenti umquam patiatur, ſapienter conſulitur. Ecquæ negotia impeditiora ſunt, quæ Tibi credita non fuerint, nec in diem credantur? Ecquos honorum gradus, tituloſque, ſapientiæ veræque virtutis comites, munificentiſſime Tibi delatos non admiramur? Latera mihi deficerent, ſi decora cuncta Tua atque ornamenta percenſere numerando tantum vellem.

Quare

Digitized by Google

Quare, ut redeamus unde diſceſſimus, non poteram ſane digniorem Operi huic meo Patronum quærere; nec Judicem juſtiorem legere, quam Te, Vir Juris omnis & Publici & Privati conſultiſsime. Si enim ego priſcæ Juriſprudentiæ Romanæ cauſſas introſpexi, Tu interponere judicium poteris, an acu rem tetigerim; ſi mediam Juriſprudentiam ex humanitate & naturali ratione hauſtam commentatus ſum, abs Te & natura & diſciplina humaniſsimo, an ſcite me geſſerim, exſpecto; ſi demum, quo intenderint Conſtitutionibus ſuis Octavianus Imp. Hadrianus, Conſtantinus, & Juſtinianus, rimari adniſus ſum, quis Te melior an & hoc divinarim judicabit, qui de politica civilique arte tam præclare mereris, qui hiſtoriæ Auguſtanæ ſcriptoribus evolvendis prope impallueris, qui de Principalis, & Sacerdotalis poteſtatis finibus eſſe magiſterio omnibus potes? Mihi igitur gaudeo, quod Tibi Lucubrationes has meas, cujuſcumque ſint pretii, dedicarim; aptiſſimum enim Te novi ad harum rerum dignitatem, ex veritate non ex opinione, æſtimandam; Te, inquam, qui in otio litterario, in arte oratoria, in legibus interpretandis, in jure dicundo, in Magiſtratuum ſummorum honoribus, in tota demum vita, ſic Te cunctis probaſti, ut in omnium oculis habitare non ſine maxima hilaritate intuear. Quidquid igitur his chartis illevi, diſciplinæ Tuæ libens volens trado: inducas, deleas, aboleas: judicio Tuo ſapientiſſimo atque auctoritati obſequi gloriæ mihi erit ſempiternæ. At vero, ſi quid Romani Juris ſtudioſis utile, aut quid probatu dignum, quod vix ſpero, fortaſſe

Digitized by Google

taſſe occurrat, id obteſtor, ut quale Patroni officium eſt in Clientem, qui ejus fidei ſe tradidit, more majorum adverſus malignos obtrectatorum rhonchos tuearis, defendas.

Obſervantiſſimus ac devotiſſimus
Joſephus Mandatoritius Toſcanus.

Digitized by Google

Digitized by Google

AD CUPIDAM LEGUM JUVENTUTEM

PRÆFATIO.



Quum homines ſuapte natura impellantur ad ſcientiam, nil mirum ſi rerum cauſſas ſollerter inveſtigare conentur, quas quum ſedulo exploraverint, cognoverintque, miro gaudio afficiuntur. Hinc veteris memoriæ, priſcarumque litterarum cognitio ſummopere nos oblectat, quia illarum ſcientia vetuſtarum rerum primæ origenes reperiuntur. Verum omnibus antiquitatum ſtudiis Juriſprudentia Romana merito videtur anteferenda, quod infinita propemodum commoda ad hominum ingenia inde derivantur, & mirifica doctos homines voluptate perfundat. Nam quis amabo inficias ire poterit jurisperitum rei Romanæ publicæ, privatæque ſcientia probe imbutum, hujuſmodi antiquitatis ſubſidiis non oblectari, & ſimul non juvari ad aptandas priſcas Romanorum leges novis ſibi occurrentibus in foro diſputationibus? quum jura omnia, & civilis regiminis formæ hominum moribus, eorumque ſtudiis potiſſimum congruant; ut adeo ſi priſcum civile regimen ad aliam imperii formam vertatur, aliique mores invaleſcant: antiqua civilia jura mutentur & ipſa, aliaque pro re nata condantur. Quid porro elegantius veterum Juriſconſultorum latinitate, quid eorum eruditione jucundius? Præterea quid optabilius, quam legum cauſſas ex forma civilis regiminis, ex hiſtoria illorum temporum, ex receptiſsimæ philoſophiæ penu, ex legislatoris indole depromere, atque detegere? Denique nihil cognitione hac ſapientius, prudentiuſque eſſe poteſt, qua nos legum non verba, ſed mentem teneamus; demum nihil veteris Romanæ prudentiæ munere gravius, quo ſingulorum ſtatus, & bona protegantur ab injuriis.

Juriſprudentiæ laus.

Digitized by Google

Ejus occasus. Propterea si prisca Romanorum prudentia eruditionis suæ divitiis tanta nos afficit voluptate : & regulis , præceptisque suis ad publicam, atque ad privatam utilitatem sapienter comparatis, Principibus, Magistratibus, Judicibus, & Jurisperitis sapientiæ , omnisque intelligentiæ tutissima subministrat subsidia, quibus bene regantur homines, honesteque vivant, alterum non lædant, & unicuique quod suum est , tribuant; nescio quo factum, ut illa, procedente tempore, ad eas inciderit rerum vicissitudines: ut per plura sæcula extiterit etiam memoria ejus obliterata , atque extincta , & postmodum revocata ab oblivione ad usum, non ut scientia , qualis erat præclarissima, fuerit exculta, sed ut rude artificium sub nundinatione verborum & vocabulorum aucupio, ad evertenda aliorum patrimonia & fortunas, ex judicum libidine, & advocatorum avaritia, cœperit exerceri.

Causa ejus vicissitudinis. Sed caussam, quamobrem illa pessum iverit, hanc invenio fuisse potissimam , omnium scilicet disciplinarum occasum, & inscitiam illorum subsidiorum, qua laborarunt homines adulta jam barbarie, quibus tantum vera, & non fucata Jurisprudentia potest adquiri. Quare juvat me pro ratione earum rerum , quas infra tractaturus sum , de fato Romanæ jurisprudentiæ aliqua præmittere.

Barbarorum incursiones. Barbari, qui sub Valentis imperio inter militiæ auxilia, summo licet Reipublicæ malo fuerunt recepti, finibus Imperii custodiendis addicti, vires ejus, idoneam hanc occasionem nacti, cœperunt explorare; quos postquam cognitos compertosque habuerunt, modo unam, modo aliam provinciam Imperii paullatim invadentes, rem eo adduxerunt, ut totum, qua late patebat, Imperium, adeoque Italiam ipsam fuerint potiti, atque publicam labefactarint libertatem. In urbem autem Romam, quæ diutius obtinuerat Imperium, ita eorum arma invexere, ut recuperandæ suæ pristinæ libertatis spem omnem amisisse videretur. Quapropter vires suas præsentiens nimium adtritas, nihil quicquam prius pensiusque habebat, quam publicas eas calamitates animo volutare , easque cum transactis ejusdem Romani Imperii felicitatibus conferre; deque humanarum rerum vicissitudine indolescebat quam maxime.

Ne-

Digitized by Google

Neque quod Barbarorum aliquandiu in Italia ſedem firmaverint ſuam, ideo dici poterit ſereniores dies noſtris inluxiſſe. Nam vel alia barbara gens huc convolabat, ut primam expelleret, aut ea, quæ tenebat Imperium, contra ipſam humanitatem, quæ dictat cuique hominum non ſævire in victos, ita vires, libertatemque noſtrorum infringebat quotidie, ut ægre admodum ab illa dominatione ſeſe poſſe eripere cerneret Italia. Quum igitur ex bello non pax, ſed alia quamplurima bella ſuſcitarentur, quemnam bonarum artium amor, & ſtudium poterat delectare? quum in illis infelicitatibus publicis expediret cuique potius vitam incolumem degere, quam profundere litteris operam dando. Hinc non omittendum ſtrepitum, quo univerſa reſonabat Italia, optimarum diſciplinarum oblivioni præ ceteris occaſionem ſummopere contuliſſe. Quum enim Principibus illis præ bello nihil eſſet optatius, Italia quo mores ſuos ad Principum exemplum totos componeret, totam ſe ipſam belli artibus addixit. Hinc litterarum ignorantia inrepſit tanta, quanta nullo tempore fuit; quod non eſt ut explicem magis, quum in hiſtoria temporum illorum res ſit ſatis pervulgata. *Eorum immanitas.*

Sed ſtatim ac barbari iſti, ſoli noſtri dulcedine illecti, ſe ſe in Italorum conſuetudinem dedere, priſtinos ſuos mores præter modum efferatos ad humanitatem transtulerunt. Noſtri autem, licet ſero, cognitum habuere, quantum intereſſet, ſanctiores amœnioreſque muſas, ac liberales diſciplinas jamdiu oblitteratas, in lucem revocare; donec tandem felicibus auſpiciis priſtinum decus quum ſibi vindicaſſet Italia, ſicuti doctrinarum inventrix olim fuerat, ita hoc tempore earum fœcundiſſima mater jure cenſenda eſt. Quocirca (uti adpoſite, ni fallor, ad rem dici ſolet) veluti novalia, quæ alternis ceſſant, fertiliora evadunt; ita ſi Italia per temporis intercapedinem litterarum ſtudia intermiſit, tantam ſterilitatem profecto majori frugum ubertate penſitavit. *Inſtauratio bonarum artium.*

Verum operæ pretium eſt videre, quam viam ad ſtudia litterarum inſtauranda noſtri inierint. Alii latinitatis ſtudium & orthographiam cœperunt excolere, quo lux adfulgeret antiquis latinis authoribus. Omnium primus fertur Caſſiodorus *Primi inſtauratores.*

Digitized by Google

Scylacenſis, qui etiam in ſuo præclaro opere de formulis, & de comitiva ſpeciem antiquorum magiſtratuum Romanæ Reipublicæ præbuit, ut poſteri non ignorarent eorum peculiarem poteſtatem, qua negotia ſive publica, ſive privata curabantur. Alii poeticæ, ut Paullus Diaconus, Paulinus Patriarcha Aquilejenſis, Theophanius, & Henchebertus Monachi Caſſinenſes ſedulo dederunt operam, rati homines harmonicis poeſeos numeris illectos barbariem exuturos. Sed præ his omnibus bono publico tunc conſuluerunt, qui Græcas litteras excolentes, Grecorum ſapientæ ſplendorem adſperſere, quo præclara Græcorum geſta, & Orientalium Conciliorum Canones Græce ſcripta innoteſcerent. Laudandi hac in re Johannes Burgundius Piſanus, & Paullus Diaconus Neapolitanus. Verum non hæc tantum ſtudia excoli cæperunt, ſed & alia forſan his utiliora; nam Gisbertus de Arvernia, qui poſtea ſub nomine Silveſtri Secundi Pontifex inclaruit, ad immortalitatem nominis ſui mathematica ſtudia poſtliminio reduxit, & Dungalus Papiæ, ac Petrus Groſſolanus Archiepiſcopus Mediolanenſis conatu ſanequam maximo Theologica ſtudia exornarunt. At omnibus palmam præripuit Petruſa Groſſolanus Archiepiſcopus Mediolanenſis, cujus eximia doctrina vel ex eo eluceſcit, quod quum in Græciam a Paſchali ſecundo, ut contra Græcos proceſſionem S. Spiritus a Filio adſtrueret, legatus miſſus eſſet, tanta ſe geſſit ſapientia, ut ſummi Theologi fuerit nomen adſequutus. Adnitentibus ergo noſtris ad ſtudiorum inſtaurationem, litterarum, atque ingenuarum artium cultus in Italia vel in ipſa barbarie exteris gentibus ſuſpicienda, ubertim reviviſcebat.

Cur juriſprudentia diu jacuerit.

Sed quod dolendum, neſcio cur, quum temporibus hiſce diſciplinæ, vel recenter exorirentur, vel exſuſcitarentur veteres a longa oblivione, qua ob temporum injuriam obrutæ reperiebantur, ita ut communis, & nova quædam redderetur vita doctrinis; ſola tamen Romana jurisprudentia ſqualeret, atque ab interitu non vindicaretur omnino, velut ſi indigna res eſſet, cui cordati homines animos intenderent ſuos. Non me latet eveniſſe, ut, multis licet poſt annis, Amalphi, ut pleriſque hominibus viſum, Pandectis repertis, juriſprudentia Roma-

Digitized by Google

mana reſpiraverit ; atque in Schola Bononienſi a Mathilda Comitiſſa inſtituta, ſummis propoſitis præmiis, a nobilibus præclariſque ejuſdem temporis ingeniis aliquantulum Romanis Legibus decus adrogatum.

Arabica philoſophia Juriſprudentiæ inimica.

Quum itaque vetus Romanorum cæpiſſet prudentia per id tempus publice doceri, pollicebantur ſibi ipſi docti, clarique viri, eam ad illam redactam formam, quam olim Papiniani, Paulli, Ulpiani, aliorumque multæ eruditionis Juriſconſultorum ætate obtinebat. Sed ſua eos fefellit opinio; nam viderunt aliam jurisprudentiam, & quidem a priore immane quantum mutatam; nempe, quæ ſua eruditione expoliata, atque a fontibus minime deducta, ſub verborum aucupio, ac involucro, veluti rude artificium ad evertenda aliorum bona inique compactum, exercebatur ab ejuſdem temporis hominibus auri magis, quam juris admiratoribus.

Cauſæ cur vera juriſprudentia non revixerit.

Sed dices, ſi eorum temporum ingenia tot labores ſuſceperunt, ut veram, & non fucatam reſtaurarent Juriſprudentiam, cur id amabo aſſecuti non ſunt? Res ſane intricatior eſt, quam quæ uno verbo abſolvi poſſit. Quare detur venia mihi, ut paulo altius eam repetam ab origine ſua.

Præpoſtera juriſprudentiæ inſtauratio.

Quum omnes omnino tunc temporis literatores Ariſtotelicæ philoſophiæ capti eſſent admiratione, optime comparatum cenſuerunt, ſi facultates omnes ad normam illius componerent. Itaque, quemadmodum ceteris diſciplinis, ita jurisprudentiæ civili Ariſtotelica dogmata fuerunt intermixta. Verum quum obſcuriſſimis vocabulis, per Averroem invectis, ſcateret, & in movendis difficultatibus, inutilibusque ſpeculationibus verſaretur; factum propterea, ut etiam jurisprudentia Philoſophiam iſtam plane rudem, & inficetiarum plenam æquis paſſibus ſequens, non ut ſcientia, qualis erat, præclariſsima, ſed ut ars vere mechanica haberetur. Et jure merito ita ſe rem habere par erat; nam in eorum docendi, ſcribendique ratione, contempta prorſus Romanorum hiſtoria, temporum chronologia neutiquam ſpectata, moribus Romanis nec etiam primoribus labris deguſtatis, jure publico ignorato, ac litteris latinis neglectis, Romanam jurisprudentiam, quæ ſolummodo ab hiſce facultatibus depromitur, qua ratione, quæ-

ſo,

Digitized by Google

ſo, poterant deguſtare? Propterea nil mirum ſi genuinum Romanorum jus non reſtituerint, ſed tantum fucatum efformaverint; quum vera jurisprudentia non in philoſophiæ Ariſtotelicæ placitis ab Avveroe corruptis, ſed in allatis ſanctioribus diſciplinis foret perquirenda. Peſſime igitur cum Romano jure actum, uſque donec Alciatus mediis tenebris exortus, in Jani Parrhaſii politioris ingenii viri ſchola litteras latinas elegantiores, ac rerum Romanarum hiſtoriam edoctus, cœpit his ſubſidiis legum cauſſas diligenter inveſtigare, ſpecimen ita relinquens poſteritati, quo poſſet Romana jurisprudentia reviviſci, ſuoque nitori reſtitui. Ac doctiſſimis ille commentariis jus civile Romanum explanans, & commenta aliorum oſtendens, quamque illi a ſenſu Romanarum legum recederent, benignum aliis ſtravit iter, ut animum ad id ſtudium adjungentes, veterem Romanorum jurisprudentiam inſtaurarent. Dixi Alciatum potius aliis viam hanc ad reſtituendam jurisprudentiam præbuiſſe, quam eam ipſum modis omnibus abſolutam effeciſſe; nam quum fuiſſet omnium prior bene de hoc ſtudio meritus, ejus labor, ac vires minime ſuffecere, ut Romanum jus ex illorum temporum barbarie numeris omnibus depurgatum redderet.

Alciatus primus cultioris juriſprudentiæ inſtaurator.

Erat enim hæc laus immortali Cujacio parata, qui ſuis doctis ac laborioſis juris interpretamentis, ſic aliorum induſtriam, & judicium ſuperavit; ut quidquid eſt optimum, ei ſit adſcribendum, ipſeque appellandus redivivæ juriſprudentiæ pater. Exinde diſcipuli ejus tantæ eruditionis copia ab eo fuerunt locupletati, ut Romanam juriſprudentiam ſic excoluerint, exornaverintque, ut pene dici poſſit, ei condendæ non tantum contuliſſe primos juris auctores, quantum luminis eadem ab ejus vindicibus inſtauratoribus accepit.

Cujacius integrum jus reſtituit.

Unde Cujacii ſtudio, ejuſque diſcipulorum ingenio, Juriſprudentiam Romanam perpolitam ſuperior vidit ætas. Quid igitur? horrida illa Juriſprudentia penitus jam exolevit, nec ne? Minime gentium, quum etiamnum videamus illam in foro obtinere; nam quæ longo tempore invaleſcunt præjudicia, difficili plane negotio emendari poſſunt. Quum enim cauſidici, rabulæque rei forenſis periti non poſſent aperte juriſpruden-

Perverſa juriſprudentiæ in eruditam & forenſem diviſio.

Digitized by Google

dentiæ eruditæ detrahere, quum ex ea legum ſenſus adprime colligatur, tranſverſis eam propterea cuniculis adgreſſi ſunt, vulgo affirmantes, juriſprudentiam eruditam cathedris tantum mancipandam. Quapropter ineptam juriſprudentiæ diviſionem induxerunt, forenſis ſcilicet, & eruditæ, effutientes hanc pro ſolius animi oblectatione, & rerum antiquarum notitia, illam vero uti rerum judicandarum regulam ac normam habendam. Quorum opinionis perverſitate nihil fingi poteſt importunius. Eccui enim, dummodo cor ſapit, ſtat animo, eam civilem prudentiam, quæ ſumma in Reipublica Romana ingenia exercuit, atque ad omnis eruditionis faſtigium fuit ovecta, feliciterque ad cauſas tractandas adhibita, procedente tempore judiciorum non æquam eſſe normam?

Falſa rabularum de juriſprudentia opinio.

Sed quum homines ita comparati ſint, ut eis magis quod plures, præſertim ditiores, quam quod pauciores, etſi doctiſſimi, affirmant, arrideat; factum propterea ut ſuperius laudata diviſio licet falſiſſima, ita communi opinione invaluerit, ut per omnium ora volitet, fruſtra hoc tempore tempus terere eos juvanes, qui foro operam daturi, juriſprudentiam eruditam addiſcunt. Sed in eo falli eos, qua maxime quis non videt? Quid enim veteris juriſprudentiæ munere gravius, quo ſingulorum ſtatus, & bona proteguntur ab injuriis? quid ſolidius præceptis reguliſque ſuis, quas hauſtas ex honeſtate naturæ non confuſe congeſtas, ac temere proditas, ſed ſolida ratione a majoribus traditas fuiſſe didicimus? Nimirum ſi quam habet philoſophia, habet autem illa plurimam, dignitatem, eam in jus civile translatam, atque converſam probe novimus. Præterea, quidquid a Græcis philoſophis de honeſto, & juſto, de finibus bonorum, & malorum, de regendis Populi moribus, de legibus, & Reipublica diſputatum, potius quandoque ingenii venditandi, quam utilitatis cauſſa, id a Juriſconſultis noſtris collectum, nugiſque excuſſis traductum in urbem; ut quod apud Græcos exercitatio erat ingenii, longioriſque ocii levamen, Romæ in corpus juris civilis converſum, publicæ, atque privatæ ſemen eſſet utilitatis; ut denique contemplatio Græcorum otioſa, & iners a noſtris operoſa, atque frugifera redderetur.

His

Digitized by Google

Auctoris inſtitutum.

His igitur ab ultima rerum origine repetitis, tempus erit, ut quod in animo eſt planius, & apertius expromam. Dixerit heic fortaſſe aliquis, non opus eſſe mea cogitata aperire, cum ex hucuſque dictis ſatis ſuperque appareat, me velle juriſprudentiam forenſem, ejuſque ſectatores toto conatu refellere, eorumque levitatem, vel potius arrogantiam coarguere; quippe qui juris Quiritium laudem, honoremque depeculati ſint. Nolim autem quis in invidiam me vocare, ac ſi penitus omnem forenſem doctrinam reprehendam. Fori enim exercitationem commendo, ejuſque Magiſtros conſuli, legique hortor. Nam ſicuti eruditorum interpetrum lectione optime legum vim, & poteſtatem tenemus, ita practicorum, quos vocant, ſtudio methodum addiſcimus, qua in foro controverſias componamus. Sed hoc unum contendo, ſine ſelectorum interpretum ope neminem vere, ac ſolide juris Romani ſapientiam percallere. Erit enim abſque rerum Romanarum cognitione, non juris Romani peritus, ſed tantum forenſis rabula, peculiarumque ſpecierum conſarcinator; atque ita fiet, ut ſi aliæ contentiones ſuboriantur, niſi ſors ipſam ſpeciem iiſdem prorſus circumſtantiis, quas ille legerat involutam, obtulerit, neſciat ſe extricare. Quocirca vix, aut ne vix quidem rem, de qua agitur, expediet.

Eruditioni forenſis exercitatio conſocianda.

Quapropter ambæ hæ facultates nobis ſunt neceſſariæ; altera, qua theoricen juris, ad genuinam civilis Romanorum prudentiæ normam comparatam, addiſcamus: altera vero ut fori exercitationem teneamus. Verum qui ajunt juriſprudentiam a ſuis fontibus hauſtam tam cauſſis in foro tractandis obeſſe, tota errant via. Nam eorum ſententia huc redit, ut nempe ceteris perſuadeant, juriſprudentiam eo magis perfici, quo longius a principiis ſuis recedat; cæteras autem facultates eo abſolutas, perfectioreſque evadere, quo proprius ſua principia attingunt. Sed quænam eſt hæc ſcientia, quæ modum non habet ullum? quæ fines ſuos egreditur? quæ tota deerrat a principiis ſuis?

Univerſi operis ratio.

Hæc omnia, quæ longius, quam par erat, perſequutus ſum, cauſam mihi adtulerunt, quamobrem ad hoc opus ſcribendum adgrederer, quo ſcilicet juventutis erudita ſtudia ab er-

Digitized by Google

errore tam turpi vindicarem, ſuaderemque quam ſit neceſſaria civilis prudentia a ſuis repetita principiis non tantum theorice, ſed etiam rerum uſui, ſive ad cauſſas in foro agendas advocati munere, ſive ad lites componendas judicis authoritate. Igitur quum diu multumque cogitarem, quæ argumenta pararem, quæ ad id probandum pondus haberent, ea viſa ſunt mihi tandem validiora, quæ ex rei ipſius conſtitutione depromuntur, quod probationis genus infirmari nullo pacto poteſt. Quare, pro eo ac potero, agendum hoc opere de erudita Romana juriſprudentia, deque ratione illam addiſcendi. Ut autem veram rationem quis exequatur, hæc cum primis noſcat oportet, I. jus naturæ, II. civile regimen, cui leges aptantur, III. philoſophiæ Stoicæ præcepta, IV. veterum Juriſconſultorum latinitatem, V. Romani fori, ſcilicet Rom. Magiſtratuum auctoritatem, antiquas formulas, ac forenſes per id tempus receptos mores, VI. Principis ingenium, ejuſque Religionem, VII. legum chronologiam, VIII. demum Eccleſiaſticam hiſtoriam. Quam hæc ad legum intelligentiam ſint neceſſaria, non aliunde quam ex ipſa Romani juris natura probare ſatagam; ſeligam enim ſuper unoquoque argumento peculiares leges, unaque inepta Pragmaticorum barbarorum interpretamenta ob oculos ponam. Contra vero eaſdem leges, illis, quæ ſuperius recenſui, adjumentis, probe intellectas demonſtrabo. His omnibus adnectam etiam fori aliquot deciſiones ex Accurſianorum prius, & eruditorum poſtmodum commentariis enatas; ut omnibus his invicem collatis, cuique exploratum ſit, veterem Romanam juriſprudentiam non ſolum ad eruditionem, ſed potiſſimum ad quotidianarum controverſiarum judicia dirimenda magnas opportunitates habere.

Præſidia ad noſcendam jus civile.

COGNITIO.
Juris Naturalis.
Regiminis Civitatis.
Latinæ linguæ
Philoſophia Stoicæ.
Fori Romani, & auctoritatis Magiſtratuum.
Ingenii Principis.
Chronologiæ legum.
Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ.

Sed antequam ordiar argumenta, lubet occaſionem hujus operis ordine enarrare. Quum Joſepho Paſchali Cyrillo viro ſummo in juris civilis ſcientia, non parum operæ darem, anno ætatis meæ vigeſimo tanta Romanarum legum cupido animum inceſſit meum, ut reliquis diſciplinis valere juſſis, eis nihil mihi eſſet optabilius. Subinde autem perbelle accidit, ut ad amicitiam accederem præclariſſimi Equitis Franci-

Operis occaſio.

Digitized by Google

ſci Vargas Macciucca Advocati Fiſci, viri ingenuarum artium ſtudio, morum elegantia, ac genere ſpectatiſſimi. Vir ille ampliſſimus ſerio me monuit, parum mihi juriſprudentiam eruditam profuturam, niſi cum illius ſtudio Pragmaticos, reſque fori copularem. Itaque ex eo tempore ſtudia mea ita compoſui, ut tractatus Pragmaticorum ad principia ſua revocarem, exploraremque unde fuerint illorum errores, & præjudicia exorta. Quumque ſtudio ſelectorum interpretum animadverterem, errandi anſam aliquando ei præbuiſſe ignorantiam juriſprudentiæ Romanæ, ſtatim ac id ipſum adnotavi, & ſimul principia juris expendere cœpi. Poſtquam autem adulta jam ætate ad cauſſas in foro orandas acceſſi, quotidie experimento didici, quantum hujuſmodi ſtudium mihi profuerit. Quapropter exercitationis meæ cauſſa cœpi bene multa, quæ animo obvenerant, chartis illinere; quem meum laborem quum plerique homines comprobaſſent, feci non invitus, ut opus hoc, utcunque eſſe poſſet, luci committeretur. Sed hæc hactenus ex quibus inſtituti noſtri ratio intelligi facile poteſt.

Jus naturale. Age porro, ad propoſitum veniamus; & primum juris naturæ cognitionem juriſprudentiæ addiſcendæ neceſſariam eſſe quam maxime, demonſtrare incipiamus. Ait Ulpianus in l. 6. D. de juſtitia, & jure, jus civile effici, quum aliquid additur, vel detrahitur juri communi, hoc eſt naturali. Igitur civile jus quum aliud non ſit, quam ipſum jus naturæ, ab illis ſaltem gentilibus philoſophis moratioris ingenii, quoad fieri potuit cognitum; ſaltem per ſua notiora principia, variis tamen Populorum inſtitutis, uniuſcujuſque peculiari ita ſuadente utilitate, modificatum; duo ad illud vere intelligendum, cognitumque jam negotiis aptandum, ſunt ſane quam neceſſaria, publici juris ſcilicet cognitio, & peritia Romanæ hiſtoriæ; altera qua ipſum civile jus depromamus e ſuo fonte, altera vero ut uniuſcujuſque Populi, & præcipue Romani, res geſtas, hoc eſt, rerum hiſtoriam, ut legum cauſſas exploratas compertaſque habeamus. Ex quibus omnibus illud publicum civile bonum oritur, quod vel ex detractione juris naturæ, vel additione, prout civilis ſocietatis poſtulabat utilitas, proceſſit.

Quum

Digitized by Google

Quum juriſperito commendo hiſtoriam, ut civilem prudentiam egregie calleat, de illa hiſtoria dictum volo, quæ regimen cujuſque Civitatis, ejus primigenias leges, moreſque civium, quibus leges feruntur, reſpicit. Quod ut clarius appareat, neceſſe eſt ut originem civilis juris hic breviter tradam. Priſcos homines vitam aliquando ſegregem egiſſe, neminem profecto eſſe arbitror, qui ignoret. Hoc in ſtatu, qui naturalis nuncupatur, unuſquiſque cum ſua familia domeſticum componebat imperium; is enim qui erat familiæ pater, ipſe dominus, princeps, & ſupremus erat judex omnium, quæ in ſua familia eveniebant. At experientia malorum, quæ in dies ſingulos homines in hoc ſtatu ſenſiebant, eos adegit de ſtatu naturali ad civilem tranſire ſocietatem. Itaque eo relicto, eorum voluntatibus, & viribus in unum hominem mire confluentibus, civilem efformarunt ſocietatem. Porro voluntatibus & viribus uni ſubjectis, voluntas publica, ſummaque poteſtas enata eſt, quarum altera dicta lex eſt, ſive communis ratio, vel civilis ſapientia, & publica philoſophia: altera imperium, ſive vis, & poteſtas in univerſos. Hæc vero non ſapientibus, ſua quibus ratio lex eſt, & imperium, ſed iis ſunt poſita coercendis, quorum frenandis animis ratio non valet; ut quæ perturbatio propria ratione non reprimitur, poteſtate, & ratione publica, pœnis ad hæc irrogatis, compeſcatur. *Regimen Civitatis.*

Cum igitur Civitas nil aliud ſit, quam publica multorum ad communem utilitatem, ac vitæ, bonorumque tutamen inſtituta ſocietas, quæ perpetuis publicarum pactionum vinculis, ſub eadem poteſtate, ſeu ſub eodem ſupremo regimine continetur: mores, actiones, negotia civium ad præſcripta pacta debet poteſtas illa componere, regere, exigere; ita tamen, ut publicum bonum præferat ſemper privato. Nam & ſocietas ipſa aliter ſervari non poſſet; & mens primorum civium hæc fuit, ut publica utilitas præferretur ſingulis, ut ipſa inita conſociatio perennare poſſet. Hæc autem publica poteſtas, ſi penes unum omnino erit, civile ſocietatis regimen dicetur Monarchicum; ſi penes Populi multitudinem per concilium congregatam, Democraticum; ſi tandem penes optimates, Ariſtocraticum.

Digitized by Google

Dixi ſuperius publicam poteſtatem ad communem bonum inſtitutam fuiſſe. Quum igitur publicum ſocietatis bonum illud ſit, ut publica tranquillitas inter cives ſervetur, hæc autem ſervari non poſſit, niſi Civitas ab interna, & externa vi protegatur; neceſſe eſt illam armis, & legibus muniri, quibus externam propulſet injuriam, & internam cuſtodiat tranquillitatem. Hæc autem tranquillitas manet incolumis, quum hominum mores formæ civilis regiminis perfecte reſpondeant. Verum id, niſi per leges, per quas homines ſocialiter vivunt, obtineri minime poteſt. Leges igitur tales ſint oportet, qualis eſt forma regiminis. Itaque cum Monarchia, Ariſtocratia, Democratia multum inter ſe diſtent, longeque ſint diverſæ: earum quoque leges mirum quantum inter ſe pugnent. Propterea qui ad jus civile accedit, exploret primum oportet, quale ſit regimen Civitatis, ut ab ejus ratione civilia jura depromet, ſciatque ſub qua Imperii civilis forma leges ſint conditæ, ut illas ſuborientibus negotiis rite, atque appoſite accomodet. Verum quum forma Romanæ Reipublicæ non una eademque fuerit ſemper, ſed multiplex, & varia, prout Populi, aut optimatum invaleſcebat auctoritas, idque ad Auguſtum uſque, qui cuncta diſcordiis civilibus feſſa, nomine Principis Imperium accepit, adeoque Monarchiam inſtituit; Juriſconſulti erit legum Romanarum noſſe tempora, earumque cauſſas, occaſioneſque explorare, ut quæ latæ ſunt tempore quo Romæ mera Democratia, aut Ariſtocratia invaluerat, non iis componat, quæ uſuvenerunt in Monarchia, vel contra; nam, ut ajebam, hæ Reipublicæ formæ inter ſe quam maxime differunt, proindeque earum leges, quarum norma eſt regimen ipſum civile, inter ſe diſſident, atque diſcordant.

Philoſophia Stoica. Vidimus quantum lumen civilibus legibus præſtent jus naturæ, & forma regiminis. Sed quia ſunt alia nobis ſubſidia ad ejus ſcientiam acquirendam neceſſaria, de his nonnulla libabimus. Sane homines in generalibus notionibus boni, & mali, juſti, atque injuſti inter ſe conveniunt; ſed differunt in adhibenda ratione, qua bonum, & æquum ſervetur. Ea de cauſſa nil mirum, ſi legum conditores licet velint omnes jus civile a juſtitia univerſali, tamquam tutiſſima illius norma, de-

pro-

Digitized by Google

promere; differant tamen in iis tradendis, quæ ad eam ducunt. Unde ex hoc varietas juris civilis enaſcitur, ut alio hic, alibi alio jure utamur. Sed quoniam norma juris civilis pendet potiſſimum a Philoſophia in Civitate recepta; quum jus civile aliud non ſit, quam philoſophiæ dictamina de juſto, & æquo, uti perbelle de Romano jure ajebat Tullius: fatendum tale eſſe in Civitate jus civile, qualis erit philoſophia in Civitate receptior. Romani autem ex tot philoſophorum ſectis præ cæteris ſelegerunt ſibi ipſi Stoicam, quippe hominibus præ aliis utilior, quæ ſcientiam, & uſum rerum ſimul complectebatur. Unde totum jus civile hujus ſectæ dogmatis adeo adſperſerunt, ut impoſſibile ſit velle jus civile Romanorum intelligere, niſi philoſophiam Stoicam perfecte calleas. Sive enim jus civile ad ſua principia velis revocare, ſive ſcire, an aliqua lex Romana, Stoicorum placitis innixa, præſenti rerum uſui aptari poſſit, nec ne; ſive placet componere antiquorum juriſconſultorum diſſidia, quæ ex contrariis illorum opinionibus in ipſa philoſophia ſtoica oboriebantur, ſenties profecto, te Stoicorum præceptis probe imbutum eſſe oportere.

Latina lingua.

Latinæ literæ conferunt etiam ad enodandos, ut Gellii verbis utar, pleroſque juris laqueos, non illos quidem, quos ex barbarorum interpretum, aut ex forenſibus dictionibus promanarunt: ſed antiquiores altioreſque, quibus Romanos Juriſconſultos ſæpe implicitos invenies. Exempla ex ipſis legibus repetita inferius proferam. Qui ergo Juriſconſulti nomine ornari velint, caveant ne humaniorum litterarum ſtudia negligant, ſed eas diligentia quam maxima pertractent; etenim verborum vim, & ſignificationem recte noſſe, non minima juriſprudentiæ pars eſt. Nec ſine penitioris latinæ linguæ intelligentia, unquam aut veterum legum ſententiam, aut ſcripta Juriſconſultorum, qui ſcribendi rationem adhibuerunt integram, vereque latinam, ullo pacto adſequi poterimus.

Forum Romanum, & auctoritas Magiſtratuum.

His omnibus, quæ ad intelligendum jus civile Romanorum neceſſaria demonſtravimus, ſcientia etiam magiſtratuum Romanæ Reipublicæ, & cognitio antiqui fori Romani debet accedere. Etenim ſi lex dubia erit, uſus fori conſulitur, ut ſecundum ejuſdem conſuetudines jura dubia explicentur.

Præ-

Digitized by Google

Præterea priuſquam lex feratur, uſus fori excutitur, ne Cives a jure recepto traducantur per res novas, & aliud jus invaleſcat a priori plane diverſum, cui jam Civium mores adhærebant. Magiſtratuum notitia eſt etiam adprime neceſſaria, ut Romanæ Reipublicæ ſtatum pernoſcamns, & leges, quæ poteſtatem cujuſque Magiſtratus reſpiciunt, recte interpretemur. Ex quibus non leviorem inde fructum capiemus, quum controverſias, quæ inter noſtri temporis Magiſtratus emergunt de juriſdictione, de imperio, de præcedentia, pertractabimus; nec ſine ea cognitione qui ex noſtris Magiſtratibus illis reſpondeant, intelligi poteſt.

Hic autem advertas velim, uſum fori Romani, & ſtatum magiſtratuum non eumdem ſemper fuiſſe, ſed multiplicem, atque varium, prout nova regiminis forma enaſcebatur. Nam ſi leges ſcriptæ, quæ mortuæ literis conſervantur, formæ civilis regiminis debent aptari, eo magis idem dicendum de uſu fori, atque judicum, magiſtratuumque poteſtate, qui viva lex Populi ſunt. Hinc alius fuit fori Romani uſus in Monarchia, ac ſub Democratia: aliique fuerunt Magiſtratus in eadem Republica Romana ſub Imperio Democratico, quam Monarchico. Itaque tempora nobis notánda ſunt Romanæ Reipublicæ, quo fori Romani uſus nobis innoteſcat, nè in interpretandis iis legibus, quæ poteſtatem cujuſque magiſtratus reſpiciunt, aberremus. Et licet Auguſtus illorum nomina etiam ſub Monarchia ſervaverit, eo tamen poteſtatem imminuit, quo munus eorum novo regimini reſponderet. Quare neceſſe eſt ad intelligentiam legum, quæ reſpiciunt munus Magiſtratuum, tempora Romanæ Reipublicæ explorare. Aliter enim in immanes errores incidemus, ſi in veterum hiſtoria Magiſtratuum hoſpites, ad controverſias, quæ apud nos quotidie incidunt, ſolvendas accedemus.

Sed de cognitione fori Romani magis ſollicitus ſum; quantum enim Patricii formulis, ac rebus nominibus novis impoſitis, aliiſque callidioribus inventis Romanam juriſprudentiam in foro involverint, quo dominarentur in plebem, res eſt vulgatiſſima. Hinc adeo forum Romanum Prætoriis, Ædilitiiſque formulis fuit refertum, ut ſive lites judiciali ſen-

ten-

Digitized by Google

tentia transigerentur, vel antiquis legibus abrogatis, novæ conderentur, sive de intelligentia legum super factis singularibus decidendis ab judicibus dubitaretur; omne id ex fori perquisitione excuteretur, quod sub nomine juris recepti veniebat. Unde jurisperitus in perlegendis legibus Romanis sentiet, quantum hujusmodi studium sibi adjumentum adferat ad aptanda vetera Romanorum jura novis fatis hodierni fori. Quin etiam infinitæ pene dixerim in Digestis, & Codice leges occurrent, quæ sine fori Romani notitia non possunt intelligi.

Dixerit fortasse aliquis, Fori Romani consuetudines, formulas, alia his similia, quæ usurpari jamdiu desierunt, quum Constantinus I., & deinde Theodosius non obscure, uti veterum calumniosas ambages, captandæque simplicitatis laqueos prorsus abrogaverint; operam propterea perdere, qui eruendis hisce antiquitatis latebris insudaverit. Id ego inficiari non audeo: immo ajo etiam, & confirmo; sed vero in novo jure, quo utimur, formularum effectus quam plurimi servati sunt, qui intelligi non possunt, nisi explorentur in causis suis. Quid tandem obsoletum magis, quam Prætoriarum formularum usus, quo sub verborum aucupio, & novorum vocabulorum commento, totum civile jus abrogabatur? Et tamen quis inficias iverit, sine cognitione prætoriarum fictionum non posse jus civile Romanum, quo nunc utimur, intelligi, negotiisque præsentibus aptari? Quod sane suo loco, ubi de hac re instituendus sermo est, intento digito commostrabimus.

Verum licet civilia jura sint optima, perque naturæ jus traducantur, & formæ civilis regiminis, ac denique philosophiæ per cives receptæ, usui fori ad amussim respondeat: imperfecta erunt, si sub spe proemiorum non adliciantur cives ad illorum obsequium, vel metu pœnarum contineantur ne peccent. Quum enim ita inter homines labefactatam per nostros primos parentes naturam compertum sit, ut nos impellamur ad malum potius, quam ad bonum: evenit ut leges quamlibet saluberrimæ, infirmæ nobis evadant, nisi vel habeant præmia, quibus ad bonum promoveantur homines eis obsequendo, vel pœnas irrogent, queis plectantur improbi.

Digitized by Google

probi, metuque illarum a peccandi propoſito deterreantur. Unde jure merito crediderunt juris publici auctores, præmiis, & pœnis, veluti æquiis quibusdam partibus, jura componere Principes oportere.

Quapropter civile jus tam Romanorum, quam aliarum gentium in plectendis criminibus pœnas habet ſtatutas. Sed quum nos in delictis coercendis pœnis ab Romanis dictis utamur, opus eſt videre quænam ratio nobis ineunda ſit, ne pœnis reis irrogatis plus juſto & æquo utamur, quam legislator ſenſerit. Sane pœna quum conſtituatur non in vindictam, ſed veluti medicina ſalubris ad retrahendos mortales a flagitiis, talis ſit oportet, ut validior eluceat ea voluptate, qua ſpecie boni illecti ad peccandum impellimur; alias ſi hanc voluptatem, quæ eſca malorum eſt, qua homines, ut piſces hamo capiuntur, non ſuperaret, finem ſuum non adſequeretur. Facile eſt enim homini contemnere, imo & perpeti minora mala, quo majora bona nanciſcatur.

Phyſicæ cognitionis neceſſitas.

Propterea quum lex pœnalis ſit contra vitia ſalubris medicina, pro intellectu legum pœnalium nobis tempora percurrenda ſunt, quibus illas legislatores ſanxere, ut ſcilicet inſpiciamus hiſtoria Duce, quinam hominum improbiores mores invaluerint, facinora indigniora irrepſerint; ut ex hoc rationem reddere poſſimus de majori, vel minori pœnarum acerbitate; quum pœnæ eo magis ſint ſævæ, quo majori malitia homines ad malum impelluntur. Verum cum phyſica, ſive corporis habitudo, aeris influxus, ſolique ſitus ad peculiaria quædam vitia quoadammodo hic magis, quam illic impellant; propterea prudens judex in pœnis inferendis ipſius rei phyſicam conſtitutionem debet introſpicere, & loci ſitum, in quo delinquitur, ut pœnas ipſas, æquitate ſuadente, veluti ſaluberrimam medicinam adhibeat. Sed hæc omnia ſine phyſicarum rerum, & geographiæ ſcientia pernoſci non poſſunt. Igitur hujuſmodi ſtudium in tractandis legibus pœnalibus erit juriſperito neceſſarium ſummopere; alias non æquus, ſed iniquus judex erit; quum in pœnis inferedis legislatoris mentem prætergrediatur, vel levius puniendo, vel majori pœna, quam crimen expoſtulat, reum ipſum plectendo.

At-

Digitized by Google

Atque hactenus a me allatas facultates, quantum adjumenti afferre possint ad intelligenda jura Civilia, satis demonstrasse arbitror. Nunc pro virili parte vestigandum, qua ratione Justinianæi Codicis leges recte interpretari possimus. Sane hoc compertum habebimus, si rationem legum in Codicem Justinianæum conjectarum præmittamus. Leges Justinianæi Codicis Rescripta sunt fere omnia (paucis exceptis, quæ sub nomine generalium Edictorum veniunt) vel Justiniani ipsius, vel aliorum Principum, quibus illi vel ad libellos præsentium, vel ad Magistratuum absentium consultationes, quid sibi de ea re fieri placeret, respondebant. Igitur si illæ peculiarium rerum decisiones sunt, rerumque ancipitum definitiones, non possunt a nobis intelligi, nisi innotescat res ipsa qualis fuerit suis circumstantiis involuta. Verum hoc opus, hic labor; quia nulla in Codice nobis lex occurrit, quæ simul facti narrationem contineat, exceptis aliquibus perpaucis, in quibus, licet factum referatur vel a Principe ipso respondente, aut a Judice Principem ipsum consulente: ita tamen confuse, & interciſe narratur, præmittiturque, ut dixisse idem sit, ac tacuisse. Hinc tantæ in legibus Codicis tenebræ, ut Oedipo conjectore sit opus ad eas intelligendas. Videndum idcirco num hanc historiam rerum singularium, ex cujus defectu mira illa obscuritas enascitur, aliunde supplere possimus. Nimirum in legibus Codicis habemus nomen Principis, qui legem condidit, nomen Consulis, sub quo lata, locum unde data, item nomen, & munus illius Magistratus, ad quem directa fuit, & tandem Imperii locum, cujus gratia fuit condita. Proinde pretiosis hisce monumentis invicem collatis, juris civilis studiosus percurrat illorum temporum, quibus latæ sunt leges, historiam, ut ex ea legum causas, occasionesque depromens, ipsarum vim introspiciat.

Subsidia ad intelligendum Codicem Justiniani.

Historia temporum, quibus leges latæ sunt.

Item investigandum est Principis ingenium, quod plurimum certe ad ipsas leges refertur. Quare historia vitæ Legislatoris ab authore synchrono perscripta, diligentia quanta maxima legenda est; atque colligendum ad vitia ne, an ad virtutes fuerit pronior. Ad hæc, in quibus virtutibus, quibusve vitiis magis excelluerit, num magis in libe-

Principis ingenium.

Digitized by Google

ralitate, quam in avaritia; num magis in benignitate, quam in severitate &c. Quantum ista morum scientia conferat ad leges intelligendas, inferius probabo, quum in medium adferam nonnullas leges, quarum sensum, nisi Principum moribus a nobis cognitis, vix est, ut possimus expiscari. Sed potissimum videndum cuinam Religioni, vel cuïnam Philosophorum sectæ Legislator addictus; & quos sibi Consiliarios adjunxerit.

Historia Ecclesiastica.

Denique historiæ Ecclesiasticæ aliquantula notio non solum perutilis, sed necessaria est ad jura Codicis intelligenda. Constantinus enim inter alios retro Principes primus id egit, ut ad frugem meliorem antiquam Romanorum jurisprudentiam redigeret; unde abrogata philosophia pagana, cui per omnia priscum jus innitebatur, effecit ut Christiana Philosophia juris civilis tutissima norma undique evaderet. Missō enim pristinæ, ac variæ superstitioni nuncio, Christianam Religionem fuit amplexatus; ex quo Gregorio, & Hermogeni porrecta occasio, ut Codices conficerent suos, quo antiquæ Romanæ jurisprudentiæ reliquiæ saltem ex naufragio isto philosophiæ paganæ evaderent, ac servarentur posteritati. Quumque philosophia Christiana ex Scripturis potissimum, & ex Conciliorum Ecclesiæ regulis, præceptisque depromatur, factum est, ut novum jus civile ex Canonibus Conciliorum, ac Sanctorum Patruum sententiis conflaretur. Quo circa Canones inde usque ab eo tempore, ita juri civili immixti, ut hæ facultates, Canonum scilicet, legumque Civilium tractatio, coaluerint in unum, idemque jus, ut utriusque scientia sit juris perito in dirimendis contensionibus sanequam necessaria.

Hoc saluberrimum Constantini institutum porro sequuti sunt posteriores Principes, ut adeo jam ex tum Canones semper civilibus legibus copulati fuerint; præcipue tamen, ex quo tempore barbaries irrepere cœpit. Unde formulæ juris Canonici, & ipsius fori Ecclesiastici agendi modus, & usus in jus civile confluxere; nam quum per ea tempora maxima esset laicorum insciția, Clericique tantum literas noscerent, hi, posthabitis aliis, ad negotia tractanda seligebantur, qui Conciliorum

Digitized by Google

rum Canones, Eccleſiaſticique fori compactas formulas ad jus civile admovebant. Ex his, quæ ſtrictim enarravimus juris ſtudioſus colliget, quam ſit ei neceſſaria ad intelligendum Codicem Juſtinianæum Hiſtoria Eccleſiaſtica. Verum ſi quis Juſtiniani Novellarum vim adprime noſcere ſtudeat, is me judice non leviter, ſed ſolido Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſtudio imbutus ſit oportet: quum in Novellis ille Princeps adeo abunde jus Canonicum pertractaverit; ut ſine hiſtoriæ Eccleſiaſticæ penitiori ſcientia Novellæ Juſtinianææ non poſſint intelligi.

Religio, & ritus veterum Romanorum.

Jam pæne exciderat meminiſſe, ad leges quaſdam probe explanandas, eaſque ad quæque adpoſite applicandas, paganæ Romanorum religionis, ejuſque rituum notitiam, fore ſupra quam credibile cuique eſt, utiliſſimam; nam licet Conſtantinus primum, & ſequioris ævi Principes paganam ſuperſtitionem e jure civili funditus eradicaverint: factum tamen in Codice Juſtinianæo Triboniani inſcitiâ, ut aliquæ antiquæ ſuperſtitionis Romanorum reliquiæ in legibus nonnullis ſervatæ fuerint; quarum ſenſum non poſſumus adſequi, niſi earum repetamus originem ab ipſamet pagana ſuperſtitione.

Hæc ſunt tutiſſima ſubſidia, quibus juris civilis ſcientia comparanda eſt: id quod deinceps ſelectiſſimis argumentis oſtendere operæ pretium duco. At ea argumenta non aliunde, ut fidem meam adſtrinxi, expromam, quam ex ipſo legum civilium corpore. Seligam enim celebriores leges, & barbarorum interpretum in eas commentaria referam, deinde eruditorum, qui hiſtoriâ duce, recta proceſſerunt viâ, poſtremo Pragmaticorum ſententias examinabo; ut hinc lectores perſpiciant, eruditam juriſprudentiam non eſſe curioſam & inutilem (quæ opinio multos decipit) rerum antiquarum cognitionem; ſed forenſibus contenſionibus componendis adprime neceſſariam. Quod vel ex hoc circumſcripto argumento cuivis, dummodo cor ſepiat, compertum fore arbitror. Nos utimur jure Romano, licet aliquibus legibus noſtris emendato, atque correcto; ſed jus Romanum, ut ſuperius oſtendi, & porro oſtenſurus ero, ſine laudatis ſubſidiis minime intelligi, nec forenſibus decertationibus adplicari poteſt; ergo juriſprudentia erudita

Digitized by Google

erit unicuique juris perito neceſſaria.

Methodus univerſi operis.

Verum quoniam hoc in opere id præcipue dabo operam, ut oſtendam civilia jura ita formæ civilis regiminis aptari, ut mutato regimine, & ipſa mutentur; ideo præter enarrata ſubſidia ad intelligendum jus civile neceſſaria, maximas viciſſitudines Romanæ juriſprudentiæ, ob mutatum in aliam formam civile regimen, obortas pertractabo. Proinde hiſtoriam pertexam Romanæ juriſprudentiæ ſub Regibus primum, relictâ ea, quæ ſpectat Conſules, quum ſub his non tanta fuerit Romanæ juriſprudentiæ mutatio, ut alia jura ob mutatum regimen fuerint perneceſſe condi. Deinde ſub Auguſto; poſtmodum ſub Conſtantino; & denique ſub Juſtiniano; ut ex legibus omnium horum Principum invicem collatis eluceſcat abunde, quam veriſſimum ſit jura civilia adeo formæ regiminis Civitatis reſpondere, ut quantovis quiſque ingenio polleat, difficile ei ſit legum ſcientiam adquirere, niſi eas a forma civilis regiminis depromere ſtudeat.

Brevis expoſitio viciſſitudinum legum Romanarum.

Atque ut id ob oculos ponam, ſatius erit Romanæ juriſprudentiæ viciſſitudines breviter hic percurrere. Sane ſub Regibus Romanæ Reipublicæ forma democratica fuit, non pure tamen, ſed, uti placet, mixta. Unde ejus ætatis civilia jura ea fuerunt, quæ democraticæ congruebant Civitati. Auguſtus ſpecie ſervandæ priſtinæ libertatis Monarchiam inſtituit; unde primæva jura funditus evertit; eamque civilem prudentiam inſtituit, quæ in ſpeciem videretur favere libertati, reapſe tamen illam everteret, atque labefactaret. Conſtantinus, licet regimen non mutaverit, tamen viciſſitudinem aliam, & quidem longe majorem antiquæ juriſprudentiæ attulit. Quum enim philoſophiæ præſtantioris, Chriſtianæ ſcilicet ductu, omnia expedirentur; repudiatis receptorum pridem rituum pleriſque, amputata in omnibus actibus formularum ſcrupuloſitate, immutatis denique juribus, quæ ſcilicet ſine controverſia, antiquis excellentiora, & naturali dictamini magis accommodata videbantur, atque eſſent, ea fuit juriſprudentiæ forma invecta, quæ Chriſtianæ Religioni perfecte reſponderet.

Demum ſub Juſtiniano novata omnia. Is enim Tribonia-

Digitized by Google

niani opera, ut antiquorum Juriſconſultorum diſſidia componeret, ac jus vetus ad rationem ſui temporis reformaret, illudque in ordinem redigeret; eo confundit omnia, atque nova veteribus, & novis vetera miſcuit, ut uberrimam ſegetem poſteritati relinquerit, quo vel errores Triboniani refellerentur: aut inveſtigaretur diſcrimen, quod inter jus vetus, & Juſtinianæum intercedit. Voluit enim Juſtinianus novum jus condere, ac vetus omnino abrogare; ſed ex antiquo jure, Triboniani inſcitiâ factum eſt, ut quamplurimæ tam in Pandectis, quam in Codice reliquiæ ſupereſſent, quæ haud facile poſſunt intelligi, niſi ab uſque origine ſua repetantur. Ex quo apparet profecto, etiam poſt Juſtinianæa tempora neceſſariam eſſe nobis intelligentiam juris veteris; qua compertum habeamus, quid nam Juſtinianus immutaverit, quidve ex priſco jure inemendatum reliquerit.

Argumenta cujuſque libri hujus operis.

Atque ut omnia procedant rite, & debitus ordo ſervetur, diſſeram quæ hoc in argumento tractaturus ſum. In primâ parte agam de ſubſidiis, quæ dixi neceſſaria eſſe ad intelligendum jus civile Romanum. Sed quoniam inter hæc principem locum obtinet, cognitio formæ civilis regiminis, cui jura tamquam cauſſæ effectus ſunt nexa; ideo totus in hoc ero, ut antiquam Romanorum juriſprudentiam ex ipſiuſmet regiminis formâ detegam. Porro agam in eadem prima parte de jure Romano ſub Regibus; ut ex Regiarum legum indole abunde noſcitetur, quanti facienda ſit civilis regiminis notio, ut jura rite expendantur. In ſecundâ parte ſermonem inſtituam de eodem jure ſub Auguſto; quo tempore maxima ei contigit mutatio ob inſtitutam Monarchiam. In tertia ad Conſtantinianea deveniam tempora; in quibus alia juriſprudentia exorta eſt ex Chriſtiana philoſophia, quam Conſtantinus, peſſumdata, Deo auſpice, pagana religione, ut juris civilis norma haberi voluit. In quarta denique exponetur juriſprudentiæ facies Juſtiniani temporibus. Quibus viciſſitudinibus examinatis, huic operi extremam manum imponam.

Verum quum ad abſolutiſſimam Romanæ juriſprudentiæ hiſtoriam neceſſe etiam eſſet illius ortum, progreſſum, & uſum

Digitized by Google

uſum per Colonias, Municipia, Provincias, ac Præfecturas narrare; id quoque me præſtiturum promitto, ſi per valetudinem licebit; nam ſtomachi vitium in dies male me habet; ſuper hæc otium a fori tricis, quibus vel ſublimiora ingenia torpent, mihi adprecor. Fruſtra, an cum aliquo noſtrorum hominum emolumento, tantum operæ inſumpſerim, æquanimi lectores judicanto.

Digitized by Google

JOSEPHI TOSCANO
MANDATORIZZO
J. C. AC PATRITII ROSSANENSIS

De Cauſis Romani Juris

LIBER PRIMUS.

CAP. I.

§. I.

De neceſſitate ſcientiæ juris naturalis ad jus civile.

MArcus Tullius Cicero (*a*), quum juris civilis vellet rationem, ac ſpecimen dare, illud vocavit : *præſtabilem ſcientiam in fœderibus, pactionibus, conditionibus Populorum, Regum, exterarumque nationum, in omni denique belli jure, & pacis.* Deinde vero de legibus quum ſcriberet, interrogatus ab Attico, quidnam de jure civili ſentiret, reſpondit (*b*) : *Ego ne? ſummos fuiſſe in Civitate noſtra viros, qui id interpretari populo, & reſponſitare ſoliti ſint : ſed eos magna profeſſos, in parvis eſſe verſatos. Quid enim eſt tantum, quantum jus Civitatis? quid autem tam exiguum, quam eſt munus hoc eorum, qui conſuluntur? quamquam eſt populo neceſſarium . . . . Quamobrem quo me vocas? aut quid hortaris? ut libellos conficiam de ſtillicidiorum, ac de parietum jure? aut ut ſtipulationum, & judiciorum formulas componam?*

quæ

(a) *Orat. pro Balbo cap. 6.*
(b) *De legib. lib. 1. cap. 4.*

Digitized by Google

quæ & conſcripta ſunt a multis diligenter, & ſunt humiliora, quam illa, quæ a vobis expectari puto.

Qua in ſententia Cicero ſecum ipſe ſane pugnare mihi videtur. Hic enim procul dubio intolerandam opinionis contrarietatem quis poſſet objicere, dum juriſprudentia præſtabilis ſcientia appellatur; deinde vero eadem ad ſtillicidiorum, ac parietum jus refertur, perinde ac eſſet plena ruris, & inficetiarum. Sed in utraque Ciceronis ſententia nihil profecto abſonum eſt, quum aliud ſit jus Civitatis, aliud vero illud, quod ex uſu fori, judiciorumque compactis formulis, per Pragmaticorum calliditates, in veteri foro Romano inolevit. Hæc enim juriſconſultorum, & cauſſidicorum fuit excogitata rabulatio, juriſque veri fucata facies, ut vel occultandi jus ab imperita plebe, vel cogendæ pecuniæ per has inſidias facilis eſſet occaſio. In illo contra continetur ſcientia præclariſſima legum.

Igitur operæ pretium erit expendere, quale ſit hoc jus Civitatis, ex Tullii mente depromptum. Ait ille jus Civitatis, quantum eſt, verſari in publicis fœderibus, Regum pactionibus, ac Populorum conditionibus; denique in belli jure, paciſque. Verum quum hujuſmodi facultatem aſſequi non poſſimus, niſi jus publicum univerſum adprime addiſcamus: dicendum, hoc adeo e re juriſperiti eſſe, ut qui illud ignoret, juriſconſultus prorſus appellandus non ſit, utpote qui ne juris quidem umbram conſectetur. Non ne enim jejunum nimis, atque exile erit ſtudium juris, quod totum forenſibus cancellis circumſcribatur? Quid enim hujuſmodi juriſperitus reſpondeat, ſi quæratur an publica fœdera, mutata regiminis forma, ſucceſſorem in Imperio teneant? Cuinam Regni ſucceſſio adjicienda ſit, ſi poſſeſſorum defecerit progenies? Regalia ne, quæque inter Regalia accenſentur, urgente re, alienari poſſint? Hæc enimvero, atque id genus alia, pro re nata definire, atque e publico jure arceſſere, jus eſt illud Civitatis a Tullio definitum, quod præclaram, & præſtabilem juriſprudentiam appellare non dubitavit.

Sed quid longe repetitis probationibus opus? ipſamet juriſprudentiæ civilis indoles, atque ratio ſatis ſuperque rem, qua de agitur, evincit. Ita enim Ulpianus jus civile deſcri-

Digitized by Google

ſcripſit, ut reſponderit, illud eſſe, quum quid additur, vel detrahitur juri communi. Quum igitur jus civile, teſte tanto viro, non ſit aliud, quam ipſum jus naturæ, Populi ſuadente utilitate, nunc auctum, nunc vero dimiuutum, pro neceſſitatibus nempe eorum, qui ejuſdem Civitatis ſunt, temperatum; fatendum profecto eſt, duo per quam maxime eſſe neceſſaria ad juris civilis intelligentiam, cognitionem ſcilicet non vulgarem juris publici, & rerum per ſua quæque tempora geſtarum, non confuſam, ſed probe ordinatam hiſtoriam; quibus ſane facultatibus inter ſe copulatis, jus civile & a ſuis fontibus haurimus, & legum cauſſas, occaſioneſque diſtincte internoſcimus. Sic porro intelligemus, hiſtoria duce, quænam fuerit illa Civitatis utilitas, quæ Principi ſuaſerit juri naturæ aliquid addere, vel detrahere, de iis nempe, rebus quas jus ipſum naturale permittit; nam ea, quæ præcipit immutabilia ſunt. Siquidem hunc ordinem in interpretratione juris ſectabimur, tunc vero illud intus, & in cute noverimus, quum ita non legum verba, ſed mentem ipſam introſpiciamus; ſicque demum non animo ancipiti, ſed obfirmato, quæ enaſcuntur, controverſias quam facillime extricabimus; atque ex ipſarum legum ratione, in judiciis vel ſeveritate, vel indulgentia utemur, prout negotii ipſius ratio ſuggeſſerit. Igitur non per rivulos, non per Pragmaticorum ineptias, non denique per inſidias cauſſidicorum: ſed per ipſos fontes ſuos civile jus deducemus.

Verum quoniam animum induxi meum, quidquid in hoc opere edifferam, rationibus ex ipſiſmet legibus noſtris depromptis fulcire; iccirco hoc ipſum pro virili adgrediar; ſeligamque ad id, præ ceteris, ea juris civilis capita, in quibus potiſſimum inſudarunt Pragmaticorum ingenia; ut oſtendam, facillimam intelligentiam, tutiſſimamque eſſe legum, ſi earum bene proviſa, & diligenter explorata principia ponantur. Sane criminum judicia, & contractuum obligationes ſunt ea, quæ pene totum civile jus abſolvunt. Sed quot ambagibus, contentionibuſque Pragmaticorum hæc involuta ſint, norunt quotquot hujuſmodi ſcripta evolverint; quantum temporis eſt impedendum: quam longa, & prærupta premenda ſemita, ut

Digitized by Google

illorum mentem quis possit adsequi. Sed dic quæso, postquam nocturna, diurnaque manu versaveris illorum immensa volumina, habes ne quid certi, ubi figas pedem? non ne, ut ait Comicus, *incertior* eris *multo*, *quam dudum* (a)? Contra vero evenit si fontes ipsos, seu juris naturæ principia adeas. An hæc ita se habeant, videamus. Hoc enim est, quod palam facere in præsentia operæ pretium duco.

Jus naturæ in criminum judiciis id spectat, ut reo inferatur pœna, tantaque, quanta, veluti medicina salubris, is & suo, & aliorum bono, ad bonam frugem se recipiat, abstineatque in posterum a flagitiis: ut injuriam passo, aliisque in posterum securitas præstetur: neu quis impunitatem a sceleribus sibi polliceatur: demum ut dammum injuria datum sarciatur. Hæc quidem sunt juris naturæ præcepta, quibus pœnarum certi fines, earumque veluti æstimatio quædam præscribitur. Qua de re si pœna tanta fuerit, ut statutos fines minime excedat: profecto legitima erit; sin vero damnatorum pœna gravior, leviorve fuerit: injusta omnino existimanda est, quippe quæ legis rationem non adsequitur. Ad contractus autem quod attinet, ex ipsomet juris naturæ principio, hi sunt vel liberales, vel onerosi; in illis naturalis ratio dictat liberalitatem plus æquo extendi non debere, nec præter dantis voluntatem proferri; in his vero æqualitatem inter contrahentes servari, & quid, quantumque sit, quod utrique vicissim debeatur, decerni. Hæc sunt juris naturæ præcepta in criminum judiciis, atque in contractibus sancte custodienda, pauca quidem ut vides, & simpliciſſima; attamen si solerter juri civili aptentur, ea vi pollebunt, ut ex iis omnes contentiones tutissime definiri, transigique possint. Sed age videamus, an hæc ita sint; experiamurque primum in judicio criminum, deinde in contractibus.

Dixi judicium criminis pœnarum æstimatione peragendum. Sed quum pœna eo esse gravior debeat, quo atrocius peccatum: videndum porro est de gravitate, aut levitate criminis, ut quanta debeatur pœna recte judicare possimus. Verumtamen

(a) *Terent. Phorm. act. 2. sc. 4.*

Digitized by Google

men quia totum id ex pœnarum fine deducendum eſt, ideo illarum rationem carptim dudum delibatam, nunc paulo altius repetamus. Tres eſſe pœnarum cauſſas ſollertiſſimus Taurus Philoſophus Stoicus apud Gellium (a) ſcripſit, nempe ut reus, inflicta pœna, attentior fiat, correctiorque; ut dignitas, authoritaſque ejus, in quem peccatum eſt, reſtituatur; ne prætermiſſa animadverſio conteptum pariat; demum ut ceteri a ſimilibus peccatis, quæ prohiberi publice intereſt, metu cognitæ pœnæ deterreantur. Ut autem prior cauſsa effectum ſuum gignat, debet pœna eſſe moleſtior ea voluptate, qua delinquendo reus oblectatur; ut hac majori acerbitate ac dolore affectus, caveat in poſterum a minori voluptate, ne in majoris mali ſcopulum vi pœnarum incidat. Verum ſi ex delicti atrocitate noverit judex, adeo eſſe rei depravatam voluntatem, ut quæcumque pœna inflicta non ſatis ſit, ut corrigatur: morte naturali, aut civili mulctabit; quum expediat magis reipublicæ civem unum, veluti putridum membrum, a ſocietate abſcindi, quam totam, improbitate unius, periclitari. Sed hic non omittendum maleficium aliquando morte naturali puniri, licet non tanti æſtimetur quoad reum, qui ultimo ſupplicio plectatur. Sic profecto fugitivorum defectio, quæque belli tempore, leviora licet, comittuntur crimina, morte vulgo naturali puniuntur: neque vero ob delinquentis meritum, quod ſane tanti non eſt, ſed cauſſa quidem publicæ utilitatis, cujus gratia penſatur id, quod deficit ex parte peccantis. Igitur pœna vel remittitur, vel minuitur, vel augetur, ſive ob criminis meritum, ſive aliquando præter meritum, ob publicam, ut dixi, utilitatem.

Attamen quum delinquentis meritum, ex adjunctis ipſius patrati criminis metiri oporteat: hæc ad pœnarum æſtimationem exactiori trutina expendenda ſunt, ut major minorve ſit animadverſio, quo magis minuſve improbæ peccantis voluntatis propoſitum oſtenditur. Hæc autem adjuncta in iis, quæ ſceleſte committuntur, quam maxime ſunt conſideranda, de quibus nos ſingillatim agemus. Primum eſt, quod impu-

(a) *Lib. VI. cap. 14.*

Digitized by Google

lit ad peccandum ; alterum quod a peccandi propoſito debeat reum abducere ; tertium demum , quod ex qualitate, ſive phyſica, ſive morali peccantis oritur, quæ qualitas, non ſecus ac duo priora, auget, vel minuit delicti meritum, ejuſque pœnam , prout ſcilicet peccantis conſilium patefacit ; ut ſi peccans ſit ruſticus, an ſapiens: vir an mulier , & id generis alia.

Inter cauſſas, quæ reum ad peccandum impulerunt, primum locum tenet dolus, & malitia. Quare quo majori dolo ſunt delicta excogitata, & quo majori ea abundant malitia: eo ſunt atrociori coercenda pœna, hac potiſſimum ratione, quia, & actum magis voluntarium , depromunt : & propoſitum voluntatis pravæ firmius, conſtantiuſque in peccando involvunt : & ut paucis me expediam , coniicitur ex iis , quanta improbitate crimen committitur . Sed voluntas movetur ab affectibus, adfectus porro alii ſunt læti, triſtes vero alii; læti ex appetitu alicujus boni apparentis exoriuntur , triſtes vero ex alicujus mali metu ſuſcitantur . Quia vero magis cuique conſonum eſt ſine aliquo bono, quam cum aliquo malo vitam degere: idcirco adfectibus lætis permota voluntas ad peccandum, eo majori pœna punienda eſt, præ voluntate a triſtibus excita, quo magis hi minuunt , illi vero rationem voluntarii augent. Quod autem dixi de affectibus triſtibus, illos ſcilicet pœnam minuere, dictum volo de illis, qui ob aliquam cauſſam metus ingentis, & veriſimilis, ſuſcitantur in nobis; quia ſi metus iſte inanis eſſet , & a reo falſe conceptus, pœnæ minuendæ prodeſſet omnino nihil . Non enim hæc ſpecies metus minuit voluntarii rationem , quum non ita percellat mentem , animumque permoveat , ut illa ſubvertatur, & quod agitur, minime attendatur.

Sed mirum profecto eſt, quot ex lætis affectibus criminum enaſcantur ſpecies. Sane hi moventur intuitu boni alicujus adparentis , quod nempe præſeferant , vel honeſtatis , vel utilitatis, vel demum jucunditatis ſpeciem . Ex primo genere emanat ambitio , ex ſecundo vero avaritia , demum ex tertio voluptas illa, qua quis oblectatur leges infrigendo. Qua de re jure merito dixi, quod ſæpius affirmare non tædet,

pœ-

Digitized by Google

pœnam hic graviorem esse debere voluptate, qua reus ad maleficium adlicitur: nempe ut præstetur medicina solubris, qua animi infirmitas curetur, ut deinceps, qui punitur, corrigatur, & frugi fiat. Ex hactenus dictis de pœnarum æstimatione habes, ni fallor, documentum fortasse non pœnitendum, paucis quidem præceptionibus, sed solidioribus tamen, & ad insitæ nobis æquitatis regulam exactis; ut adeo tibi necesse non sit Pragmaticorum de hac re immensa volumina, plerumque obturbata tricis, evolvere.

Expositis causis, quæ ad peccandum impellunt, ad eas devenio, quæ a maleficio deberent abducere; quum non minus illæ, quam hæ ad pœnarum æstimationem spectent. Igitur causæ, quæ a crimine debent hominem avertere, sunt Justitia, in quam offenditur: & Pietas, quæ, deserto officio, spernitur. Hinc sequitur, quo major sit injustitia, atque impietas, eo majorem infligendam pœnam. Verum quum injustitiam a damno injuria dato metiamur: ratio ipsa docet, quo majus est damnum, eo majorem injustitiam æstimandam. Propterea videndum, an damnum passa sit ipsa societas: pluribus ne id, an paucioribus illatum: sit ne crimen inchoatum magis, quam perfectum: item ipsiusmet, qui damnum patitur, habenda ratio, nempe datum ne sit vitæ, an familiæ, an fortunis. Quum enim hæc omnia damnum pati possint, idque majus, minusve sit: naturalis ratio poscit, ut quemadmodum est injustitia, ita pœna majori, minorive pensetur.

Alterum, quod nos monet ne delinquatur, Pietas est. Hic sane pietatem accipio pro officio, quod vel ab aliis nobis, vel a nobis aliis debetur, propter illud scilicet naturæ vinculum, quod inter parentes & filios, uxorem & virum, inter cognatos, amicos, & socios bene viciſſim meritos intercedit. Hinc sequitur, ut quo majus urgeat pietatis officium, eo major sit impietas, si qua forte peccetur, majorique pœna id plectendum. Ecce tibi, quæ ratio pœnarum ex justitiæ, & pietatis violatione in maleficiis habenda sit; quo reus metu hoc deterritus, studiosius in posterum animum, mentemque conformet.

Post

Digitized by Google

Deinceps ſequuntur aliæ pœnarum cauſſæ, ſcilicet honoris reſtitutio in eum, cujus dignitas per ſcelus afflicta eſt; & exemplum, quod ceteris prodendum, ne & ipſi in hujuſmodi flagitia prolabantur. Non ita vero, ut per hanc honoris reſtitutionem intelligatur voluptas illa, qua læſus oblectetur in rei punitione; eſt enim hæc vindicatio humanæ naturæ, non modo homini Chriſtiano adverſa, atque inviſa. Sed perinde accipi volumus, ut per illam damna diſſolvantur, & compenſentur, eaque ſecuritas paretur, qua læſo proſpiciatur, ne novæ in poſterum querimoniæ locus detur; cujus ſane fiet compos, vel per mortem naturalem, ſi tanti habeatur crimen: vel civilem, ſi levius quidem ſit: vel demum per cuſtodiam carceris, cui reus mancipabitur, ſi par æquumque videatur.

Quum autem a noxio cive compenſanda ſint læſo damna, nolim id intelligas pro vitæ ademptæ, aut abſciſſorum membrorum pretio; tanti enim hæc ſunt, ut in commercium venire non poſſint. Igitur damnorum refectio de ea utilitate accipienda eſt, quæ ipſi offenſo, aliiſve jure perfecto debita, ablata eſt per injuriam. Sit exemplum: pater familias occiditur: filiis penſandum eſt omne detrimentum, quod ejus cæde infertur, ac reparanda utilitas illa, quæ iiſdem intercipitur; dummodo utilitas hæc circa rem ipſam proxime verſetur, attenta ſpe veriſimili, quæ quo proximior, remotiorve, eo refectio pluris minoriſve æſtimanda. Sed advertas, damni reparationem, ob membra inſuper rupta, vel detruncata, ex uſu illorum definiendam eſſe, ut ita ex majori, minorive lucro, quod ex defectu operarum amittitur, major, minorve utilitas reficiatur.

Ad poſtremam pœnarum cauſſam tranſeamus, nempe ad Exemplum, ne ceteri, videntes porro improbos quoſque ſtatutas pœnas ſubire, ſibi perſuadeant, ſi forte deliquerint, ſe flagitiorum impunitatem minime aſſecuturos; qua de re crimine damnati non in locis ſemotis, aut occultis, ſive intra carcerum latebras, ſed in aperto, & palam, in omnium ſcilicet conſpectu puniuntur. Sed heic magno animorum æſtu diſputant juris publici Scriptores, poſſit ne Princeps aliquando pœnas remit-

Digitized by Google

mittere, necne. Tu pancis sic habe: sanciri pœnas ad rei emendationem, atque pro publica utilitate, ne & ceteri nequiores fiant, explorati juris est. Quid igitur, si ea sit præteritæ vitæ consuetudo, moresque, ut quantum conjectura assequi possumus, facile perspiciamus, reum si culpæ pœnam effugiat, ad pristinam integritatem, innocentiamque suopte ingenio rediturum, ac novæ virtutis exemplum universæ reipublicæ fore? Non ne pœna hæc, atque animadversio sine causa erit? Quid, inquam, si tot, tantaque sint delinquentis in patriam collata beneficia, ut majora sint ea utilitate, quam ex pœnarum exemplo capere posset? Non ne frustra erit pœna ejus? Quid denique si crimen sit ita occultum, ut vix perpaucis pateat, atque ex adverso tanta spes patriæ affulgeat, ut expediat magis vitam servari incolumem, quam adimi? Non ne poterit Princeps pœnas condonare? Ex his, quæ veluti per saturam collegimus, intelliget sane lector, quantum veritati consonum sit, quod ante præfatus sum, jura civilia ab jure naturæ lucem, eamque non minimam fœnerari.

§. II.

De necessitate scientiæ juris naturalis, in definiendis contractuum obligationibus.

QUam æque sapienterque de criminibus fiant judicia, si a principiis juris naturalis depromantur, jam ostendi. Nunc autem quum ad civiles contractus oratio decurrat, eamdem juris naturalis necessitatem, ad dirimendas eorumdem controversias, qua par est brevitate, sum probaturus. Et quidem nulla juris civilis impeditior pars est, & Pragmaticorum quæstiunculis turbatior, quam hæc contractuum. Omnia autem expedita sane fient, si res a jure naturæ proficiscantur. Ne vero ullam confusionem gignat tam late patens argumentum, præ ceteris omnibus, ea tantum contractuum genera delibare in animo est, quæ ad emptionem venditionem, utpote in hominum societate frequentiorem, spectant; ut in his unis lucu-

Digitized by Google

culentiſſimum veluti exemplar proponam, ex quo leges etiam iſtiuſmodi a puris fontibus repetendas, quivis intelligat.

Jus naturæ in contractibus oneroſis id precipit, ne quid voluntati contrahentium diſſentiat, nec non ſarta tecta ſemper ſervetur æqualitas; atque hoc tum ex illa contrahentium voluntate, præter quam omnia in caſſum fiunt, quam ex natura ipſiuſmet contractus, exploratiſſimum eſt. Qui enim dat, ideo dat, ut tantumdem ab altero recipiat. Qua de re manifeſte ſequitur, in emptione venditione exactam inter contrahentes intercedere viciſſim æqualitatem, ſcilicet re pretio, & pretio ipſi rei omnino reſpondente: ſpectatis tamen rei ipſius qualitatibus, ratione nempe habita ipſius contractus conditionum, quæ vel augent, vel minuunt rei pretium. Verum ne credas æqualitatem hanc in ſolis rebus ſpectari; nam & qualitas ſive phyſica, ſive moralis contrahentium, & modus ipſe ineundi contractum in trutina poni debet, ut plane perſpiciatur, interceſſerit ne inter eos in contrahendo æqualitas, nec ne. Ad qualitates contrahentium ſpectat, ſi major cum minore contrahat, ſanus cum furioſo; ad modum vero contrahendi, ſi alter neceſſario contrahat, alter autem libere. Itaque ex his omnibus colligitur, contractuum æqualitatem, jure naturæ attento, in rebus ipſis, in perſonis contrahentium, atque in ipſo contrahendi modo verſari. Atque hæc, quibus ſane parere debemus, naturalia, & ſimplicia principia ponenda ſtatui, ut Pragmaticorum hac de re quæſtiones facile, atque enucleate ſolvantur. Age vero rem preſſius videamus, & experiamur, quam expedita omnia ſint, ſi a jure naturali arceſſantur.

Dixi quidem rem debere eſſe æqualem pretio. Ea de cauſſa neceſſe eſt, ut venditor rei venditæ vitium, non obſcure, & per ambages verborum, ſed aperte, diſtincteque aperiat: minoris enim res emta fuiſſet, ſi ejus vitium palam feciſſet. En igitur contractum irritum, ex non ſervata æqualitate. Sed quid ſi contractu perfecto, ejus detegatur conditionis res empta, ut licet, quo tempore contractus initus eſt, ab ambobus vitium ignoraretur, ſi tamen patuiſſet, minoris ſtetiſſet? Contractus hic ratus, an vero irritus? Subducatur,

nec

Digitized by Google

nec ne tantum de pretio, quantum neceſſe eſt, ut ſua æqualitas ſervaretur? Quæſtio hæc facili negotio definietur, ſi ipſorum contrahentium voluntas ſpectabitur. Nam ſi merx eo vitio laborare detegatur, ut uſui prorſus non ſit, propter quem empta eſt: contractus profecto nullus erit cenſendus, ob voluntatis ſcilicet defectum in emptore, qui ſane empturus non fuiſſet, ſi vitium iſtiuſmodi cognoviſſet. Contra vero ſi merx, quamvis vitioſa, uſum tamen aliquem præbeat; tunc enim rata eſſet venditio, & actione quanti minoris tantum ageretur, quum jus naturæ nolit aliquem cum alterius damno locupletari.

Verum non abs re fuerit huc afferre eam quæſtionem, quæ priſcos Philoſophos, quum de utili, & honeſto agerent, in partes diverſas diſcidit: nempe, an venditor honeſtate ſervata, poſſit conditiones celare, quæ quamquam merci non inhæreant, patefactæ tamen pretium minuerent. Nempe confert ſe quis Romam ad vendendum frumentum, ſciens naves bene multas in curſu eſſe, quæ frumentum advehunt; quarum adventu frumenti pretium vileſceret; an id emtori a venditore patefaciendum? Ajebat Antipater; negabat Diogenes ejuſdem magiſter, magnique nominis Stoicus, ut Cicero memoriæ prodidit lib. 3. de officiis cap. XIV. At mihi Diogenis ſententia arridet. Injuſtum quippe minime eſt, non detegere emtori id, quod mercem ipſam non attingit. Num enim hoc pugnat cum ejus jure, qui cum negotium eſt? Quum venditor dicere potuerit, (ut de ejuſdem Diogenis ſententia ſcribit Cicero): *Advexi, expoſui: vendo meum, non pluris, quam ceteri: fortaſſe etiam minoris, quum major eſt copia; cui fit injuria?* Sed porro pergamus.

Quum autem jus naturæ præcipiat inter contrahentes æqualitatem ſervari, cur Pomponius reſpondit, licere naturaliter contrahentibus ſe invicem circumvenire? Num naturæ jus indulget aliquando fraudi, quod ubique jubet bonam fidem ſervandam? Mirum eſt quot, & quanta in hoc Pomponii reſponſo excogitaverint Interpretes, quorum longioribus commentariis miſſis, brevi rem ſic expedio. Commercii favore condonanda eſt illa læſio, quæ tantula ſit, ut ex conjecta

Digitized by Google

contrahentium voluntate remissa intelligatur. Quando enim esset litium finis, si ob læsionem vel minimam, contractus ad irritum caderent? Fit igitur commercii gratia, ut contrahentium voluntatem ita interpretemur, ut modica læsio remittatur ex ipsamet contractus vi, per quam id agitur, ut venditor pluris venditet, emtor vero minoris emat; atque hoc est, quod per vocem *naturaliter* a Pomponio præfertur, scilicet singularis illa proprietas, & natura emtionis, venditionisque contractus, in quo ita contrahentes sese gerunt.

Itaque tum ex naturali hujus contractus proprietate, quam ex caussa avertendarum litium, factum est, ut contractus hic non rescindatur, nisi ob læsionem ultra justi pretii dimidium, ut habemus in *l.* 2. *C. de rescindenda venditione*. Sed quando huc incidimus, ubi acerrimis contentionibus inter se doctissimi quique digladiantur Interpretes, videamus & nos, an quæstio, quæ prima quidem facie tenebris videtur obducta, puris putisque juris naturalis principiis dirimi possit. Scilicet tota concertatio huc redit, num legis hujus indulgentia utrique contrahenti, nedum venditori tantum prosit. Magnus Cujacius, qui sane instar omnium est, unum venditorem beneficio hujus legis juvari contendit, neque id ad emtorem proferri, quum ingens inter utrumque discrimen intercedat. Sed quantum a vero vir præclarissimus aberret, naturalis ratio nos docet; nam licet emptor, ac venditor in caussa contrahendi longe inter se distent, quum alter plerumque ob rei domesticæ angustias vendat, alter vero ad augendas res suas emat: ambo tamen ad id unum attendunt, ut quod æquum est, sibi quisque paret, venditor scilicet pretium rei æquale, & emtor ex adverso rem, quæ ipsi pretio respondeat. Qua de re quum uterque eumdem respiciat finem, nimirum æqualitatem rei, & pretii: utrique æquum jus statuendum fuit. Atquae hæc de æqualitate servanda in rebus; transeamus porro ad eam, quæ in ipso contrahendi modo, atque in personis ipsis contrahentium spectanda est.

Quum contractus liberæ hominum actiones sint, seu actus voluntarii; atque actus voluntarius non solum a voluntate, ve-

Digitized by Google

verum etiam a recta ratione proficiſcatur: hinc ſequitur, in ipſo etiam contrahendi modo neceſſariam eſſe æqualitatem, ut ambo ſcilicet ſint mentis compotes, & voluntatis libertate gaudeant, hoc eſt intelligant, velintque id quod agunt. Sed ſic etiam homini deeſſe voluntarium cenſetur, ſi doloſis conſiliis, fallaciiſque ductus, contractum ineat; adeo ut veluti per inſidias captus, bene ſibi conſuluiſſe putet, dum jacturam rerum ſuarum facit. Hinc regula probata eſt, jure naturæ contractum dolo initum fruſtra eſſe. Non tamen ignoro, jus civile ſecus ſtatuiſſe, nempe iſtiuſmodi contractum jure ipſo valere: exceptionis tamen ope infirmandum, ea adhibita diſtinctione, dolus ne inciderit, an vero dederit cauſam contractui. Sed hoc civili rationi, quæ litium ambages, quantum fieri poteſt, averſatur, tribuendum eſt, non vero naturali juri; nam quum dolus ſive incidens, ſive cauſſam afferens contractui, mentem decipiat, atque ideo voluntatis conſenſum auferat, a quo veluti naturali principio actus voluntarius manat: contractus hic, quomodocumque doloſe initus, pro nullo habendus eſt, utpote natura ſua deſtitutus.

Verum mens animuſque non ſemper alieno dolo, atque inſidiis intercipitur, quum ſæpe decipiatur aliquo naturæ vitio, veluti furore, ebrietate, vel pupillari ætate. Quare ſi cum hominibus hiſce vitiis laborantibus contrahatur, hi contractus plane irriti quoque erunt, quia judicii non intercedit æqualitas. Sed quid de obligatione minoris? Pollet quippe hic judicii vi, licet ea tanta non ſit, prout in majori ætate. Erit ne ejus obligatio firma, & conſtans? Hic publici juris interpretes controverſiam dirimendam autumant ex ipſamet minorennis conſuetudine. Videndum enim qua ſe in rebus domeſticis prudentia, & ſagacitate gerat; nam ſi bene, ſapienterque rebus ſuis conſulat, legitimam ejuſdem obligationem pronunciant: ſi ſecus, infirmam aſſerunt; culpæque tribuendum, quod contractum ſit cum adoloſcente inconſulto, atque imperito magis, quam cum frugali, & conſtanti viro.

Sed ſicuti mens errore, dolo, inſidiis, vel aliquo naturæ vitio circumveniri poteſt: ita voluntatis libertas neceſſitate aliqua, vel metu illato coacta impeditur, ne facias, quod

velis, atque urgetur, ut agas, quod nolis; propterea juris naturalis regula hæc eſt, contractum initum neceſſitate, aut metu contrahentibus illato, ex defectu voluntatis eſſe nullum. Haud me quidem præterit, juris civilis peritos propè inter ſe congruere in hoc, ſcribentes contractum hunc ratum eſſe jure, & tantum exceptionis opę vi ſua deturbandum, ea ſane permotos ratione, quod, quum voluntas coacta voluntas etiam ſit, contractus rite per eam perfici poſſit. Sed hæc eorum nimium ſubtilius excogitata ratio, ex Stoicorum quidem deprompta eſt penu, non ab ipſo naturæ jure deducta. Hoc enim quum conſtantem uſque æqualitatem præcipiat in contractibus, ita ut omnia æqua ſemper lance procedant: obligationem nullam agnoſcit, niſi a libera utriuſque voluntate gignatur. Quod quum ita ſe habeat, num quis probabitur contractus, ad quem ineundum alteruter non niſi vi, & metu adigitur? Si metum inferenti jura faverent, actionemque licet exceptioni obnoxiam darent, non præmium is ex fraude ſua referret, verum & ſublata omni æqualitate haberemus contractum ſine alterius voluntate. Itaque quum in contractu per vim, & metum inito, ab altera parte deſit voluntas, atque adeo deficiat illa æqualitatis ratio, quam naturale jus in hac re, quam maxime præcipit; nihil ab origine ſua erit ratum, ſed omnia fruſtra, omnia irrita. Vide ex his, quanta lux civilibus legibus ab jure naturæ adfunditur.

§. III.

De lege Rhodia.

HActenus quidem, inſitarum veluti rationum momentis, oſtendimus, quam fulgentiſſima juri civili fax ſit jus naturæ. Nunc vero, ut res luculentius appareat, exemplis id ipſum comprobabimus. Sed cogitanti mihi, quid in jure civili perplexum magis ſit, quod tamen juris natutalis ope extricari poſſit, ſtatim quidem lex occurrit ad legem Rhodiam de jactu; ad cujus ſane interpretationem quot quantaque cumulaverint Cujacius, aliique integrioris judicii Doctores,

Digitized by Google

res, mirum est; sed in cassum profecto omnia, quum in ejus mente exploranda jus publicum ab historia sejunxerint. Ad rem igitur & nos accedamus.

Eudæmon Nicomediensis mare Ægæum, & Icarium per scopulosa, & infesta admodum ingressus, navim mercibus onustam misere fregit. Jactatæ itaque res procellarum vi ad maris littora, fuerunt direptæ a servis publicis, qui Cycladum insularum maritimæ custodiæ erant addicti; sed ille hac de re apud Imperatorem Antoninum conquestus, ut sibi res suæ restituerentur, supplex petit. Responsum autem accepit, negotium hoc maritimum ex lege Rhodia definiendum, quatenus nulla Romanarum legum adversetur. Hic Cujacius responsi rationem vestigans in adnotationibus ad Paulum *recept. sentent. lib. 2. tit. VII. ad legem Rhodiam*, satis habuit scribere, recte ita respondisse Antoninum, quoniam tacito tunc omnium consensu, quotquot de re maritima inciderent quæstiones, legibus Rhodiis definirentur. Noverat vir summus, quantæ turbæ, inter doctos tunc temporis viros, excitatæ erant de dominio maris. Quare ne se quoque in has trivias conjiceret, satius duxit nobis obtrudere, legem Rhodiam maritimum imperium usurpasse. Sed quum lex hæc superiori sæculo viros egregios exercuerit, atque inter hos Hugonem Grotium, & Joannem Seldenum, non absre puto futurum, si & nos pro virili in ea enucleanda, causam ante omnia exquiramus, quapropter primævi homines a rerum communione recesserint; quum ex hac rerum divisione non modica lux huic de dominio, & imperio maris quæstioni adspergatur.

Priscos olim homines in rerum communione vixisse, res est tam veterum, quam recentium opinione usurpatum. Sed eorum aucta multitudine, communis hæc vitæ consuetudo explosa est, ne si inter se omnia communia essent, quum haud omnibus pro cujusque cupiditate satis esse viderentur, usus cuiquam tandem deficeret. Stabilibus his jactis fundamentis, nempe prisca rerum communione, & earum deinde divisione, ne cui quid deficeret, si illa communitas, & societas vitæ permansisset: controversiam hanc ceterum perdifficilem, ac perobscuram de maris dominio, facile, meo quidem judicio, dirimemus.

Sunt

Sunt quidem in mari commoda ſexcenta, nec ſane exigua, quæ juris publici peritis placuit alia exhauſti uſus, alia vero inexhauſti nuncupare. Quumque hæc non poſſint deficere, ſi ſint indiviſa, illa vero contra: colligendum ex primorum hominum mente, mare non fuiſſe alieno dominio ſubjectum, niſi earum utilitatum cauſa, quæ exhauſti uſus appellantur. Nam quis ſanæ mentis ſibi perſuadeat, maris dominium per primos homines uſurpatum, eaque communia naturæ commoda aliis omnibus per injuriam prærepta, quæ profecto per uſum quemcumque exhauriri nequeunt? Non ne ita ſuſpicari naturalis ipſa ratio vetat?

Verum nolim te fugiat, diſcrimen hoc uſus exhauſti, vel inexhauſti, nonniſi ſuſcepto maritimo commercio invectum. Tunc enim quo tutius, aptiuſque iter per cujuſque regionis mare pateret, tantum maris cujuſque gentis uſui ſtatutum, quanta ejuſdem regionis ora ipſa eſſet, quæ a fluctibus abluitur. Præſcripto hiſce finibus maris dominio, cœpit deinde de eo ſtatui imperium, tum ut una quæque gens jura commercii conderet, tum ut crimina in mari patrata puniret. En igitur ſolutam quæſtionem hanc de dominio, & imperio maris ſecundum publici juris dictata. Sed heic evellendus ſcrupulus, qui cuique injici fortaſſe poterit, num in dominio, atque imperio erit mare, quod neque totum, neque per partes poteſt poſſideri? Anne poſſideri poterit, quod uſque fluit, & labitur, quodque ne puncto quidem temporis manet idem? Verum non eſt, cur ad dominium adquirendum rei poſſeſſio per omnes partes deſideretur; ſatis enim erit, ſi per partem poſſideatur, neque profecto aquarum fluxus poſſeſſioni huic maris impedimento erit; quandoquidem nec eadem impedit, quominus flumina dominio ſubjiciantur. Atque ex his habes jam, niſi me ratio fallit, quæſtionem, ſalebris quamvis horridam, in viam apertam deductam. Sed quid hoc ad legis intelligentiam? Maxime inquam; nam ſine maris dominio, quod ex jure naturæ inveniendum erat, maritima nulla lex eſſe poteſt. Non ne fruſtra de lege Rhodia ſermo eſſet, ſi nulla Rhodiis poteſtas fuiſſet, leges de maritimo commercio ferendi? Sed penitus legem ipſam inſpiciamus: & quoniam ſupra tradi-

Digitized by Google

didimus juris naturæ ſcientiam cum rerum hiſtoria copulandam, ad jus civile plane intelligendum: hiſtoria ipſa ejus legis enarranda ante omnia eſt, ut ex ea cum naturali jure conjuncta, omnia felicter procedant.

Rhodii ob rei maritimæ cognitionem, qua maxime excellebant, priſca jam inde ex memoria, leges bene multas condiderunt, quibus nautica omnia, &, quotquot in mari contingerent, controverſiæ, deciderentur. Verum illarum legum exolevit uſus, poſtquam Romana Reſpublica Rhodios in ſui poteſtatem redegit. Sed Imperator Claudius libertatem iis reſtituens, voluit priſtina jura ſua de re maritima reſtituta, quæ adeo ei æqua viſa ſunt, ut juſſerit item controverſias omnes, quæ inter ipſos Romanos de negotio maritimo oriebantur, ſecundum Rhodias leges dirimi.

Ita re a Claudio conſtituta, certi juris erat, controverſiam Eudæmonis, quum eſſet de re maritima, ex Rhodiis ſtatutis definiendam fuiſſe. Sed cur Eudæmon hic ſupplicibus precibus ab Antonino petiit, ut ſibi bona ſua poſt naufragium ad litus ejecta, atque a publicanis direpta, reſtituerentur? Non ne ipſe Antoninus legem vulgaverat, ut furti pœna tenerentur, qui hujuſmodi bona occupaſſent? Hinc Eudæmon de hac re apud Provinciæ Præſides quum potuiſſet vindicias poſtulare, quæſtio enaſcitur, cur his prætermiſſis, ad Principis confugerit oraculum. Id enim tum licuiſſet, quum res eſſet anceps adeo, ut inter jus, & æquitatem opus eſſet interpretatione; ac neque ex verbis legis, neque ex mente ejuſdem poſſet quid certi definiri (*a*). Quod hic quidem opus non erat, quum, ut ſuperius tradidi, res ex conſtitutione ejuſdem Antonini explorata ſatis eſſet, ex qua furti pœna tenebatur, qui hujuſmodi bona mari ſubmerſa occupaſſet. Verum hic rurſus opus eſt hiſtoria.

Tradiderunt Plinius, aliique veteres Scriptores (*b*) Nicomediam ob commercium maritimum fuiſſe Urbem principem totius Bithyniæ; atque inde mercatores ſolventes per Ægæum

(a) *L. 2. C. de leg. & tit. de relatio. Cod. Theod.*
(b) *Strabo lib. X. & XIV. Plinius lib. IV. cap. 2.*

Digitized by Google

Ægæum, & Icarium mare in Delum insulam metropolim Cycladum, se conferre. Verum quum hæc loca ubique scopulis, syrtibusque impedirentur, prædonibusque undique paterent, utpote opulentis vectoribus frequentissima, necesse fuit portus constituere, quo mercatores tempestatibus acti confugerent, & militares custodias, ut ab excursionibus prædonum securitas pararetur. Qua de re quum hæc omnia fieri non possent, nisi ingenti pecunia per unamquamque Civitatem erogata: idcirco institutum fuit, ut a mercatoribus vectigal, portoriumque aliquod exigeretur. Sed quoniam lex Rhodia vectigal illud solvendum jusserat indefinite, eadem lex visa quidem fuit complecti adhuc speciem, si quando mercator suarum mercium per naufragium pateretur jacturam. Hac sane de causa publicani Eudæmonis bona pignoris loco abstulerant, nempe ut vectigal illud pensitaretur. At vero isthæc lex, sic universim intellecta, cum æquitate naturali pugnare videbatur. Cur enim vectigal illud pendendum ab eo, qui lucrum nullum de mercibus suis referret?

Qua de re Eudæmon non Principem rogavit, ut res sibi suæ restituerentur, quarum nulla sane erat controversia: sed tantum ut vectigal illud sibi indulgeret, quod ex verbis ipsis nimium quidem generalibus legis Rhodiæ servi Civitatis exposcebant. Nam sive tributum pro mercibus maritimis pensitatur, ut scilicet mercatoribus tutum per mare iter paretur: sive quia æquum est, ut qui a mari dominio meo obnoxio lucrum percipit, de lucro ipso, usu rei meæ ei obveniente, mihi symbolam conferat: nequaquam sane par erat, ut Eudæmon vectigal penderet, quando lucellum nullum ex mercatura sibi fecerat; imo potius damnum maximum ab naufragio retulerat. Qua de re quum lex scripta cum naturali ratione confligeret, Eudæmon ad Principis confugit oraculum, ut publicani ei restituerent bona sua, nullo penso vectigali, quod licet lex scripta jubere videretur, manifeste tamen æquitas ipsa renuebat. Itaque Princeps respondit, lege id Rhodia judicandum, quatenus jus Romanum non adversaretur; hoc est, ut Eudæmon jus suum persequeretur apud Provinciæ Præsides, qui, jure Imperialium

Con-

Digitized by Google

Conſtitutionum ſuadente æquitate, abrogabant omne id, quod vel a lege Rhodia ſtatutum parum humanitati videretur conſonum: vel ab eadem non adhuc expreſſe definitum, ſed interpretatione inſtitutum, tamen ab ipſa æquitate recederet. Nam licet fuiſſet ea lex a jure Romano comprobata: in ſpeciebus tamen, in quibus videretur iniquior, jus Romanum ſervandum erat. En igitur quantam vim habeat juris publici ſcientia, atque hiſtoria. Horum ſane ductu, atque auſpiciis legem denſa caligine obductam, ſplendidiſſima luce illuſtravimus. Propterea copuletur oportet ſcientia juris naturalis, & rerum hiſtoria, ut ratio civilis e ſua ſtaturigine depromatur. Dum hæc ſcribimus, in lucem prodiit egregium opus Stephani de Ferrante, qui univerſum jus naturale Poemate elegantiſſimo contrahit; ex cujus lectione plura ſcitu ſane digna comparari poſſunt.

CAPUT II.

§. I.

De civili Romanorum Imperio.

HActenus rationibus, atque exemplis neceſſitatem juris publici ad ſcientiam juris civilis comprobavimus. Nunc vero ſubſidium alterum aggredimur, nimirum quod omnium eſt maximum, hoc eſt cognitionem civilis regiminis formæ; cui ſane jura quam maxime congruere, neminem præterit. Itaque quum jus Romanum e ſuis fontibus haurire animo conſtituerim, id omnino eſt neceſſe, ut ex vetuſtatis latebris eruam Romanæ Reipublicæ formam; ut ea adprobe illuſtrata, poſſim ejus ortum, & progreſſum, veluti a prima origine deducere; atque hinc convenientiam promere, quam civilia jura cum forma regiminis Civitatis habent. Neque enim Romanum jus ſub Regibus explorari ullo pacto poteſt, niſi prius formam Romanæ Reipublicæ ſub eiſdem Regibus ſedulo perquiram. Verum quum hæc Imperii Romani forma, de qua nunc nobis ſermo eſt, prima fuerit, ſub qua Romana Civitas, velu-

Digitized by Google

ti ab incunabulis ſuis coorta: hinc opus eſt aliqua univerſim de origine Civitatum, de multiplici earumdem imperio, ac de legibus ſocietatis præfari; ut per harum rerum notiones, veluti per quoſdam fontes, lector poſſit cauſas Romani juris attingere, atque adeo congruentiam illam pernoſcere, quam priſcum Romanorum jus habuit cum forma ejus regiminis, quod per Reges conditum fuit, atque inſtitutum.

Priſcos homines in ſtatu naturali, per familias ſeorſum vitam ſuam egiſſe, neminem latet. Verum receſſerunt ab eo vivendi genere, ſtatim ac fuerunt numero aucti; nam quum alii in alios dominari, ſibique invicem naturalem libertatem eripere vellent: hinc profecto contentiones ſuſcitatæ ſunt, hinc mutuæ cædes, ſtrageſque. Quare quum nemo ab alterius inſidiis tutus eſſet, remedia excogitarunt, quibus pax tandem repararetur, & ſua cuique libertas ſarta tecta ſervaretur. Sed præſidium nullum ſibi tutius occurrit, quam vires ſuas mutuo conjungere, quibus adverſus aliorum cupiditates ſe ſe munirent; quare ſtatu naturali relicto, alter alterius poſcentes opem, amice conjurarunt, ac veluti in corpus unum coivere; atque hinc primarum Civitatum origo. Verum quia nulla civilis ſocietas poteſt diu manere, ſi unicuique civium jus eſſet facere, quod ipſe privato conſilio, bono publico exiſtimaret conducere, quum diverſitas judiciorum, & voluntatum conflictus inter homines impedimento ſint, quo minus res ad liquidum perducantur: hinc priſci illi homines, qui Civitates efformarunt, vires, voluntateſque ſuas concorditer ſociatas uni ſubdidere, ut illius voluntas talis haberetur, ac ſi eſſet totius Civitatis, omneſque exequi tenerentur, quod ille præciperet, ob publicam utilitatem. En igitur quomodo ex hac virium, atque voluntatum conjunctione civile imperium obortum fuit. Quoniam vero aut ab uno, aut a cuncta Civitate in concilium coeunte, aut a paucioribus poteſt exerceri Imperium: perſpicuum eſt in tot ſpecies diſtribui civilem imperii formam, quot ſcilicet ſunt modi, quibus Civitas regi poteſt. Itaque ſi unus ſit, qui imperet in Civitate, regimen ejus erit monarchicum, ſi pauciores ariſtocraticum, ſi vero univerſa Civitas per comitia congregata rem publicam gerat, democraticum appellabitur.

Ex

Digitized by Google

Ex his, quæ hactenus diximus, jam habes civilis imperii originem, ejusque formas varias. Expendendæ nunc sunt rationes, quibus condita jam Civitas longissimum in ævum perdurare possit, ac vivere, quantum humanarum rerum conditio patitur. Quemadmodum corpus humanum tunc sanitate pollet, quando ejus membra capiti congruunt: ita civilis societas tunc ad optimum statum adducitur, quum in communem aliquem sensum Cives conveniunt, scilicet ut communem singuli utilitatem propriæ cujusque præferant; illumque teneant pro bono publico vivendi modum, quem Princeps præscribit, imperatque. Sed quum hominis voluntas non possit, nisi aliquo externo signo dato innotescere: hinc necesse est, ut Princeps hanc suam voluntatem, latis legibus, subditis ostendat. Ex quo fit, ut leges civiles nil aliud sint, quam ipsius Principis voluntas explicata pro norma, quam in vita civili Cives debeant persequi.

Verum quum hæc communis utilitas pendeat a forma regiminis Civitatis, atque in hoc potissimum versetur, ut moralis civium vita imperii formæ congruat adeo, ut aliud illa non sit, ac ipsummet civile imperium, per actiones morales civium obsequentium explicatum, atque exercitum: hinc prono alveo deducitur, non posse intelligi prorsus civilia jura, nisi a forma imperii ea solerter depromantur, quum nil aliud sint, inquam, præterquam ipsissimæ Civium actiones, formæ civilis regiminis ad amussim accommodatæ.

Qua de re errant quam maxime, qui credunt posse scientiam juris civilis assequi, non explorata prius forma imperii, quod in Civitate viget. Verum quum Imperium possit esse multiplex, nempe vel democraticum, vel monarchicum, vel aristocraticum, atque adeo jura civilia alia alii formæ aptentur: sequitur ex hoc, sicuti superius laudatæ Imperii formæ differunt inter se quam maxime, ita civiles leges, quæ sub unaquaque civilis regiminis forma conduntur, longe inter se distare. Itaque in legibus exteræ alicujus Reipublicæ usurpandis, atque ad nostram transferendis, videndum ante omnia, solerterque investigandum, historia duce, an in forma regiminis ambæ conveniant. Absurdum enim est ea jura,

Digitized by Google

quæ in Reipublica democratica condita ſunt, aptare litibus dirimendis, quæ in Civitate ariſtocratica ſuſcitantur. Nam non eſſet hic legum uſus conducibilis, attenta legislatoris mente, atque ipſarum ratione, ſed confuſio potius omnium maxima legum, ad contraria detorquens ſenſum, ac pervertens rationem. Hinc quum Romana Reſpublica civilibus diſſentionibus mota & agitata, per omnes imperii formas decucurrerit: jure merito a doctioribus interpretibus admonemur, ut Romana jura per ſua quæque tempora ſedulo expendamus, ut inde illorum congruentiam cum forma imperii, ſub quo fuerunt inſtituta, intelligere poſſimus. Quod ut magis pateſiat, compertumque reddatur, de ſtatu Romanæ Reipublicæ breviter aliqua præmittamus, quæ ſane frugi maximæ erunt iis, quæ infra dicturi ſumus.

Sane res Romana quum creberrimis fuerit agitata motibus, nil mirum ſi aliis temporibus, in alias Reipublicæ formas, aſſidua mutatione migraverit. Orta enim Reſpublica ſub regimine unius, atque a Romulo in ſumma juris æqualitate, concordiaque ordinum conſtituta, perque manus Regum inſequentium, ad Tarquinium ſuperbum uſque tradu&ta, ſub hoc poſtremo decidit in tyrranidem; quo de ſtatu per Brutum, & Valerium conſules erepta, tradita ſapientiſſimo conſilio fuit Optimatum, ſub imperio conſulari a Patriciorum tantum ordine ſuſcipiendo. Verum paulo poſt plebs Reipublicæ partem, a Patriciis ad ſe convertere civilibus ſeditionibus tentavit. Unde alios, atque alios in diem, per Tribunicium furorem, honores appetendo, Reſpublica adeo fuit perturbata, ut Conſolatus etiam, ſacrorum, itemque cum Patriciis connubiorum, atque ipſius Dictaturæ facta fuerit particeps. Qua de re quum plebs patribus par in muneribus eſſet, numeroque ſuperior videretur, facile fuit, ut vel ſenatum in ſuam adduceret poteſtatem: ex quo ſane oborta bella quamplurima civilia ſunt, Optimates inter, & populares, quæ Rempublicam miſere lacerarunt. Horum autem cauſſa illa quidem pretendebatur, ut communis libertas incolumis maneret; ſed revera ſub hoc ſimulato obtentu, qui plus virium haberet, is communem libertatem funditus evertere

Digitized by Google

tere ſatagebat. Ita Graccorum factiones, Marii, & Syllæ, Cæſaris, & Pompeii Rempublicam vexarunt, irruentes in eam, veluti in prædam hoſtilem, quæ ad ſedanda, viſa tandem fuit magis e Reppublica dominatio unius; ut civium impotentium cupidiras coerceretur, quorum factionibus libertas everti, atque labefactari videbatur. Itaque res tandem devenit ad unum, ſcilicet ad Octavianum Anguſtum, qui ſub nomine Principis accepit Imperium, & prudentia ſua cuncta diſcordiis civilibus feſſa componens, publicam uſque adhuc exagitatam reſtituit tranquillitatem.

Hinc ſane, ſi jus civile a forma imperii depromendum: habueritque Romana Reſpublica alias aliis temporibus formas imperii: fatendum eſt ad intelligendum jus Romanum, neceſſariam apprime eſſe hiſtoriam, non illam quidem, quæ, nulla temporum habita ratione, res enarret: ſed eam profecto, quæ per ſua quæque diſtributa tempora legum cauſas promat; nempe quo tempore, quo in Reipubiicæ ſtatu, ob cujus dominatum augendum, vel minuendum, ad quos Populi mores corrigendos, cujuſnam potentia ut coerceretur, neve ex Patriciis quis, aut ex plebeis Reipublicæ potiretur, lex fuerit perlata. Ita enim his præmiſſis, leges expendendo, non verba tantum, ſed mentem earum, rationemque tenebimus.

Verum non ſolum Imperii Romani forma, inſtituta ſub Regibus, procedente tempore ſub Conſulibus ad maximas incidit viciſſitudines, ſed etiam penitus fuit immutata ſub Anguſto, Conſtantino, ac Juſtiniano. Sub Anguſto quidem ob inſtitutam monarchiam, licet ſpecie priſtininæ libertatis reſtituendæ Civibus: ſub Conſtantino deinde ob labefactatam paganorum philoſophiam, cui primævum Romanorum jus innitebatur; ſub Juſtiniano demum, qui omnia prope nova, Triboniano Duce, in jus civile invexit. Propterea mihi ex forma Romani Imperii jus civile exploranti, neceſſe maximopere eſt, ut viciſſitudines Romani juris, pro varia Imperii forma oſtendam, percurrendo juriſprudentiam illam, quæ fuit ſub Regibus primum, deinde quæ invaluit ſub Auguſto, tum quæ ſub Conſtantino inolevit: poſtremo illam, quæ fuit per Juſtinianum inſtituta; ut ex his omnibus

Ro-

Digitized by Google

Romani juris varietatibus colligat lector, civilia jura formæ imperii adeo congruere, ut ejusdem forma mutata, necesse quam maxime fuerit & aliud jus condi, atque oboriri.

§. II.

De forma Romanæ Reipublicæ a Romulo institutæ, ejusque jure.

QUænam fuerit forma Romanæ Reipublicæ a Romulo statuta, ob rei vetustatem, haud facile est definire. Qua de re circa hoc dicam, quæ doctissimus rerum antiquarum Halicarnassæus posteris scriptum reliquit, ut ex his possimus aliquid, saltem conjectura verisimili, assequi. Itaque Romulus quum multitudinem quamdam, imo potius colluviem ex omni hominum genere, liberorum scilicet, & servorum, nobilium, & rusticorum potissimum, pauperum, & divitum, coegisset, eam imperii formam condidisse opus fuit, quæ agresti illi maxime hominum generi posset optari, non vero eam, quæ sane fuisset omnium pulcherrima, qualis est Monarchia, quæ a Platone præ ceteris imperii formis commendatur. Subdit autem idem Auctor, Romulum Thesei exemplo, qui omnium prior Populum Athenienſem ad Civitatis formam redegit, Romanum Populum in tres partes divisisse, easque postquam in triginta Curias partitus esset, earumque cujusque instituisset principem, Decurionem nuncupatum, ex cura, quam in suam quisque curiam haberet, iisdem ostendisse quos Deos colere deberent. Addit patricios, & plebeos inter se longo intervallo sejungisse: istis colendas distribuisse terras: illis vero Reipublicæ honores omnes, civiles nempe, & militares, sacros, profanosque contulisse, vetando ne horum ullo modo plebs particeps fieret.

Verum quia in omni Civitate par est, ut sit senatus nempe Concilium, ex sapientioribus inter cives, atque in re civili, post varios initos magistratus, peritioribus coactum, quod veluti mentem, & rationem in rebus gravioribus Civitas consuleret: hinc Romulus, ut & ipse Halicarnassæus scripsit, concilium hujusmodi instituit, in quod solos Patricios cooptavit, quos

Digitized by Google

quos tamen voluit esse selectos per suffragia Curiarum, quarum sane unaquæque ex seipsa tres deligeret. Hujus Senatus Romulus seipse Principem fecit, præcepitque ut in eo omnia negotia publica agerentur, nihilve referretur in comitiis ad Populi judicium, nisi Senatus præcessisset authoritas. Porro juris dicundi potestatem, sive de re pecuniaria, sive de plectendo crimine, sibi ipsi excepit, vel Senatu, vel Populo comitante, vel etiam per se unum agendo, quoties ita expedire judicaret. Hisce omnibus addit, sententiam suam, sive apud Populum, sive in Senatu de quacumque re prolatam, prærogativam ferre, quum ipse esset jam Senatus Populique Princeps. Itaque a Romulo distributis honoribus, judiciorumque forma præscripta, reliquum erat, ut statueret de jure ferendi leges, creandi Magistratus, indicendi bella, aut pacem conciliandi. Horum omnium potestatem ipsi Populo in comitiis a Romulo fuisse collatam, narrat auctor laudatus.

Ex quibus omnibus, a Romulo institutis, possumus colligere, quænam fuerit forma Romanæ Reipublicæ, quam ille condidit. Quoniam igitur jus creandi Magistratus, ferendi leges, componendi pacem, vel bellum inferendi, partes præcipuæ sunt absoluti, & summi Imperii: hinc quemadmodum si id in uno Principe, aut in pluribus residebit Imperium, foret monarchicum, aut aristocraticum, ita dicendum democraticum, quoties ab ipsa Populi multitudine, veluti in corpus unum coacta, exercetur. Quum igitur Romulus tantam potestatem Populo in comitiis congregato detulisset, in proclivi est colligere, Rempublicam democraticam eum condidisse. At inquies, quum ex Romuli institutione unis Patriciis munera omnia publica, atque honores deferantur, quod est Reipublicæ aristocraticæ: nequaquam dicendum democraticam eamdem esse, qua ex adverso, nulla habita generis, aut opulentiæ ratione, Patriciis æque, ac plebeis regimen civile impertitur. Fateor hoc ita esse; sed ut difficilis hic nodus expediatur, liceat mihi de democratia aliqua dicere, quibus penitius forma Romanæ Reipublicæ sub Romulo, ejusdemque civilia jura innotescant,

Duo sunt democratiæ genera, unum nempe democratiæ mo-

Digitized by Google

moderatæ, alterum vero mere popularis. De utroque videamus. Civitatis democraticæ mere popularis duæ ſunt notæ, nempe ut Cives omnes ex æquo liberi, & in vivendo eum teneant modum, ut unuſquiſque pro lubitu ſuo vitam degat. Ex hoc ratio promanat, cur priſci oratores, uti Iſocrates, Demoſtenes, ipſeque Cicero nil optarent magis, quam ſuorum Civium ex æquo libertatem ſervari in columem. Quum enim hi ſcriberent, atque viverent in ſtatu Reipublicæ mere popularis, nil mirum, ſi inter Cives æqualitatem ad libertatem ſervandam optaverint; inde enim fiebat ut honorum, & munerum ex æquo omnes participes eſſent, nulla habita generis, ordinis, ſtatus, opulentiæ, vel paupertatis ratione (*a*).

Sed juvat me, rei hujus enucleatius explicandæ gratia, quædam de hac Civium æqualitate, in ſtatu Civitatis mere popularis viventium, præfari. Eſt duplex hæc æqualitas, nempe vel arithmetica, vel geometrica; hæc publicis negotiis expediendis ſub imperio democratico aptatur, illa vero oneroſis rei pecuniariæ contractibus exequendis reſpondit. Ceterum ſi proportio hæc arithmetica, in Civitate democratica circa publica negotia tranſigenda, per vota Civium adhibeatur, ut quum jus ſuffragiorum par omnibus eſſet, atque in ſingulis quibuſque Civitatibus longe plures populares, quam Optimates verſarentur: patriciorum vota ab illis plebejorum ſuperarentur; ac proinde penes infimæ ſortis homines totum regimen, atque imperium eſſet. Atque hæc Civitas diceretur mere popularis, ubi nimirum negotia publica per Civium ſingulorum ſuffragia expediuntur, nullo habito patricios inter, & plebejos diſcrimine.

Altera nota Reipublicæ mere democraticæ, ſive popularis, eſt licentia, nempe voluntas illa ſuo arbitratu vivendi. Si enim ſervi ideo dicuntur eſſe in ſtatu ſervili, quia non ſuo, ſed alieno arbitrio vitam ſuam debent accomodare: dicendum contra liberos eſſe, qui ut eis adlubeſcit vivunt; dummodo tamen hæc eorum vivendi licentia contraria non ſit

(a) *Ariſtotil. cap. 2. politic.*

Digitized by Google

sit ipsi publicæ honestati. Hinc patet ex dictis, cur Scriptores rerum Imperii democratici definierint libertatem (a) per licentiam vivendi, habentes pro eodem utrumque; quia nempe illi in Imperio democratico erant mere populari, in quo ex æqualitate libertatis oriebatur vivendi licentia, sive æqualitas. Attamen quum procedente tempore, experientia rerum magistra satis docuerit, quæ, quantaque mala ex hoc liberrimo Civitatis statu progignantur: sapientiores politici vel hanc regiminis formam in primordiis Civitatum longe rejecerunt, vel si illam in Civitate jam formata invenerint, quam maxime conati sunt, ut paulatim, & sensim in melius converterent, scilicet in democratiam moderatam, si monarchiam non valerent instituere. Et merito hoc factitarunt; nam quæ in mala Civitas illa non incidit, labiturque præceps, in qua ita vivitur, ut religiosum, secretumque rerum publicarum arcanum ipsi etiam plebeculæ concredatur? Quam venalia forent judicia, si plebs, & pauperes controversias omnes judiciali sententia ipsi definirent? Propterea Sapientiores legislatores in Imperio democratico adeo se se gerunt, ut jura condant, quibus a statu populari recedatur, condaturque democraticum moderatum. Operæ igitur pretium facturum duco, si modum investigem, quem illi teneant, ut democraticum imperium moderatum instituant.

Sapientissimi igitur viri, ut consilium suum assequantur, seligunt primores Civitatis ingenuos, qui ætate, opibus consilio, auctoritate ceteros antecellant; iis Magistratus omnes, & divinarum, humanarumque rerum, totiusque Reipublicæ curam demandant. Ceteros vero jubent esse plebem, quam rerum publicarum minime participem, abducunt ad agrorum cultum, pastum pecorum, opificia quæstuosa, quam longissime a Civitate: tum ut habeant, quo vitam non inertem agant, tum maxime ut ob curam rei rusticæ, atque itineris longitudinem, perraro in Urbem se conferant, nullusque rerum novarum metus sit. Attamen quia in hac imperii forma, in qua honores solis patriciis conferantur, invidia sæ-

(a) *Cicero lib. 1. de offic. Plato de legib. lib... Hora. lib. 2. saty. 7.*

Digitized by Google

pe atrox inter illos, & plebem ſolet oboriri : ideo hoc ita ſapientes illi definiunt, ut licet honorum minime particeps plebs ſit, habeat tamen in honorum collatione ſuffragium, quo patricius non niſi ex voluntate plebis Magiſtratus conſequatur; ut hoc veluti libramento quodam plebs, & patricii ad concordiam quoquo modo ducerentur.

Attamen ex hac imperii forma metuimus ſane a Patriciis, nec temere quidem ; nam quum illi honoribus, & vi polleant, facillime poſſunt Civitatis formam, democraticam nempe in ariſtocraticam avertere, magiſtratu ipſe, qui apud eos unus reſidet, impunitatem facinoris pollicente. Quod quum Romulus ſenſiſſet, non ſine conſilio inſtituit, ut publicis in rebus res nulla rata eſſet patriciorum firmata ſententia; niſi foret deinde a Populo probata in comitiis ; & viciſſim ne quid ſtatueret Populus, niſi præiret Senatus authoritas, ut hac injecta æquatione inter plebem, & Nobiles, ad imperii firmitatem, neque hi, aut illa poſſent res novas moliri.

Verum hæc, quæ huc uſque diximus de varia imperii forma, deque mere populari, aut mixta democratia, facillime poſſunt nos manuducere ad introſpiciendum, quænam fuerit forma Romanæ Reipublicæ a Romulo inſtituta. Rem ſingillatim expendamus. Ille quidem honores omnes Patriciis contulit, licet præcedentibus plebis ſuffragiis, terras ſoli Romani ex æquo inter Cives, nempe Patricios, & plebem diviſit, præcepitque, ut illæ a plebe colerentur. Jus pacis, belli, legumque ferendarum ipſi populo, in publicis comitiis congregato, exercendum demandavit ; denique nil ſanciri in Republica liceret Senatus ſententia, niſi id ipſum demum juſſum a Populo in comitiis eſſet. Contra vero nihil referri ad Populi judicium, niſi Senatus præiviſſet authoritas. Colligas ex his oportet, formam Romanæ Reipublicæ ſub Romulo fuiſſe imperii democratici, ſed tamen moderati. Reliquum modo eſt, ut expendamus, huic Imperii formæ quænam jura publica, quæ autem privata congruant, ut priſcum Romanorum jus a ſua origine depromamus.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

De legibus publicis a Romulo inſtitutis.

JAm vero id imprimis facit ad moderatam democratiam (a), ut plebs extra Urbem ad agrorum culturam, ad paſtum pecorum, atque alia his ſimilia amandetur, ne intra mœnia opificium exerceat. Si enim operi intenta intra Urbem uſque verſaretur, timor profecto eſſet, ne res novas moliendo, negotia publica perturbaret. Futurum eſſet enim, ut & ipſa appeteret honores, quos videret tantum a patriciis iniri. Contra vero agro colendo dans operam, ruſticoque labori mancipata, non ſolum lucro iſtiuſmodi contenta civicos Magiſtratus non appetet, ſed etiam itineris longitudine retardata, atque deterrita Urbem faſtidiet; adeo ut ne comitiis quidem indictis accedat ad ea. Quo profecto quid optatius in hoc Reſpublicæ ſtatu? Quo enim minor plebejorum numerus in ferendis ſuffragiis, eo ſuperior Patriciorum ordo a comitiis diſcedit, publicaque quies tutior. Hinc ratio intelligi poteſt, cur Romulus plebem abduxerit a Civitate ad colendos agros, arteſque mechanicas vetuerit; hinc tot tantaque præmia in Rebuſpublicis democraticis; hinc tanto honori habita eſt agricultura, ut patriciis etiam, functis honoribus vel conſulatus, ſolemne fuerit rus ſe conferre, quo pretium fieret huic vitæ generi, quod amplecti, ſectarique optimates ipſi non dedignabantur. Fuit etiam Romæ in more, ut Tribus ruſtica præferretur Urbanæ. Quod ſane tunc factum, quum plebs urbana nimium aucta eſt, ut ejus numerus minueretur, ne tanta multitudo periculo eſſet: neve patriciorum quietem interverteret. Hac enim ratione allecti Cives ab Urbe ſe ultro rus, agri colendi gratia, conferebant.

Sed potiſſimum ad democratiam pertinet, ut inter Cives, quantum fieri poſſit, bonorum æqualitas intercedat, ne qui majoribus divitiis, opibuſque polleat, communem libertatem evertat. Hinc eſt, ut in condenda imperii democratici

(a) *Ariſtot. lib.* VI. *polit. Cap.* 4.

Digitized by Google

forma, rerum æqualis diviſio fuerit inter Cives inſtituta, ac deinceps ſæpe nova bonorum diviſio iniretur, quoties aliquorum avaritia æqualitas illa intercidiſſet. Atque hæc ratio eſt cur Athenis, Spartæ, Romæ, dum democratice vivebatur, adeo de re agraria certatum ſit, de uſura vetanda, ac de obæratis levandis. Hac enim via potentium aliquorum opes minuendo, id fiebat, ut Imperii forma democratica aliquantulum delabens, denuo ad priſtinum reſtitueretur. Hinc conſulto per legem Liciniam cautum, ne quis ex Civibus, quamvis Patricius, pluſquam quingentos terrarum modios poſſideret; hinc Athenis notati infamia, qui avita prædia venderent (a); hinc in Republica Hebræorum ſolemne, ut poſſeſſiones alienatæ unoquoque Jubilæo ad priſtinum dominum redirent. Erant enim hæc omnia remedia præſentiſſima ad reſtituendam bonorum æqualitatem, quæ rebus publicis in ſua democratia ſervandis perutilis, ac fortaſſe neceſſaria erat.

Verum quum quæ uſque adhuc dixi, ad democratiam puram pertineant, videndum de iis nunc, quæ democratiam moderatam reſpiſciunt. Illius proprium eſt, ut honores, ſive civiles, ſive militares, haud omnibus ex æquo conferantur, ut nulla ſcilitet civium ratio habeatur. Propterea Romulus quum in urbe ſua democratiam moderatam inſtituiſſet, ad honores tantum Patricios debuit vocare, ſicuti ſane quidem factum eſt, præcedentibus tamen plebis ſuffragiis. Eſt autem in hiſtoria Romana ſatis vulgatum, quantam hæc honorum petitio ſolis Patriciis collata, inter hos, & plebem invidiam conflaverit, ut ad motus civiles ſæpe ſæpius ventum ſit, clamante illa ex tot tantiſque bellis, inter duros labores, & vulnera feliciter confectis, nil aliud, quam tenue ſatis ſtipendium referre; utilitatem autem omnem, & commoda unis patriciis cedere. Sed veroſimillimum eſt hoc Romulum præſenſiſſe. Quare juvat intueri, quam rationem inierit ad hanc invidiam plebis demulcendam. Etenim quum ea ſit amicitiæ, & concordiæ ratio, ut inter amicos odium avertatur: propterea Romulus anniſus eſt, ut inter Patricios,

(a) *Ariſtotil. loco cit.*

Digitized by Google

cios, & plebem ſumma, ac non intermiſſa intercederet amicitia. Quamobrem inter hanc atque illos patronatum inſtituit, cujus vi plebs Patricios coleret, eiſque ſingulis anni temporibus munuſcula quædam grati, & obſequentis animi veluti ſymbola daret. Patricii vero eam ab injuriis defenderent, rebuſque urgentibus juvarent. Quod ſane Romuli inventum, ſaltim per aliquod tempus, perutile viſum eſt Reipublicæ; videns enim plebs Patriciorum authoritatem in ſui præſidium verti, æquo animo ferebat, ut Patricii domi militiæque honoribus fungerentur.

Hæc ſunt, quæ dicere habui, de prima forma Romanæ Civitatis. Ceterum quia jura formæ civilis regiminis aptantur, nunc progreditur oratio ad promenda jura tam publica, quam privata, quæ Romulus condidit, apta quidem regimini civili a ſe inſtituto. Sed quum regiminis forma, atque jura civilia pro gentis moribus juberi debeant, dicendum aliquid de Romanorum per id tempus moribus, ut ex illorum ingenio ſatis nobis comperto, eorumdem legibus intelligendis major lux affulgeat. Romulus ut naſcentem urbem hominibus repleret, aſylum aperuit, quo quiſque confugeret. Ita probi homines, & improbi, ſive ſervi, ſive liberi, vel divites, vel pauperes, nullo habito diſcrimine eo confluxere. Quare quum hanc hominum turbam, agreſte plerumque genus, atque efferatum, improbumque, fruſtra Romulus ad legum & magiſtratuum obſervantiam induxiſſet, niſi antea in comitiis legis utilitas comperta fuiſſet, propterea ut magiſtratuum plebs pareret imperio, eos in comitiis creari voluit, quibus non videretur fas eſſe refragari, & obſiſtere; quippe qui illi imperarent, quos illa ipſa dignos honoribus per ſuffragia in comitiis cenſuerat. Denique neutiquam allici potuiſſet ad pacem fovendam, & neceſſitate impellente, ad bellum ſuſcipiendum, niſi ante in ipſum fœdus, ejus cognita utilitate, jurata eſſet: & belli cauſſas in comitiis pernoſſet, quo vel res repeteret, vel injurias ulciſceretur. Hæc nimirum ſunt jura publica Civitatis Romanæ a Romulo condita; quorum intellecta ratione, tam ex forma illius regiminis, quam ex moribus illius Populi, dixeris ſane haud potuiſſe Romulum aliam formam

Digitized by Google

mam civilis regiminis, aliaque jura inſtituere, niſi hæc, quæ poterant tunc temporis moribus illius populi aptari. Quapropter licet Monarchia ceteras imperii formas procul dubio antecellat : ſola tamen democratia, ob agreſtes Populi illius mores, utilior tunc viſa eſt.

§. III.

De jure privato a Romulo inſtituto.

POſt jura publica ſequuntur ea, quæ unius cujuſque Civis rem domeſticam ſpectant. Sed quum familiarum bene compoſitum ordo, ſive officio inter virum, & uxorem, patrem, & filium, ad publicam tranquillitatem præ ceteris conferat : ideo ab his oratio mea neceſſe eſt initium ducat. Prima igitur Romuli lex, quæ vetuſtatis latebris eruta nobis occurrit, eſt ea, qua ille præcepit, ne Patricii religionis intuitu, matrimonio cum plebe ſeſe jungerent ; neve ex civibus quis nuptias cum extero iniret, ſcilicet cum eo, qui neque origine, neque allectione civis Romanus foret. Legem hanc, quo ſanctior evaderet, religionis vinculo munivit. Adjecit enim mulierem per nuptias ad viri domeſtica ſacra tranſire. Et quoniam alia eſſent ſacra patriciorum, alia vero plebis, ſubdit hæc ſacra confundi inter ſe, atque everti, ſi Patricii, & plebei inter ſe inirent connubia. En religionis colorem quæſitum, quo ſpecioſiſſimo titulo lex ſanctius ſervaretur. Nunc vero facili negotio intelligitur, cur per omnium veterum juriſperitorum ora volitaverit, nuptias eſſe communicationem omnis juris divinarum, humanarumque rerum.

Sed hæc religionis ratio in hac lege condenda, ſpecioſum tantum nomen erat ; quum Romulus aliud in mente ſerio agitaret. Timebat enim ſummopere, nec temere, ſi Patricii cum plebe matrimonio jungerentur, ne quis ex eis plebis favore communem libertatem poſſet evertere, atque Imperii Romani potiri. En legis hujus arcanum hiſce verbis per Halicarnaſſæum proditum : *Ne familiis* (inquit) (*a*) *conjugii, atque adfinitatis vinculo ſociatis, ordines in concordiam coi-*

[a] *Alicarnaſſæ in Romulo.*

Digitized by Google

coirent. Quæ in cauſa etiam fuit, quapropter idem Rex cives vetuerit matrimonium cum exteris inire; quia nempe per hanc nuptiarum neceſſitudinem, poterat exteris parari acceſſus ad urbis dominatum. Intellexit vero Canulejus, ſeditioſus Tribunus, legis veram rationem. Quare ut Rempublicam turbaret, auſus fuit matrimonia Patriciorum cum plebe expoſcere. Sed haud ſecus fuit rejectus, ac ſi contra religionem ipſam facinus maximum attentaſſet. En Patriciorum voces apud Livium prolatas: *Quas, quantaſque res Canulejum aggreſſum? colluviem gentium, perturbationem auſpiciorum publicorum, privatorumque afferre? Quam enim aliam vim connubia promiſcua habere, niſi ut ferarum prope ritu vulgentur concubitus plebis, patrumque, ut qui natus ſit, ignoret cujus ſanguinis, quorum ſacrorum ſit? dimidius Patrum ſit, dimidius plebis, nec ſecum ipſe concors?*

Vetito Patriciorum connubio cum plebe, omniumque civium cum exteris, jura condidit pto aſſervandis officiis inter virum, & uxorem, Patrem, & filios. Etenim tantam contulit viro in mulierem, Patrique in filios poteſtatem, ut ſi matrimonium uſu, farre, aut coemtione (de quibus nil dico, quum omnibus hæc pateant) contractum eſſet, vir in mulierem, pater in filios jus vitæ, & necis nanciſceretur. Non me latet, ex jure naturæ eam poteſtatem habere virum in mulierem, patrem in filios, quæ neceſſaria eſt, ut ſocietas conjugalis poſſit conſiſtere, ope paterni regiminis. Quum enim vir judicii firmitate, atque ratione mulierem antecellat, finit ipſa ratio, ut non hæc, ſed ille familiæ caput ſit, cui ipſa mulier ſubdatur ad ea, quæ rem domeſticam ſpectant, ſervata tamen eidem libertate in ceteris rebus, quæ minime ad familiam pertinent. Quæ ergo ratio Romulum impulit, ut hac in parte jus naturæ non ſectaretur, non erit abs re veſtigare, ſaltem per veriſimiles conjecturas, quando præter has, nil certi ſuppetit.

Mulieres Sabinæ recens raptæ, quum maximo odio perſequerentur Romanos, veroſimillimum, eſt vix potuiſſe a viris in officio contineri, niſi facta eiſdem a Romulo ſumma hac poteſtate; ut metu ſaltem adactæ in matrimonio conſtarent,

&

Digitized by Google

& ſenſim amor, ac concordia maritalis ſuſcitaretur. Sed equidem haud repugnaverim, ſi dixeris par æquumque quam maxime fuiſſe moribus tunc temporis agreſtibus, atque ferinis, ut tantam in uxores, atque in filios Patres acquirerent poteſtatem, quo homines incipientes a pueritia domeſtico imperio aſſueſcere, poſſent deinde nullo negotio parere ſummæ Imperantium Poteſtati. Ceterum quantum hæc poteſtas, viri nempe in mulierem, fuiſſet ſocietati conjugali perutilis, experientia rerum perdocuit; quum non niſi poſt Spurium Carvilium, hoc eſt anno biſcenteſimo poſt Romulum, fuerint Romæ audita divortia; quamvis Romulus ipſe viris divertendi a ſuis uxoribus, juſtis tamen de cauſſis, jus dediſſet. Sed dices, ob tantam virorum poteſtatem effugiſſe mulieres connubia; quum amiſſa libertate æternæ ſervituti manciparentur. Nihil profecto minus. Romulus enim id ea arte delinivit, ut mulieres viri poteſtatem crederent ſibi potius profuturam, quam damnum allaturam. Nam Romulus, ſpecioſo quodam figmento, conſtituit mulierem, tamquam filiam familias, ſubdi viro, veluti patri cuidam; ita ut mortuo viro, bonorum ejus cum ceteris filiis æqualem partem ſortiretur: & his deficientibus, hæreditatem omnem acquireret. Itaque onus hoc lucro illo hæreditario commutando, tantum abeſt, ut mulieres a nuptiis averterit, ut potius allexerit, atque ad eas impulerit.

Quum apud Apulejum locus perobſcurus occurrat, nec niſi hac intellecta lege, explicari poſſit: non abs re puto, ſi paullum aliquid temporis impendam ad illius expoſitionem. Laudatus auctor in ſecunda ſua apologia quemdam Pontium inſectatur, quod mulierem ſuam exhæredem ſcripſiſſet, ducentis tantum denariis relictis, *ut intelligeretur potius eam exterruiſſe iratus, quam oblitus præteriiſſe*. Quæ verba, ut intelligantur, præ omnibus advertendum, quum pater poſſet jure Romano impune filium occidere, potuiſſe eo magis illum exhæredare, aut præterire. Verum quia lex in dubio ſemper ad humaniorem partem hominum facta, præſumptioneſque flectit: hinc ſi manifeſtum non eſſet, patrem ideo filium non ſcripſiſſe hæredem, quia voluiſſet eum exhæredatum,

Digitized by Google

tum, lex præſumebat filii ſui fuiſſe oblitum. Quapropter filius, ope exceptionis hujus, teſtamentum paternum infirmabat; ideoque pater, qui filium in teſtamento non nominando volebat eum præteritum, rem aliquam, licet minimam relinquebat, quæ ſub nomine legati, pœnæ, vel notæ nomine veniebat; ut hoc adſcripto legato, filius in jure præſumtionem illam minime allegare poſſet, patrem nempe ideo eum præteriiſſe, quia fuerat ejuſdem oblitus. Id ipſum vir opus erat ut faceret cum ea muliere, quæ per ſolemne matrimonium in ſuam tranſierat poteſtatem, ſi eam exhæredare volebat; alias ipſa tamquam a viro ſuo præterita, ut alter filius infirmare poterat teſtamentum. Propterea ne mulier hoc faceret, dicitur Pontium iratum potius, ut eam exterreret, legare voluiſſe; quia hoc adjecto legato, id eveniebat, ut ipſa non poſſet, tamquam prætermiſſa a viro ſuo, teſtamentum, in quo præterita fuerat, ſive exhæredata, infirmare. Atque hinc ſatis novimus hac lege obſoleta, Prætoris edictum *unde vir & uxor*, ac quartam uxoriam, quibus nunc utimur, invectum; quæ ſane reliquiæ ſunt vetuſti juris, ab ultima antiquitate ad noſtram uſque memoriam ſervatæ.

Ex legitimis nuptiis oritur patrum poteſtas in filios; quæ quanta eſſet penes Romanos, mox dicam, poſtquam antea jus naturæ hac de re quid definiat, paucis aperuero. Jus naturæ tribuit potius patri, quam matri poteſtatem in filios; propterea quod hæc poteſtas, quum ad filiorum pertineat educationem, illi profecto tribuenda eſt, qui ſanioris judicii pollet ratione, quam mulieri, quæ ſane eſt infirmioris conſilii. Sed quum educatio ſine poteſtate effectum ſuum minime ſortiri poſſit: hinc dicendum poteſtatis tantum tribuiſſe patri naturæ jus, quantum neceſſe eſt, ut filius in officio contineatur, ætatis tamen proportione ſervata. Quum igitur filius in prima ætate majori indigeat educationis ope, minori vero in adulta, & in virili ea, quæ faciat, ut ille quum adhuc ſit ſub patria poteſtate, uti familiæ pars, ſuas actiones, quæ rem domeſticam reſpiciunt, ipſius familiæ capiti ſubdat: hinc eſt ut patris in impuberem de jure naturæ poteſtas ſit major; minor vero in filium adultæ ætatis; & in virum tanta, per

Digitized by Google

quam faciat, ut ille quum adhuc ſolutus non ſit patria poteſtate, ſuas tamen domeſticas actiones recte componat cum familiæ ſtatu, cujus cum pars adhuc ſit, neceſſe eſt, ut ejus principi ſubdatur; in reliquis autem omnibus, quæ familiam non reſpiciunt, liber. Quod ſi fuerit emancipatus, Parentibus tantum præſtabit obſequium, pro ea, quam adhibuerunt curam, ut is bonus civis evaderet. Hæc patria poteſtas de jure naturæ. Sed aliud viſum Romulo, nempe elargiri patri in legitimis nuptiis tantam poteſtatem, quantam gens nulla ubique terrarum haberet. Itaque dedit parentibus in filios jus vitæ, & necis, ut poſſent etiam impune filios interimere; cujus ſi quæras rationes, hæ veroſimiles poſſunt adduci; nempe ut illa tunc temporis effrœna gens, tantæ poteſtatis in filios præmio, alliceretur, venere vaga relicta, ad legitimas nuptias, filioſque juſtos procreandos, quo Reſpublica numeroſior eſſet, & bene inſtituta multitudo augeret Imperium. Præterea ut deterrerentur filii familias, qui inconſulta ætate novas res ſæpe moliebantur. Et quidem voti compotes fuiſſent, niſi a parentibus morte mulctati fuiſſent, ut proſtat in hiſtoria exemplum Bruti, qui filios, reditum in Urbem Tarquiniis parantes, imperterrito vultu peremit, docens poſteros, patriam jucundiorem eſſe filiorum vita, quæ tamen adeo parentibus eſt cara. Quare appoſite ad hoc faciebat, ut nulla quamvis excelſa dignitas in Republica ſolveret patriam poteſtatem, quo in officio filii inter omnes honorum gradus continerentur, neve per lubricum ætatis res novas appeterent. Hæc dixiſſe ſufficit de patria poteſtate ſub primis Regibus. Ceterum ſub Imperio fuit illa diminuta, jure potiſſimum liberos occidendi abrogato; atque ea profecto ratione, quia domeſticum hoc imperium democratico quidem regimini, non vero Monarchico, in quod demum res romana delapſa eſt, par erat.

Verum licet poſſet pater impune filios occidere, datum tamen non erat, eoſdem, niſi recens natos, ac ſanguinolentos adhuc exponere. Nam per hanc expoſitionem, quæ cetero quin gentibus aliis in more erat, minuebatur numerus civium, ſine quibus res romana ad bellum ſatis valida eſſe non poterat. Demum juſſit Romulus ſanctos eſſe Urbis muros,

Digitized by Google

ros, portaſque; quod Græcis etiam uſurpatum fuit, apud quos Diis Marti, & Neptuno mos erat ea dicare. Cujus juris cauſſa hæc plane fuit, ut ſanctitate hac populus inductus, muros, & portas Urbis muniret, atque in Urbis defenſione fortiter contendens pro aris, & focis ſtrenue pugnaret. Demum jovi Feretrio dedicavit templum; auſpiciaque quamplurima inſtituens juſſit nihil niſi auſpicato fieri. Verum auſpicia hæc omnia ut apud Patricios eſſent imperavit, quo magis iis eſſet parata occaſio intervertendi quid quid plebs vellet, contra eorum ſententiam, in publicis negotiis attentare.

§. II.

De Numa Pompilio.

NEſcio profecto Numa ne magis, an Romulus Urbem Romam condidiſſe dicendus; an vero ambo ex æquo rerum romanarum fuiſſe auctores; an demum pace magis Numa, quam Romulus bello Civitatem auxiſſe. Nam licet prior ille Rex variarum turbam efferatam gentium compoſuiſſet ad formam Civitatis; illudque agreſte genus adduxiſſet ad ſocialem vitam: tamen iis legibus Civitatis ſtatum, civiumque mores firmavit, ut cives nihil profecto, quam bellico ſtrepitu, ac furore arderent. Ex quo factum eſt, ut eo ferociæ pervenerint, ut facile dixeris Romanos ſtrenuos milites, cives autem improbos. Itaque talis Romuli Urbs in proclivi erat, ut quam citiſſime ſuapte narura præceps rueret. Etenim quæ Civitas non dicam diu, ſed vel paululum ſtare poterit, ſi pacis ſtudia procul abſint? Alter Rex ſcilicet Numa pacis rationes præ rebus omnibus præoptavit; iiſque virtutibus, quæ ejus aſſeclæ perpetuo ſunt, ita exornavit Civitatem, ut illo Martis nimio furore ſedato, Civitas quam longiſſime viveret, utpote & belli, & pacis artibus temperata. Hinc judicet lector, Romulus ne, an potius Numa firmaverit Romanum Imperium.

Sed veniamus ad rem, & quamnam regiminis formam præ mentis oculis habuerit Numa in Romano Imperio, ape-

Digitized by Google

riamus; ut ex ea detegere poſſimus legum, quas ſapientiſſime tulit, rationes. Verum quum hoc pendeat a ſtatu, in quo per id tempus verſabatur res romana, liceat ſane quidem mala præfari, quibus tunc laborabat Civitas; ut inde facillime intelligantur leges Numæ, per quas remedium comparatum eſt, quo Urbs convaleſceret, incolumiſque ſervaretur. Morte Romuli perturbata Civitate, quia plebs ſuſpicabatur a Patriciis dominandi cupiditate illum fuiſſe interemptum, odium quammaximum eſt hinc obortum, plebem inter, & nobiles. His accedebat quod Sabini, qui quamvis eſſent cives Romani, quia tamen exteri romanam felicitatem ægro ferebant animo, avide res novas propterea appeterent. Quæ contentiones effecerunt, ut diu Civitas Rege careret, non ſine publici boni pernicie. Verum ſedatis motibus, divina dante providentia factum, ut cunctis ſuffragiis Numa Pompilius Romanorum Rex crearetur. Ortus hic Curibus ex genere Sabino, humani, divinique juris conſultiſſimus, edoctus non tam peregrinis artibus, quam diſciplina tetrica, ac triſti veterum Sabinorum, quo inter gentes per id tempus genere, nullum quondam incorruptius fuit.

Numa igitur, accepto Regno, Romam ſe contulit, ibique, antequam imperium auſpicaretur, operam dedit, ut quænam eſſet Civitatis indoles, quæve mala avertenda callide pernoſceret. Vidit igitur odium Sabinos inter, ac Romanos maximum, quo fiebat, ut illi, quamvis & Cives Romani eſſent, in negotiis tamen publicis pro ſalute Civitatis tamquam exteros, ne dicam hoſtes, ſeipſos gerebant. Vidit civium omnium animos aſſiduis bellis nimium efferatos; hinc fidem non ſolum cum exteris, ſed & inter ſe concidiſſe, juſti, injuſtique diſcrimine omni ſublato. Denique aſſuetudine belli diſſolutos eorum mores reperit ab omni honeſtate, ut nec educatio filiorum eſſet, nec caſtitas in matrimonio ſervaretur. Quare mitigandum ferocem populum armorum deſuetudine ratus, jura dedit, quibus Civitas vinculo Religionis in Deos formaretur ad pietatem, ad colendam juſtitiam inter ſe, & exteros, ad ſervandam matrimonii caſtitatem, ad victus cultuſque ſobrietatem fovendam, ad animos demum communi concordia ſociandos.

Digitized by Google

dos. Sed leges tamen Civitatis nihil immutavit; quum ſibi ſtatuiſſet id ipſum Romuli regimen tueri, civium tantum more in meliorem frugem redacto. Quoniam vero Numæ res erat cum rudi, & imperita tunc temporis hominum multitudine, cui propterea difficile erat jura dare: ideo fabuloſo commento ſimulavit cum Dea Ægeria congreſſus nocturnos habere, ejuſque ſe monitu, quæ acceptiſſima Diis eſſent, inſtituere; ut hoc religionis metu injecto, poſſet cives in officio continere.

Jam vero Numa, iſtiuſmodi ſibi civili regimine ob mentis aciem poſito, jura dedit, quæ cum ſuo inſtituto prorſus congruerent. Cum finitimis itaque pacem, fœduſque percuſſit, eorumque animos cum Romanis amicitia, & concordia ſociavit, ut belli omnis eliminaretur occaſio. Sed inita pace cum exteris, reliquum erat, ut amotis Sabinorum, & Romanorum diſcordiis, Civitas concors evaderet. Vidit experientia ſuadente, corpora ſolida, diverſæque naturæ inter ſe facillime jungi, atque, ſi in partes minutiſſimas, ac prope ad pulverem redigantur, in unum coaleſcere corpus. Hac ratione poſſe civium animos ſociari concordia ratus, Sabinos pariter, ac Romanos per plura artificum Collegia æqualiter diſtribuit, & in unoquoque eorum parem numerum Sabinorum, & Romanorum conſtituit, ac veluti incluſit; ex quo factum ut ob mutuas neceſſitates, & quotidianum inter ipſos, Romanos nempe, & Sabinos commercium, odium omne ſublatum fuerit, ac proinde Civitas concors evaſerit.

Itaque Numa inter cives, & exteros firmata concordia, Urbem novam conditam vi, & armis, jure eam, legibuſque, ac moribus de integro condere parat, præſcriptis rerum divinarum cæremoniis, ſtatuta inter cives ipſos, & exteros juſtitia, ac firmata demum ſocietate. De Deo hoc tradidit Populo, illum eſſe ſpiritum infinitum, ac ſimpliciſſimum; ideoque ne crederet poſſe eum templo includi; aut per animalium effigies, aliaque ſymbola referri. Quod ſane licet verum eſſet, tamen eo tendebat Numa, ut ab expenſarum profuſione traduceret Populum in vitam ſobriam, atque frugalem, dum experiebatur in diem rerum profuſam liberalitatem, atque luxuriam nec etiam in re religioſa probari. Dies quamplurimos, ſupplica-

tio-

Digitized by Google

tioneſque ritibus, cærimoniiſque ſacris refertiſſimas inſtituit, præcinentibus muſicis, & præcone clamante ad populum, ut hoc ageret. Quibus omnibus fiebat, ut & Populus aſſueſceret paci, & religionis uſum acquireret. Dies faſtos, & neſaſtos in ſpeciem religionis diſcrevit; ſed revera, quia par non erat, ut quotidie Patricii cum illa turba agerent. Auſpicia, ab ipſo Romulo tradita multiplicavit. Tot denique Sacrificia inſtituit ad placandos manes, ad juſta parentanda, ad expiationes publicas, & privatas peragendas, vel ut bona advenirent, vel ut averterentur mala: ut populus ad hæc omnia conſultanda, procurandaque tempus omne impenderet; atque ita bellici furoris oblitus, priſtinam ferociam exueret, humanitatemque acquireret. Verum haud abſurdum eſt advertere, fuiſſe ab eo omnia cruenta ſacrificia vetita, ne ſcilicet horum uſu populus ad ferociam iterum impelleretur. Itaque tantum juſſit Diis *farre toſto, & mola ſalſa*, vino de vite culta, oleoque ſupplicare; ut hujuſmodi Sacrificiorum Studio, cives quam maxime agris colendis operam darent, laboriſque aſſiduitate feſſi, bellandi cupiditatem, feritatemque quæ otio nutritur, deponerent.

Hæ ſunt leges adverſus Deos; videamus nunc illas, quæ juſtitiam ſpectant inter cives ſervandam, & fidem ob juſtitiam colendam inrer Cives, & exteros. Agrum Romanum circumſcriptis limitibus populo aſſignavit, ut ſuum ſibi quiſque, quod eſſet, cuſtodiret, neu invaderet aliena; quod nunquam inſtituerat Romulus, ne finibus circumſcribendo, quod jure ad ſe pertineret ſibi præcluderet, quod aliis per injuriam auferre quotidie intenderet. Itaque Numa agrum publicum, ſuis diſtinctum finibus, æque Civibus diviſit, ſingulis quibuſque partibus termino poſito, ut omnem diſcordiarum cauſſam præcideret. Quod ſane, ut majori vi polleret, Deum Terminalem unicuique agro ſtatuit ea irrogata pœna, ut qui eum exaraſſet, aut effodiſſet, is ſacer eſſet, hoc eſt ab unoquoque poſſet impune interfici. Numa igitur ſicuti diſciplina ſacrorum, & Deorum cultu munivit Rempublicam: ita etiam agros religione circumdedit, & metu Deorum Terminalium, ab omni incurſione tutos effecit. Præterea præmia ingentia proponi juſſit eis,

Digitized by Google

eis, qui agrum colerent, pœnaſque inferri, qui negligerent culturam; cui rei propterea, qui præeſſent, inſtituit agrorum Magiſtros; & jure merito, nam hoc præ ceteris rationi ipſius regiminis congruebat ſummopere; quum nihil aliud ſit validius ad deſuetudinem belli, quam terrarum cultura. Cujus profecto dulcedine eo facilius allicimur ad pacem appetendam, quo magis experimur in diem, quanto præſtantius, atque utilius ſit homini ruſtico tuta frui pace, quam ſpe incerta triumphi, in certo, ac cruento bello involvi, atque implicari.

Ad fidem in contractibus ſervandam, hoc ingenioſiſſime Rex invenit. Vidit contractus teſtium præſentia munitos magis præ omnibus ſervari; quum illorum præſentia veluti obex quidam ſit, ne contrahentes, verecundiæ ſaltim gratia, illos inficias irent, quod ſane ſecus erat in negotiis, quæ ſine teſtibus inibantur. Hinc conſultiſſime fidei contrahentium ſine teſtibus Deum quemdam præeſſe finxit, injecto metu de interitu ipſius Civitatis, ſi quis violaſſet religioſam hanc fidem. Quod ſpecioſum inventum ita quidem fuit ad rem, ut per quamplurimos annos res dubiæ, atque ancipites ſolo juramento tranſigerentur.

Sed ut juſtitia, & fides etiam exteris ſervaretur, Collegium inſtituit Fæcialium, quorum tantum jus erat & bella indicere, & pacis fœdera ferire; ita ut ſine illorum judicio, ne Rex quidem poſſet arma inferre; ac ſi quis in Republica ut alter Romulus regnaret, ejuſdem martialis furor Fæcialium ſententia vel ſedaretur, aut certe leniretur. Horum etiam Fæcialium munus erat ad hoſtes ſe conferre, eiſque Jovem obteſtando nunciare, vellent ne pacem potius, an bellum. Quod ſi ſatis res repetentibus non facerent, iidem pio bello hoſtium pervicaciam refrigendam declarabant, idemque inter ſollemnia indicebant.

Propter caſtitatem maritalem ſanxit, ne pellices tangerent Junonis aram, niſi demiſſis crinibus; in ſignum mœſtitiæ cederent Junoni agnum. Juno eadem eſt ac Luna; a qua quum res omnes recipiant fœcunditatem, Gentes eam ſibi matrimoniorum Deam adoptarunt. Idem autem apud vetuſtos Romanos erat tangere Junonis aram, ac matrimonio jungi. Itaque

Digitized by Google

que non nisi matrimonio caste viventes tangebant Junonis altare. Unde Numa quo & mulieres nuptæ caste viverent, imo & femella quæque de plebe, relicta venere, alliceretur ad pudicitiam: noluit ab eis in publicis sacris aram Junonis tangi; ne hac injecta verecundia, clam prostatam pudicitiam, palam facerent, ac relicta venere, vel ad pristinam castitatem redirent, vel legitimas nuptias appeterent. Nec eo minus ad id consultissimum fuit, ne scilicet filii familias, lubrica impellente ætate, seipsos veneri manciparent, sed ut maturius uxorem acciperent, imperavit ne pater filium, quem junxit matrimonio, venderet amplius, stante jure patribus a Romulo dato, ut possent ad trinam usque venditionem emancipare filios. Non enim fas erat, eam, quæ virum liberum accepit, eumdem servum habere. Itaque per hoc libertatis præmium a Numa filiis familias statutum, fiebat, ut illi patres precarentur, ut sibi uxorem darent, cujus ut compotes fierent, interim vitam honestam agebant; per quam patres liberorum prudentiam in agendo, atque in rebus domenicis curam videntes, eorum festinabant nuptias.

Denique jussit *pisces non nisi squamosos polluceri, præter scarum*. Sed quinam sit hujus legis sensus, diu a doctioribus philologis quæsivi. Verum nihil inveni quidem, quod satis probabile videretur. Hinc erutis venerandæ antiquitatis monumentis, hanc, si hariolari licet, cepi conjecturam. Veteres philosophi credidere ingentem esse salis vim ad Venerem incitandam, ideoque finxere Deam illam ex spumis aquarum maritimarum obortam. Hinc teste Plutarcho in quæstionibns convivalibus, Sacerdotes Ægyptii piscibus se abstinebant; nec sale cibos adspergebant; sed pisces molles, utpote magis aliis maritimis innutritos aquis, salacius spiritus venereos concitare jactabant. Quare sic scripsit Apicius helluonibus acceptissimus: *Pisces quidem molles, & suaves gustui sunt, & ad venerem conferunt præcipue*. Fortasse de his piscibus sermo est in Exodo, ubi sic habetur: *Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis*. Qui sane pisces projiciebantur pauperibus, quorum ob egestatem non erat cur de venere vereretur. Hinc fortasse illud Numerorum: *Quod habet pinnulas, & squamas comedetis*. Neque abs re est, quod

Digitized by Google

quod dicit Plinius, consuetudinem fuisse in conviviis nuptialibus novis nuptis pisces ad edendum dari. Igitur factum ex his, ut Numa hos pisces vetuerit, non modo in sacrificiis, quæ Neptuno nautæ faciebant, sed etiam in sollemnibus illis conviviis, quæ ipse, rebus Sacris procuratis, inter Cives instituerat; ut eorum amicitia religionis vi sanctius foveretur. Idque Cives videntes, hos pisces in sacrificiis, sacrisque conviviis vetitos, crederent sane immundos; immunditiaque eorum deterriti in cenis quoque domesticis effugerent, ne scilicet obscœna libidine prurirent. Sed inter squamosos excepit *scarum* ob sui pretium, ne Romani immodicis sumptibus indulgerent; quia ratio ejus regiminis ad id erat accommodata, ut ad sobriam, frugalemque vitam Romanos adigeret; cujus caussa factum fuit, ut vinum etiam a rogo abesset. Hæ sunt Numæ leges, universim rationi ejus regiminis aptæ, nimirum ut populus evaderet pius primo in Deos, deinde justus, fidelis, castus, humanus, & sobrius, ac frugalis. Sed ad hæc non armorum vi eum adegit, ex qua simulata pietas, ac fucata virtus plerumque exurgit; sed mero religionis metu, ac jurisjurandi sanctitate, quibus unis Urbem munire curavit.

§. III.

De Servio Tullio, ejusque civili regimine.

LIcet post Numam alii fuerint Reges in Romana Republica, scilicet Tullus Hostilius, Ancus Marcius, Tarquinius Priscus: attamen quia nullas hi leges pertulerunt, ideo eorum intermissa historia, utpote minime faciente ad instituti nostri rationem, quæ in legibus unis pertractandis versatur, ad Servium Tullium decurrit oratio, cujus civile regimen, legesque, præmissis paucis, nunc explicandas aggredior.

Res est in Romana historia omnium sermone trita, quibus artibus, quibusve facultatibus fuerit a Servio Tullio partum imperium. Curante enim rem Tanaquile, muliere sagaciſſima, post Tarquinii Prisci cædem, & simulata ejusdem filiorum

Digitized by Google

tutela, fuit ille Regno potitus. Sed infirmum ſatis, atque invalidum erat imperium, tum Servii peregrina origine, ejuſque ſervili conditione, tum etiam filiorum Tarquinii adoleſcente ætate, quos majorennes Regnum ſequebatur. Sed quibus artibus Imperium hoc, tam male partum, firmum, potenſque fiat, atque ad diuturnitatem ſtabile: res eſt inter politicos quam maximis difficultatibus involuta. At huc longa eorum dicta redeunt, ut Princeps eam inſtituat civilis regiminis formam, quæ civium ingenio, eorumque commodis maxime conveniat; ita enim quum omnium interſit tale imperium ſervari, quod ſuis cujuſque rationibus, utilitatique ſerviat, fiet ut illud per ſe infirmum, & caducum, animorum Civium ſociata concordia, validiſſimum evadat. Atque hanc ſemitam ſectandam ſibi Servius ſtatuit. Sed ut aſſequamur quas rationes inierit, quæve media ad id paravarit, atque inde Servii regimen intus, & in cute, ut dici ſolet pernoſcamus: plebis æque, ac Patriciorum indolem penitius introſpicere neceſſe eſt.

Ad id ſuapte natura plebs fertur, ut vix, aut ne vix quidem petat honores, ſi a publicis oneribus, quantum fieri poſſit, ſit immunis. Contra vero Nobilitas ita præceps ruit ad honores, ut non faſtidiat oneribus publicis rem ſuam ultra vires imminui, dummodo ſola honoribus omnibus fruatur. Hinc Servius eam poſuit civilis regiminis rationem, in qua plebs viveret a re tributaria immunis; ſed tamen eſſet non ſolum ab honoribus exercendis excluſa, ex Romuli inſtituto, ſed ſuffragiorum jure in rebus publicis, mira tamen arte, excideret. Ex adverſo nobiles non tantum honores haberent omnes in Republica, uti Romulus jufſerat, ſed etiam jus belli, paciſque, legum ferendarum, & creandi magiſtratus, ex eorum ſententia ſolummodo penderet, modo tantum in civilibus oneribus tribuerent, ut dixeris prope ſolos patricios publica onera ſubſtinere. Itaque Servius rem ita tranſegit, ut quod de jure ſuffragii plebi auferretur, id eidem compenſaretur onerum tenuitate.

Verum ad hoc opus erat Servio inſtituere ariſtocratiam: & democratiam, jam inde a Romulo fundatam, funditus evertere,

Digitized by Google

tere; quod ſane licet plebi maxime eſſet inviſum, tamen ſolertiſſimo Regi non deerant artes, & ſubdola quædam prudentia, qua ſcilicet ſenſim immutaret omnino Reipublicæ formam, in ſpeciem autem videretur priſtina democratia incolumis ſervari.

Et ne diutius lector ancipiti animo hæreat, age artificioſum Servii commentum, ex ipſis veterum ſcriptorum monumentis eruamus. Rex deſcripſit Populum in ſex claſſes, eaſque deinde diviſit in centum nonaginta tres centurias, quarum prima referta ditioribus civibus, continebat plures centurias, quam aliæ; ceteræ deinceps minus divites enumerabat, donec ad ultimam claſſem deveniebatur, quæ infimam plebem, & pauperrimam complectens, ſcilicet proletarios, & capite cenſos, unam tantum centuriam conficiebat. Rebus ita diſpoſitis imperavit, ut in poſterum non per Curias, uti Romulus inſtituerat, ſed per centurias ſuffragia ferrentur, perque eas item indicerentur publica munera. Hinc factum eſt, ut quum prima claſſis præ aliis ſequentibus plures contineret centurias, rerum agendarum vis omnis penes primores Civitatis eſſet, iidemque viciſſim onera publica magis aliis ſubirent. Verum ſi prima claſſis inter ſe diſſentiret, quod raro ſane accidebat, atque ad alias decurrere opus eſſet: ſecundæ claſſis centuriæ vocabantur, ut alterutri primæ claſſis parti ſuffragiis ſuis momentum facerent. Quod ſi & ſecunda claſſis ſecum diſcors in paribus adverſis ſuffragiis eſſet, ita ut nec ipſa primæ claſſis paritatem dirimeret: vocabatur tertia, atque ita deinceps. Sed nunquam fere res eo cadebat, ut ad infimos perveniretur. Itaque infimæ claſſis tenuiſſimorum, quum una eſſet centuria, per ſe nihil poterat ſtatuere, ſed ſuffragio ſuo definiebat quod per alias claſſes non potuerat, ob æquales contrarias ſententias, abſolvi.

Contra vero tributorum onera a pauperibus in dites, hoc artificio, inclinata ſunt; non enim viritim, & ſine diſcrimine, opulenti, an tenues eſſent, ſed pro pecuniarum, ac facultatum ratione penſitabantur; ita ut centuria qualibet pro uno capite habita, ditiores ſinguli grave onus ferrent, leviſſimum vero egentiores. Ita plebs, quum nemo ſuffra-

Digitized by Google

gio in publicis rebus, ſicut antea in curiis, excluſus videretur, quumque onerum gravitate non minimum levata eſſet: facile in hac nova Reipublicæ forma adquievit. Sed falſa tamen turpiter in hoc eſt, quod animum non advertit ſe olim in curiis viritim ſuffragia tuliſſe, ita ut quot capita, tot eſſent ſuffragia; in centuriis tamen licet ſuffragerentur omnes, ſuffragiorum tamen numerum pro numero centuriarum æſtimari. En igitur regimen plebi pariter, ac Patriciis mire accommodatum, unis propter onerum tenuitatem, alteris pro ſplendore dignitatum, & rerum publicarum adminiſtratione; regimen inquam, quod intererat omnium diu ſervari, ita uniuſcujuſque ſuadente utilitate. Nam ſi quiſquam alius, præter Servium, eſſet Regno potiturus, verebantur ſane Romani, num hanc novam formam Civitatis is ſervaret, an vero veterem, nempe illam per Curias, revocaret. Hoc ſane a Servio inſtitutum regimen; & tamen quod in eo magis mireris, non ſolum privatæ, verum etiam publicæ utilitati peropportunum viſum. Nam quid civili publico bono aptius, quam plebem a publicis negotiis removeri? Quid juſtitiæ magis conſonum, quam ſervata fortunarum ratione, tributorum onera diſtribui? Quod profecto obtinuit Servius commento ſuo centuriarum, & claſſium. Regimen igitur hoc Servii, licet quidem ſubdolum, tamem ad publicam juſtitiam, & ad cujuſque utilitatem traductum.

Verum his expoſitis, videamus modo, quibus rationibus Servius uſus ſit, ut civium numerum, eorumque bona pernoſſet, ut illorum legitimus cenſus deſcriberetur. Populum Romanum a Romulo in tres diviſum Tribus, ipſe diſtribuit in quatuor; quarum unaquæque certum civium numerum præferret; vetuitque, ne alterius tribus civis ad alteram tranſiret; & præſcripto munere ſive civili, ſive militari, quod in ſua quiſque Tribu expleret. Hinc magiſtratus creavit per unamquamque illarum, ut curioſe explorarent quid unuſquiſque civium in ſua Tribu ageret; ut inde civium numerum, ætatem, bona, ſtrenuitatem, artem, ingenium, vivendi genus referrent ad Principem; quo ei compertæ eſſent Reipublicæ vires ad publicam utilitatem.

Quo

Digitized by Google

Quo facto, agrum Romanum in viginti quatuor partes divisit, nomine dictos pagos; quorum unumquemque monte, veluti sæpe quadam, circumduxit; atque illuc portio quæque Populi ita distributa, ut noctu se reciperet; sique hostes forte improviso irrumperent, Urbs ipsa Civium numero per pagos dispositio muniretur. Jussit item anno quolibet gentem uniuscujusque pagi in se congregatam festos dies agere, ex loco ipso appellatos *paganalia*; quorum ad sumptum omnibus tributum quoddam indixit, habita tamen rerum uniuscujus ratione, & sexus differentia, ac discrimine cujusque ætatis; quum aliud ab impuberibus, aliud vero ab adultis penderetur. Ex quo profecto numerus civium, sexu, & ætate distinctus, inter ditiores, & pauperes dispertitus, plane noscebatur. Præter hæc imperavit cognatis, & parentibus, ut triplex persolverent tributum; primum die Natali liberorum, tamquam sacrificium Junoni Lucinæ faciendum; secundum Deæ juventutis in adulta eorum ætate, tertium denique Veneri Libitinæ, quum ex hac vita decederent. Ex quibus omnibus edoctus numerum, ætatemque Civium compertam habendo, censum instituit; rem quidem non minus pacis tempore, quam belli Civitati perutilem; & metu legis de incensis latæ obtinuit, ut unusquisque bona sua, servos, liberos, uxorem, ætatem, vivendique artem distincte profiteretur apud ærarium; qua professione peracta, & habito censu, tum demum in classes, & centurias Populum omnem divisit.

Fuerunt Classes sex, & centuriæ centum tres & nonaginta, in quibus non locorum, aut communium sacrorum, sed census rationem habuit. Quare in primam Classem conjecit, qui centum millia æris, aut majorem censum haberent; eaque classis continebat octoginta peditum centurias; quarum quadraginta juniorum erant, totidem seniorum, & duodeviginti equitum. Altera centurias decem, totidem juniorum, & duas fabrum complectebatur: eratque intra centum usque ad quinque, & septuaginta millia census. Tertia continebat eodem ætatis discrimine, peditum centurias itidem viginti, eratque census millium quinquaginta.

Quar-

Digitized by Google

Quarta item habebat centurias viginti, additis Tibicinum duabus; eratque cenſus quinque, & viginti millium. Quinta conſtabat triginta peditum centuriis, ætatis etiam ratione diſtinctis; quindecim nempe ſeniorum, juniorum totidem; eratque undecim millium cenſus. In ſextam demum claſſem conjecti fuerunt egeni, & tenues, nempe proletarii, qui tantum propaganda, & alenda prole Rempublicam juvabant; & capite cenſi; quod propter inopiam caput tantum, & nomen, non autem bona profiterentur; ejusque claſſis nulla prope eſt habita ratio, nullus deſcriptus, aut definitus numerus, qui ſemper pro una centuria cenſebatur; atque ita centuriæ omnes numerum referrent centum nonaginta trium. Poſt hæc Servius ſuis quemque armis inſtructum, in ſuisque centuriis, juſſit Populum totum adeſſe in Campo Martio; quem *ſuovetaurilibus* luſtravit. Atque his ita peractis, juſſit quolibet quinquennio cenſum iterari.

Ex quibus omnibus, huc uſque enarratis, intelligat lector, quam neceſſarium ſit, ad civilia jura intelligenda, pernoſſe regimen Civitatis, cui procul dubio jura congruunt. Romana Civitas ſub Romulo vixit democratice mixtim; quare leges ejus primigeniæ democratiæ indoli ac naturæ conſentiunt. Præterea voluit turbam illam, unde profectam, ad ſocialem vitam inſtituere; hinc genti illi alienigenæ, agreſti vagæque opus fuit imperare leges ſeveriores, tam pro Patria, quam pro maritali poteſtate; ut a prima ætate ſolutus ille, atque effrænis populus domeſtico imperio aſſuetus, publicæ deinde poteſtati pareret. Item in recentis Urbis primordiis, quæ in diem creſcens invidiam finitimorum timebat, belli magis populum, quam pacis avidum cooptavit; propterea ad novum tuendum imperium, augendumque, jura ad arma proniora ſancivit, & artes quæ ad pacem faciebant, prohibuit. Ex adverſo Numa, quum Populi morem efferatum a belli aviditate ad pacis ſtudium avertere intenderet, ideo jura dedit, quibus populus ad pietatem in Deos ferretur, ad humanitatem, juſtitiam, & temperantiam. Hinc res Divinas Sacerdotibus attribuit, ſolemnes ferias, feſtoſque dies quam plurimos inſtituit; ut dum populus his occuparetur, deferveſce-

ret

Digitized by Google

ret martialis furor. Demum Servius quo Regno tutius, firmiusque potiretur, formam Civitatis a democratia ad aristocratiam avertit, atque ita, ut vetusta libertas nihil videretur immutata; quapropter leges dedit, quibus foveretur aristocratia, proscripta democratia. Patriciorum, ditiorumque gratiam sibi conciliavit; quorum ope poterat firmitatem Imperium suum, ceterum incertum, sortiri. Est igitur quam maxime scientia civilis regiminis necessaria, ad jura civilia intelligenda; quia hæc ab illo, veluti fœcundissimo matris corpore, suapte natura oboriuntur, atque ad idipsum, veluti ad Lydium lapidem probantur.

§. IV.

De Republica Athenienſi ſub Solone.

STatueram præsenti argumento, expositis jam Romanæ Reipublicæ legibus, sub primis Regibus ex eorumdem regimine perlatis, finem imponere; quia ad instituti mei rationem probandam satis dictum putabam. Sed quoniam in his pertractandis quædam mihi, sane scitu perdigna, de Republica Athenienſium sub Solone, & Lacedæmoniorum sub Lycurgo occurrerunt, ideo liceat mihi in hoc argumento diutius immorari; quum haud supervacaneum sit id ipsum, quod in Regno Romano vidimus, florentissimarum undique Rerum publicarum instituto comprobare. Igitur ad rem. Ante Solonem Athenis imperavit Draco; sed authoritate potius, quam legibus; nam licet leges quasdam ipse pertulerit, hæ tamen propter nimiam severitatem, deflectebant ad feritatem, potius quam humanæ imbecillitati naturæ congruerent, quam ille voluisse videtur prope extinguere. Etenim quum minima quæque crimina maximis exæquaret, interrogatus olim cur omnibus delictis capitale supplicium statuisset, respondit, se crimen vel minimum morte dignum existimare, in majoribus vero nullam pœnam invenire morte majorem. Qua sane responsione ex Stoicorum doctrina id voluit, se non ex magnitudine facinoris æstimare crimina, sed potius ex vitiato pec-

peccantium animo; ut nulli unquam maleficio impunitas esset. Igitur Draconis leges, quæ data occasione, ea immanitate sæviebant, cui humana natura aptari non poterat, ex seipsæ statim conciderunt; quum neque Populi, neque alterius magistratus authoritate sulcirentur. Nam quis poterat tueri id, quod omnibus erat æque formidandum, quum levibus erroribus sapientissimi etiam quique obnoxii sint. Itaque istiusmodi leges severitas ipsa relaxavit, earum vice conditis aliis a Solone, postquam fuit Archon ab Athenienſibus constitutus.

Verum quia instituti mei non finit ratio, ut civilia tantum jura explicem, nisi detegam ea ab ipso civili regimine profecta: propterea enarrandus est status Reipublicæ Athenienſis usque ad Solonem, ut ex eo regimen ejus introspicientes, jura introrsum, & non in rugosa pelle, ut dici solet, intelligere deinde possimus. Quum Solon accepit Rempublicam, invenit eam intestino morbo laborantem, & adhuc veterum seditionum reliquiis periclitantem; nam quot erant factionum capita, tot diversas Civitatis formas in Imperio appetebant; & quidem qui habitabant Urbem, fovebant democratiam, qui autem in mediterraneo morabantur, aristocratiam peroptabant; sed oram maritimam prope tenentes ejus mentis erant, ut imperium temperatum constitueretur in Civitate. Sed his potentium discordiis accedebant, quæ ex proletariis, & capite censis obveniebant ob disparem fortunam, & usuras, quas potentiores ex mutuaticia pecunia per summam avaritiam exigebant. Itaque sperantes rebus novis suam levari inopiam, seditiones publicas augebant.

Has inter turbas, rerumque confusiones, confragrosa omnia circumspectans Solon, huc tandem devenit, ut Rempublicam instituerет, quæ æquo jure, tum a nobilibus, quam a plebeis gereretur; eo scilicet temperamento, ut scripsit Justinus, ut ita omnium ex hoc ei parta gratia, Civitatem ab interitu imminenti servaret incolumem. Itaque ex æquo, ut Seneca ait (a), *jure Solon fundavit Athenas, quo se inter ple-*

(a) *Epist. XC. lib.* 11. 7. 4.

plebem, Senatumque geſſit ab utriſque parem gratiam traheret. Hac igitur per eum ratione inita, ſtatutum fuit, ut quidquid apud Magiſtratus fieret, poſſet de eo provocari ad Populum coeuntem in foro. Ex hoc patet, voluiſſe eum inſtituere democratiam, habito tamen aliquo temperamento, ne ſi Reſpublica foret mere popularis, uti ante fuerat, in eumdem offenderet ſcopulum. At quemadmodum ea omnia geſſerit, ex Hiſtoricorum monumentis licet colligere.

Etenim Populum Athenienſem per quinque claſſes diviſit, quarum prima ex iis confecta eſt, qui ex cenſu quingentas menſuras haberent, tam liquidorum, quam aridorum fructuum; quibus talentum, vice tributi, ſolvendum indixit. Secunda ex iis, qui terçentas haberent fructuum menſuras, quos equites creavit, ſtatuens ut ſuis ſumptibus alerent ſinguli ſingulos equos Reipublicæ cauſa, & dimidium talenti vice tributi perſolverent. In tertia claſſe deſcripſit eos, quibus eſſet cenſus biſcentum menſurarum; quorum tributum Reipublicæ penſitandum ſtatuit minarum decem. In ultima demum forenſem turbam, alioſque minoris cenſus partitus eſt, quos noluit ſane quid Reipublicæ pro oneribus publicis penſitare; ut ea ratione poſſet plebis gratiam inire. Quo peracto cenſu, populoque ita per has claſſes diſtributo, conſtituit, ut rem judiciariam ſoli Patricii, ditioreſque ex Civibus exercerent; ea certe de cauſſa, ne particeps judiciorum etiam foret plebs, ob egeſtatem, quæ ſæpe homines ad flagitia urget, atque adeo venalia judicia fierent. Non tamen vetuit, imo potius juſſit judices legi præcedentibus plebis ſuffragiis; ceteras autem dignitates ſacras, ac profanas ex æquo inter Nobiles, ac plebem exerceri permiſit.

Quamquam autem affine ſit hoc Civitatis ſyſtema, per Solonem inſtitutum, ei nempe, quod conſtituit Servius: tamen in hoc differt potiſſimum, quod poſtrema Romanorum claſſis non niſi unum ſuffragium ferret, quum illa Athenienſis tot ſuffragia habebat, quot erant ejuſdem claſſis capita; ut Rex ille Romanus ariſtocratiam, Solon vero democratiam conſtituerit in Civitate. Itaque ille, quo Patricii omnes rem civilem tranſigerent, in unum contraxit ſuffragia plebis; hic vero

Digitized by Google

tot percenſuit, quot erant Cives in foro; nempe ut eſſet democratica Civitas, ac rerum peragendarum ratio, earumque judicium ex æquo pertineret ad omnes. Verum quia procedente tempore, ſingula hæc uniuſcujuſque ex plebe ſuffragia in rebus publicis poterant rem eo adducere, ut Civitas efficeretur denuo mere popularis, quum ſuffragia Nobilium, utpote minora numero, vincerentur a plebe ſecus ſentiente: ideo Solon hoc temperamentum injecit plebem inter, & Nobiles. Senatum nimirum Areopagitarum inſtituit, vel obſoletum revocavit ex iis, qui annuum Magiſtratum geſſerant. Novem autem Archontibus, qui antea ſummi judices erant, nihil novi muneris adjecit, præter examen reorum; noluitque præter hujus Senatus auctoritatem referri quidquam ad populum; ne ſcilicet ille ſtatutos limites tranſiret. In quo nimirum convenit cum Romulo, qui pariter, ne Patricii, aut plebs Civitatis ſtatum immutarent, imperavit, ne quid populus ſtatueret, niſi præeunte Senatus auctoritate, neve decreta Senatus firmitatem haberent, niſi fuiſſent a plebe adprobata.

Verum redeamus ad rem. Dixi ſuperius Solonem inveniſſe Civitatem divulſam in tot ſecum diſcordes factiones; illudque propterea inſtituiſſe regimen, quo communis concordia conciliaretur. Par igitur, æquumque fuit ea jura dare, quibus Civitas, quantum fieri poſſet, mutuis officiis, mutuoque amore coaleſceret, diſſentionibus undique amotis. Prima igitur ejus lex fuit, ut haberetur infamis, qui, civili aliquo oborto diſſidio, alteri diſſentientium parti non accederet. Sed lex hæc tantum abeſt ut foveret Civium concordiam, ut videatur potius ſeditiones ipſas augere quam maxime. Ita ſane eſſet, ſi legis nobis lateret ratio. Verum Gellius (a) rerum peritiſſimus ſic eam tradidit: *Si boni omnes, qui in principio coercendæ ſeditioni impares fuerint, populumque percitum, & amentem non deterruerint ad alterutram partem, diviſi ſeſe adjunxerint; tum eveniet, ut quum ſocii partis ſeorſum utriuſque fuerint, eoque partes ab iis, ut majoris auctoritatis viris, temperari, ac regi cœperint, concordia per eos potiſſimum reſtitui con-*

(a) *Lib. 2. cap. 12.*

Digitized by Google

conciliarique posset ; dum & suos , apud quos sunt , regunt , atque mitificant , & adversarios servatos magis cupiunt , quam perditos . En igitur qua de causa lex hæc faciat ad concordiam , ea nempe parando media , quibus sedarentur civiles motus .

Nec minus inter cives fovebat concordiam illa lex , qua liberis non existentibus , cuique permisit de bonis suis testari ; de qua ita Plutarchus : *Solon autem cum permisisset pro voluntate cujusque , ni supersent filii , hæredem constitui ; visus est amicitiam propinquitati , & gratiam necessitati præferre , pecuniasque , & bonorum possessionem esse habentium statuisse* . Scio per hanc legem labefactari bonorum æqualitatem, regimini democratico tantum perutilem ; cujus gratia vetita olim ante Solonem in Athenienſi Republica teſtamenta . Attamen advertendum Solonis tempore ita diſcordiis turbatam Civitatem fuiſſe : ut viſum ideo ei magis utile fuerit , hanc bonorum inæqualitatem penſari animorum concordia , quam bonorum teſtamentaria ſucceſſio fovebat .

Verum utcumque hæc ſint , hanc bonorum æqualitatem altera lege appoſitiſſime reparavit, illa ſcilicet, qua ſtatuit , ne deinceps haberent creditores jus in libertatem obæratorum , quos prius uti ſervituti addictos , aut ſibi habebant , aut aliis vendebant ; eorumque quoque gratia ingenioſiſſime pecuniæ auxit æſtimationem ; ut & creditores , quod ſuum eſſet , reciperent : & debitores nomina ſolvendo patrimonium non exhaurirent ; atque hoc , ut inſtauraretur inter cives bonorum æqualitas , ad regimen democraticum ſane quam perutile viſum . Hinc alia ſalubri lege ſanxit , ut omnis Civis artem aliquam profiteretur , vetito ſub infamiæ pœna otio , & ut nemo poſſet Athenis morari , quam triduo , ſi nollet aliquam artem exercere ; ut ita cives neque otium , neque egeſtas vexaret , quæ profecto effugi Athenis non niſi per artes poterat , propter agrorum , ſolique ſterilitatem . Hinc jure merito ita ſeveriori lege artes commendavit , ut vetuerit poſſe patrem in judicio alimenta petere a filio , quem artem aliquam addiſcere minime curavit . Prohibuit item ne filius aleret patrem , ſi ille ex concubina fuiſſet progenitus ; quia

Digitized by Google

non ideo concubuit, filioſque genuit, ut homines daret Civitati, ſed ut libidinem expleret ſuam. Hæc ſunt jura Solonis, per omnia comparata civili regimini; quo ille denuo, abrogatis legibus Draconis, condidit Athenas.

§. V.

De Republica Lacedæmoniorum ſub Lycurgo.

QUod attinet ad formam Civitatis, ſub qua reperit Spartanos Lycurgus, ſat habemus eam fuiſſe Oligarchicam, quum antea Democratia floreret. Civium vero vivendi conſuetudo per ea tempora, uxorum libertate, & licentia corrupta nimis erat; nam earum viri diutinis bellis occupati, ut plurimum Urbe carebant. Huc accedebat paucorum præ aliis rerum opulentia, qua fiebat ut luxurioſe vivendo corrumperent aliorum mores. Itaque eam regiminis rationem invenit Lycurgus, ut democratiam mere popularem, quæ adverſatur potiſſimum oligarchiæ, inſtauraret, rerumque profuſione vetita, ad temperantiam, & ſobrietatem civium mores componeret, atque firmaret.

Hinc Ephoros inſtituit, ex quocumque Civium ordine eligendos, nempe tam ex nobilibus, quam ex plebe, nullo habito diſcrimine. Quibus concredidit totum regimen Civitatis, ſcilicet divinarum, humanarumque rerum jura; ut hac ratione æquo jure omnes publici regiminis eſſent participes, quæ Reipublicæ popularis certiſſima nota eſt. Id autem ea de cauſſa a Lycurgo factum eſt, ut, quod fore ſperabat, ad ſingulorum utilitatem formata Reſpublica diu eſſet duratura. Sed talis eum fefellit opinio; nam in rebus humanis compertum eſt, neminem prope intra fines ſuos contineri. Hinc Ephori Spartæ, quemadmodum Tribuni Romæ, eas excitarunt publicas ſeditiones, ut mirum profecto dixeris, ni uno ictu Cives omnes perierint.

Itaque Lycurgus hoc ſyſtemate ſibi parato, neceſſe erat, ut ea, quæ Reipublicæ populari congruunt, ſtatueret; cui rei quum ſit bonorum inter Cives æqualitas appoſitiſſima, pro-

Digitized by Google

propterea Spartæ agrum diviſit, diſtribuitque Civibus ex æquo. Idipſum conatus eſt etiam Romulus, quia ambobus regimen democraticum conſtituere in animo fuit. Sed Numa, ſervata rerum diviſione, quam fecerat Romulus, tantum uniuſcujuſque agrum ſepe, veluti limite circumſcripſit, ſtatuitque id ſub religionis metu ſervari; quoniam agrorum limite ſervato, quiſque retineret, quod ſuum erat; atque ita bonorum ſervaretur æqualitas, Romano regimini per id tempus ſummopere utilis.

Verum jure merito ſcripſerunt Ariſtoteles, aliique politici, in hoc erraſſe quamaxime Lycurgum, quod quamvis, bonorum facta diviſione, prohibuiſſet, ne quis ſortem ſuam alicui venderet: dedit tamen ut poſſet eam unuſquiſque ſive donatione, ſive teſtamento relinquere. Ex eo enim fiebat, ut denuo bonorum inæqualitas inter Cives oboriretur, quum non minus venditione, quam teſtamento, ac donatione dominia rerum transferantur. Quare ſe ſapientius, quam Lycurgus, hac ſuper re geſſit Romulus, vetando ne quis ullo modo bona, quæ ei prima ſorte obvenerant, diſtraheret; quod item deinde lege *Cincia de donis, & muneribus* factitatum, ne quis ſua omnia bona, ſed ad certam quantitatem uſque, per ipſam legem definitam, donaret. At inquies, in Judæa, ubi etiam democratia vigebat, fundum alienare licuiſſe. Sed tamen vertente Jubilæo ad priſtinum dominum redibat, atque ita bonorum æqualitas per aliquod tempus abrupta, repararetur. In eo item non parum falſus eſt Lycurgus, in Republica ſua populari permittere patribus unicam filiam, eamque hæredem ex aſſe, cui vellent darent nuptum; quum ex hoc bonorum æqualitas tolleretur, Civitatiſque forma everteretur. Secus enim ſtatutum fuit Romæ, ubi vetitum, ne qua filia hæres ex aſſe ſcriberetur. Non item in Judæa, in qua filia unica, non niſi viro ejuſdem Tribus poterat nubere; quum & Romæ, & in Judæa modis omnibus abſoluta democratia eſſet. Demum non poſſum, quin fatear, & in hoc a recta ſemita aberaſſe Lacedæmoniorum Regem, quod poteſtatem cuicumque fecerit, ut doti filiæ quotquot bona vellent diceret; id enim fortunarum æqualitatem, cui cavendum erat

in

in forma democratica, de medio tollebat. Qua de re quanto prudentius factum eſt a Solone, qui prohibuit mulieribus dotem dici, ea ſimulata ratione, quod non bona, ſed mores deberent eſſe dos mulierum?

Perſpecto Lycurgi civili regimine, ejuſque cauſſis expoſitis, reliquum eſt, ut leges ejus promam, quæ civem reſpiciunt, omnemque prorſus luxum proſcribunt in Civitate. Sane quidem expenſarum profuſio quum ab opulentia proficiſcatur, id faciebat ad rem, ut decerptis, diminutiſque paucorum opibus, bona æqualiter inter Cives diſtribuerentur. Quod quum feciſſet is in bonis ſoli, in mobilibus quum id ipſum minime facere potuiſſet, ſolertiſſimum tamen inivit conſilium, nempe ſtatuit, ut abeſſet deinceps pecunia aurea, vel argentea, & ferrea tantum foret in uſu; ut ſcilicet ejus cupiditas deferveſceret, tum inter Cives ob difficilem cuſtodiam, tum apud exteros ob vilitatem materiæ. Ex quo factum, ut quum mercatores Spartam venundandis mercibus non accederent, omnis luxus, expenſarumque profuſio ab Urbe exularet. Nec eo contentus, ut luxuriem omnem a Civitate repelleret, convivia inſtituit publica, voluitque ut una diſcumberent tam pauperes, quam divites; ac ſtatuto ciborum genere omnibus æquali, notavit infamia, qui alio cibo uterentur, præſcriptumque modum in eo non ſervarent. Quare factum eſt, ut quum nemo poſſet ſtatutam metam tranſilire, expenſarum profuſio eliminaretur.

Pauca dicenda ſuperſunt, ut Lycurgi legum explicationem abſolvam. Quum is Spartanum Populum ad virtutem bellicam inſtituere vellet, ejus morem ita compoſuit, ut modis omnibus bello magis, quam paci congrueret. Hinc illud in conviviis ciborum genus, quibus nec corporis agilitas, nec mentis acies impediretur. Juſſit propterea Cives pedibus nudis, nudato capite, ſolaque tunica indutos incedere; ut hac vitæ conſuetudine labores bellicos minime faſtidirent. Hinc agrorum Elotis relicta cultura, artiumque exercitio, per quæ hebetatur, ac prope frangitur virtus militaris, ad luctam, aliaſque iſtiuſmodi corporis exercitationes Cives appulit; quibus fortitudo, corporiſque agilitas comparatur. In com-

Digitized by Google

communibus autem illis conviviis nil aliud edictum, commendatumque voluit, quam militarem ſtrenuitatem; ut inde adoleſcentes ipſi ab incunabulis pene belligerandi ſtudio imbuerentur.

Sed hic ſiſtamus paululum, ut Legislatorum in regimine ſtatuendo rationem detegamus. Romulus æque, ac Lycurgus Civitatem quiſque ſuam voluerunt bellico furore æſtuantem; hinc ambo operaria artificia noluerunt per cives exerceri. Contra Solon Athenis, Numa Romæ voluerunt Civitatem bello temperatam, & pace; propterea uterque hujuſmodi artes commendarunt Civibus; maxime vero Solon, qui noluit filium ad patrem alendum teneri, a quo ad artem aliquam inſtitutus non fuerit; & peregrinum otioſum triduo amplius Athenis morari vetuit, qui nulli ſe arti addixerit.

Romulus, ac Solon inſtituerunt Civitates democraticas, licet moderatas; quare ambo Patriciis detulerunt honores, præcedentibus tamen ſuffragiis populi, Romulus nempe tam civiles, quam militares: Solon autem ſolos judiciales, veritus ne ſi plebeji quoque, & pauperes judices ſederent, juſtitia ob paupertatem eorum periclitaretur. Itaque ambo libramentum aliquod inter Nobiles, & plebejos injecerunt, ut regimen ſervaretur incolume; Romulus ſcilicet ſtatuendo, ne quid fieret a Patribus injuſſu Populi, neve quid referretur ad Populum, niſi auctore Senatu; Solon autem Areopagiticum Senatum inſtituendo, veluti repagulum aliquod, ne Nobiles civile regimen immutarent. Verum ex adverſo Lycurgus voluit Civitatem mere popularem; quapropter Ephoros inſtituit ſive Nobiles, ſive plebeji eſſent, ut ita univerſi ſine diſcrimine participes forent regiminis.

Numa, Solon, quin & Lycurgus quum Civitates regendas diſſentionibus refertas accepiſſent, id omnes ſpectarunt, ut amotis diſſidiis, cives concordes efficerent. Quapropter leges ad id ipſum appoſitiſſimas pararunt, ſed alius alia via. Numa Cives per Collegia diſtribuens; Lycurgus per convivia; Solon per leges teſtamentarias; Romulus etiam per patronatum Patriciorum in plebem, eorum diſſitos animos conſociavit. Numa, & Solon Civibus commendarunt artes, ſed has pro-

Digitized by Google

prohibuerunt Lycurgus, & Romulus; quum hi voluerint Civitatem omnino bellicosam; illi vero legibus, & pace temperatam. Denique Numa, Lycurgus, ac Solon Civitatem præoptarunt procul esse in rerum usu a luxuria. Hinc Numa sobrietatem vel in sacris imperavit; inde ut intelligeret Populus quanto studio luxuria rerum fugienda sit, quum ne Religionis quidem caussa admittenda foret. Lycurgus pecuniam ferream cudendam imperans Mercatores ab Urbe expulit; & Solon jussit infamem esse, qui bona sua abligurierit, ut ita unusquisque in rebus servaret modum. Hoc est illud antiquum, & vetustum jus, quod ex vario sapientissimorum Principum regimine detectum, instituti nostri firmandi gratia explicare non alienum putavi. Interea ut æquo animo me ferat lector oro, si longior fuerim, quum prolixitas hæc rerum, quæque fuerit, utilitate ac pondere pensanda sit.

CAPUT III.

De aliis subsidiis ad acquirendam jurisprudentiam necessariis.

§. I.

De veteri Jurisconsultorum latinitate.

USque adhuc satis multa dixisse arbitror, ut evincerem quam necesse sit ad intelligendum jus civile, notitiam juris naturæ, & Civitatum regiminis perceptam habere. Verum quia præter hæc alia subsidia necessaria sunt ad juris civilis cognitionem assequendam; ideo de his nunc mihi est agendum, & primo de veterum latinitate, quam juris civilis potissimam esse causam nemo diffitebitur. Sane me pudet dicere, & tamen temporum iniquitate dicendum probandumque est, latinum sermonem per quam necessarium esse ad Romanam jurisprudentiam intelligendam. Si enim ars ulla sive liberalis, sive mecanica exerceri, intelligique minime potest, ejus notionibus propriis ignoratis; cur jus civile ab hac regula receptissima excipiendum erit? Non-

Digitized by Google

Nonne latinæ linguæ peritia evolvit arcana juris prudentiæ, detegitque intimas Jurisconsultorum sententias, quæ germanis vocabulis, & aliquando obstrusioribus, ac peculiaribus latine dicendi generibus, obsignantur? Et quamquam Jurisconsultorum, quorum fragmenta reliqua sunt, plerique latinitate jam inclinata floruerint: studio tamen, ac religione verborum, qua maxime scientia legum adservabatur, ita excellebant, ut auream prope latinitatis ætatem elegantia, & proprietate reddiderint. Sui igitur erroris convincantur plerique illi, quos non pudet effutire, linguæ latinæ peritiam juri civili prodesse parum, & pro illo puro, putoque Romanorum sermone satius esse latinitatem addiscere, quæ hodierno usui forensi facta est peculiaris. Apage falsam istam, atque ineptam imperitorum opinionem; quæ quum non nisi increbescente barbarie inoleverit, jam diu est, quum fuerit peritorum interpretum unanimi profligata judicio. Sed tandem veniamus ad rem.

Quod in perlegendis Jurisconsultorum fragmentis debemus advertere, illud maxime est, ut sciamus quomodo illi sapientissima sua responsa aptaverint ad rem, de qua agebatur. Etenim quum omnis quæstio, quæ inter duos litigatores versatur, vel juris sit, vel facti: hinc Jurisconsulti, si quæstio de jure esset, dicebantur de jure pronunciare; si vero facti, hac utebantur formula: *ita factum esse, vel ita factum videri*; aut contra. Sed ut proprius rem ipsam attingamus, explicemus porro, quænam sit juris, quæve facti quæstio. Est juris quæstio, quum constat factum esse id, de cujus justitia quærimus; facti vero quum non constat, an id factum sit, super quo lis orta est, cujusque nomine reus appellatur; quodque vicissim affirmat actor. Quid autem super facti quæstionibus judex debeat respondere, & quomodo se ipsum gerere, nullus est juris locus, qui nobis occurrat, certam, determinatamque regulam tradens. Nam ut ait Cicero, in his quæstionibus, facti scilicet, bonus ac prudens judex statuet, an ex re nata, perpensis diligenter omnibus circumstantiis, satis probatum sit, nec ne, ut *ex lege* 3. *D. de testibus*. Itaque nullæ juris regulæ super ipso facto nobis traditæ sunt,

nempe an res hæc ex. gr. facta ſit, nec ne; quum hoc ex probationibus, hiſque deficientibus, ex conjecturis promendum ſit, quas a Rhetoribus Juriſconſulti mutuati ſunt; nam de facto ipſo conjecturas evolvere, ac excutere Rhetorum potius, quam Juriſconſultorum facultas, & munus erat. Itaque quod ad conjecturas potiſſimum facit, id eſt, quod attente judex animadvertere debet, *quid ante rem, quid cum re, quid poſt rem evenerit*. Hoc facto, jus ei præſcribit ſtatuitque, ut faciat de probationibus ipſis, teneatque id quod magis veroſimile ſit. Sed hoc ne, an illud potius ſit, ſuo relinquit arbitrio, nempe ut ſibi videbitur. Hinc Papinianus ait (*a*): *facti quæſtio in arbitrio judicantis eſt*; & Paulus (*b*): *facti quæſtio in poteſtate judicantium eſt*; *juris autem authoritas non eſt*. Quæ loquutionis formula non id nobis innuit, quod in poteſtate judicis ſit ferre quam velit ſententiam de jure, quod ex facto vero, aut præſumpto huic, vel illi oritur; ſed tantum, quoad in ejus ſit poteſtate, ejuſque arbitrio ſervatum, omnibus circumſtantiis attentis, pronunciare, illud ne factum ſit, an non; num ita, an alio modo; an id magis ſibi ipſi veroſimile videatur. Itaque non jus, quod ex facto oritur, ſed facti ipſius veritas, vel falſitas, ejuſque veriſimilitudo penes judicem eſt.

Verum hic notandnm tam Juriſperitos, quam Magiſtratus, imo ipſos Principes ſæpiſſime fuiſſe conſultos, quid juris ex aliqua re nata ſibi eſſet; cujuſmodi multa Principum, ac Juriſconſultorum in corpore juris, & præcipue in Codice Juſtinianæo extant Reſcripta, vel Reſponſa; a quibus quum libelli ſupplices factum ipſum continentes per Tribonianum fuerint avulſi, factum ex hoc eſt, ut ſint ambagibus involuta, aliiſque negotiis in dies emergentibus non poſſint aptari; quum periculum ſit, ne ex facti ignorantia circumſtantiæ in diverſum nos trahant. Quare oppoſite ſcripſit Capitolinus in Marco: *Fuit in jure non incallidus, adeo ut ſtatuiſſet omnia reſcripta veterum Principum tollere, ut jure, non reſcri-*

(a) *Leg. penul. ad Sen. Conſul. Turpilia.*
(b) *Leg. ordine ff. ad municipalem.*

Digitized by Google

ſcriptis ageretur, nefas eſſe dicens, leges videri Commodi, atque Caracallæ, & hominum imperitorum voluntates, quum Trajanus nunquam libellis reſponderit, ne ad alias cauſſas facta præferrentur, quæ ad gratiam compoſita viderentur. Scilicet, ut mihi videtur, ob eas facti circumſtantias peculiares, quæ facile ab aliis ſpeciebus poſſunt abeſſe. Hinc caveat Advocatus, aut Judex, ne in ſpeciebus obvenientibus, Principum Reſcriptis, aut Prudentum Reſponſis nimis indulgens, ob facti, ejuſque adjunctorum varietatem in juſtitiam peccet. Sed ex his ad alias juriſconſultorum formulas tranſeamus.

Scite Theophlius dixit (*a*) juriſconſultorum reſponſa in ſententias dividi, ac opiniones; ex primis juris certitudo depromitur, eamque formulam uſurpabant ſæpiſſime, ut dicerent, *putare*, *arbitrari*, *opinari*, *probabilius magis eſſe*, *verius videri*, *quid ſequendum nobis ſit facile eſſe judicare*. Quo loquendi modo non id præferebant, ut rem crederent dubiam; ſicuti viſum Accurſio, aliiſque, qui latinitatem vetuſtam cum illa forenſi ætatis ſuæ metiebantur: ſed ut jus certum ſtatuerent, alia prorſus in dubitatione uſi dicendi ratione; nimirum *videamus ne iniquum ſit* (*b*), *videndum eſt* (*c*), *cavendum eſt* (*d*). Per quæ non id agebant, ut rem in ancipiti relinquerent, nulla data reſponſione, ut ſibi ſuaſit Accurſius; ſed quod reſponſitabant in jure non eſſe certum. Quapropter ſi nobis lex affulgeat, quam in partem potius fuerint proniores, id nobis ſectandum erit; quum jam legis vim iis dederit Juſtinianus in ſuo Codice *Titu. de veteri jure enucleando*.

Sed quid? innumera pene juris capita ſunt, quæ ſine veteris latinitatis ope intelligi omnino nequeunt. Non ne ſexcenta Ædilium, Prætorumque ſunt Edicta, adeo peculiaribus vocabulis, retruſioribuſque nominibus referta, ut iis ignoratis, jus Prætorium, ac Ædilitium in obſcuro lateat? Quorum ſane ſi quæras, hæc ratio erat. Quum Prætor Romanus ſenſim edi-

(a) *Tit. inſtitut. de jure natu.*
(b) *L. 4. de ritu nuptial.*
(c) *L. 57. de evictionib.*
(d) *L. 4. de verbor. obligat.*

Digitized by Google

ctis ſuis juris civilis aſperitatem, ſub æquitatis ſpecie lenire ſuſcepiſſet: quumque is cuſtos juris eſſet, non arbiter, aperteque facere non poſſet, eo magis, quod ſub auſpiciis magiſtratus juratus eſſet in leges: ea utebatur arte, ut novis vocabulis, atque aliis aliiſque fictionibus jus civile corrigeret, ſuppleretque; atque ita jus omne intervertendo, intra leges tamen conſiſtere videretur. Sic filius emancipatus jure civili nihil juris habebat in hæreditate patris, ob agnationem jam ſolutam. Sed hoc ipſi naturali æquitati adverſabatur; nam licet emancipatus agnatus jam non eſſet, filius tamen erat. Tunc igitur Prætor hoc modo rem componebat, ſcilicet illum non ut hæredem, ſed ut bonorum poſſeſſorem ſtatuebat; quod licet in nomine ineſſet diſcrimen, re tamen atque effectu ipſo idem erat; jus civile legitimam, validamque minoris obligationem habebat. Prætor autem æquitate motus ob ipſam ætatem minorennem, eamdem illam reſcindebat. Quare quum non poſſet aperte illam infirmare, id agebat, ut fingeret minorem in eo ſtatu exiſtimari, in quo erat antequam juris vinculo ſe obſtringeret; atque in eo quum non adhuc obligationi ſe reddidiſſet obnoxium, fiebat profecto, ut haberetur ab ea ſolutus. Itaque per hanc reſtitutionem in integrum revera jus civile abrogabatur a Prætore, quum illud obligationis tempus ſpectaret, hic vero tempus quod eamdem anteceſſit; atque hinc fiebat profecto, ut haberetur ab ea ſolutus.

Sed audio neſcio quem mihi objicientem illa Gellj (a): *Verbis uti, aut nimis obſoletis, exculcatiſque, aut inſolentibus, novitatiſque duræ, & illepidæ, par eſſe delictum videtur: ſed moleſtius equidem, culpatiuſque eſſe arbitror verba nova, incognita, inaudita, dicere, quam invulgata, & ſordentia. Nova autem videri dico etiam ea, quæ ſunt inuſitata, & deſita, tametſi ſunt vetuſta.* Sed locus hic licet probatiſſimus, nihil tamen ad rem noſtram; nam licet fruſtra eſſet ſi tempus impenderemus tantum in evolvendis vetuſtis latinis auctoribus; quum jam diu ſit, quum Prætoris formulæ, ac duodecim Tabu-

(a) *Lib.* 11. *cap.* 7.

Digitized by Google

bularum priſca vocabula adeo receſſerint ab uſu, & exoleverint, ut omnino nequeant hoc tempore uſurpari. Verum hic non agitur de hoc vetuſto dicendi genere rebus noſtris aptando, in quo ſane urget argumentum Gellj; ſed de legibus civilibus Romanorum intelligendis, ubi neceſſe dicimus eſſe veterem illorum latinitatem pernoſcere, ac vocabulorum vim, & virtutem callere, ne ſcilicet jus illud, quo vivimus, inter horridos vepres, atque ignorationis latebras deliteſcere videatur. Et quod ita res ſe habeat, ab ipſarum legum corpore repetamus exempla.

Perpulchra eſt quæſtio illa apud Ulpianum. Quidam duos ſibi hæredes ex aſſe inſtituerat, unum nempe prædiorum, quæ Romæ, alterum vero illorum, quæ in Italia ſita erant; ſed hæc præ illis longe majoris æſtimationis erant. Quum vero teſtator æs alienum contraxiſſet, dubitandi ratio hic erat, an is quem fructuoſiora prædia ſequebantur, in expungendis nominibus magis teneretur. Reſpondit Juriſconſultus (*a*) negando. Quando enim æqualiter ambo erant hæredes, & onera ſunt hæreditaria, æs alienum pro medietate quiſque diſſolvere debebat. At enim quo quis majus ex hæreditate lucrum percipit, æquum eſt, ut eo gravius onus ſubeat. Sed reſpondit idem, *fundos vice præceptionis accipiendos*; quæ verba veterem ignorantibus latinitatem adeo ſunt tenebricoſa, ut prorſus nequeant ſe extricare, legiſque rationem aſſequi; quod profecto ſecus eſſet, ſi *præceptionis* vocem intelligerent. Et quidem vox hæc *præceptio* legatum præfert, quod a teſtatore ex hæredibus uni relinquitur, nempe ut is rem illam, antequam hæreditas dividatur, habeat præcipuam. Quo poſito, quum onera activa, & paſſiva hæreditatis ad hæredes tranſeant, qui nempe titulo inſtitutionis tales ſunt, non autem ad ſingulares ſucceſſores, ſive legatarios, quumque hæredes noſtri inſtituti ſint ex aſſe, ac proinde æqualiter: hinc quamvis alter hæredum ingentioris pretii prædia habuerit, nequaquam gravius onus ſufferre debet, quum quod ſuperat in prædiis ſuis hæreditariis, titulo ſit legati *præceptionis*; & legata

(a) *L. ex facto* 35. *D. de hæredibus inſtitu.*

gata profecto quæcumque ab oneribus hæreditariis immunia ſint.

Potuiſſem ſane hoc uno argumento rem hanc abſolvere; ſed non eſt abs re nonnulla alia in medium afferre. Vetitum eſt mulieri ex Senatus Conſulto Vellej, pro aliquo intercedere. Sed quum verbum hoc (nempe *interceſſio*) fuerit ab Accurſianis, & Bartholinis pro fidejuſſione uſurpatum: hinc multas ſuſcitant quæſtiones; quando ne dicendum ſit mulierem pro alio intercedere, ita ut nulla ne, an valida ſit ejus obligatio. Quumque fidejuſſio debeat alienæ obligationi accedere, mire ſe torquent, quum mulier pro alio ſe ſe principaliter obligat. Sed ſecus cum doctioribus interpretibus, qui veterem latinitatem callent. Vox enim hæc *interceſsio* non ſolam fidejuſſionem complectitur, ſed quodvis aliud obligationis vinculum, quo mulier non pro ſe, ſed pro alio obſtringatur, ſive acceſſorie, ſive principali nomine id faciat, nempe ſi expromittat, obligatumque prius liberet, aut alterius vice ſe obliget principali nomine. Sequitur hinc ut in omnibus his ſpeciebus quum mulier pro alio intercedat, Senatus Conſult: jure gaudeat (*a*), modo tamen creditor ſciat mulierem pro alio principaliter intercedere; ſecus enim mulieri Senatus Conſul. minime refragraretur (*b*) ob vulgatiſſimum illud in jure, *quod deceptis, & non decipientibus jura ſubveniant*. Sane deciperet mulier in hoc caſu creditorem, quum ei ignoranti pro alia legitima obligatione ſuam infirmam obtruderet; ſi enim plane mulier conſilium ſuum detexiſſet, forte creditor non recepiſſet ejus obligationem. Verum ſi mulier alterius novaverit obligationem, licet juvetur Vellejano, quum id non niſi ſciente creditore fecerit; attamen ejus obligatione per exceptionem S. C. infirmata, prior obligatio veteris debitoris reſtituitur; quum æquum non ſit creditorem utramque amittere, priorem nempe ob mulieris novationem, poſteriorem vero ob Vellejani exceptionem. His jam præmiſſis, exponamus exempla.

Rem ſane notatu dignam exhibet Ulpianus (*c*). Tutores ut

(a) *L.* 1. §. *omnis D. ad Velleja.*
(b) *L. ſed ſi ego D. eodem.*
(c) *L. quam* §. 2. *ad S. C. Vellej.*

Digitized by Google

ut pupillum ære alieno liberarent, atque ita uſurarum impendia præciderent, prædia quædam vendere ſtatuerant. Sed intervenit apud eos mater, ne diſtraherent; quumque metus eſſet, ne a pupillo deinde adulto convenirentur uſurarum cauſſa, quas ille effugiſſet ſane ſolutione ſortis, ſi diſtracta eſſent prædia: mater indemnitatem promiſit. Pupillus autem factus major de hoc ipſo Tutores convenit, qui pariter in jus vocarunt mulierem ob promiſſam indemnitatem; quæ ſane Sen. Conſul. objecit. Verum hic Juriſconſultus reſpondit mulierem Sen. Conſul. exceptione minime juvari; quia nulla eſt hic obligatio, nempe neque vetus, neque nova, quam mulier intercedendo in ſe recipiat, ſed tantum ea quam mulier ipſa contraxit, quæ dici non poteſt interceſſiſſe, ſed potius negotium ſuum geſſiſſe. Igitur quum hic nulla ſit interceſſio; hinc fit, ut Sen: Conſul. locus non detur, quod mulieribus non niſi intercedentibus favet. Adeo ut ſic rem hanc exprimat Paullus 2. *ſententi.* 11. *cap.* 2. *mulier, quæ pro tutoribus filiorum ſuorum indemnitatem promiſit, ad beneficium S.C. non pertinet*. Eadem prope eſt ſententia illa ab Africano in *L. Tutor* 19. per eundem relata, in qua Titio dubitante de adeunda hæreditate cujuſdam tutoris, qui male tutelam geſſiſſe exiſtimabatur, pupilli mater indemnitatem promiſit. Quum enim cautio hæc indemnitatis vera interceſsio non ſit, mulier S. C. exceptione non juvabitur. Videſis propterea ex his omnibus, quam neceſſaria ſit ad ſcientiam legum, genuina veteris latinitatis cognitio.

Inter juris interpretes, ac Pragmaticos etiam contenditur ſummopere, ſi criminis judicium cum actione civili concurrat, prius ne agendum ſit civiliter, an vero actio criminis præferenda ſit; ex. gr. poſtquam per vim quis poſſeſsione ſpoliatus eſt. Si agatur a ſpoliato, tum de vi, tum de poſſeſsione, utrum ante cognoſci debeat de vi, an vero de poſſeſsione. *Vetuſto quidem jure ſic erat definitum* (a), *ſi de vi & poſſeſſione quæratur: prius cognoſcendum de vi, quam de proprietate rei Div. Hadrianus reſcripſit*. Verum de jure novo

(a) *L.* 37. *D. judiciis.*

vo ſic ſtatuit Conſtantinus: ut hoc loco ſcripſit Gothofredus (a). *Violentiæ cauſam examinari oportere, & in ea requiri, ac inveſtigari quis, ad quem venerit poſſidentem, ut ei, quem conſtituerit expulſum amiſſæ poſſeſſionis jura reparentur. Quo facto, hoc eſt poſſeſſione jam reſtituta, violentus pœnæ non immerito deſtinatus, in totius litis terminum differatur, ut agitato negotio principali, ſi contra eum fuerit judicatum in inſulam deportetur.* Hanc legem Conſtantini cum illa Hadriani ſuperius laudata, aperte pugnare ſcripſerunt Hotomannus, & Cujacius, ea moti ratione, quia in hac poſſeſſionis judicium violentiæ crimini præfertur, ſecus ac in illa ſtatutum fuerat. Hinc Pragmaticorum inſurrexerunt contentiones. Sed recte animadvertit Gothofredus eos fuiſſe deceptos in proprietate ſermonis; nam quod dicitur in lege de judiciis *ſi de vi, & poſſeſſione quæratur*, vox *poſſeſſio* accipienda eſt pro rei proprietate; quo facto nulla invenitur antinomia. Nam quum Conſtantinus voluerit eſſe primum de *poſſeſſione* cognoſcendum, hoc non ideo affirmavit, ut judicium civile præferret criminali: ſed quia hoc ipſo, quod judicium criminale redditur, ventilaturque, de poſſeſsione cognoſcitur; nempe ut ante omnia ſpoliatus reſtituatur; deinde vero veniatur ad pœnam, ſcilicet ad deportationem, ſi ſpoliator non fuerit dominus. Et ſi dominus ſit pro vi illata bonorum medietate mulctabitur, ad vindictam publicæ diſciplinæ; quum nemo poſsit propria auctoritate rem ſuam vindicare, quod fieri non poteſt, niſi proprietatis judicium antecedat. Hinc eſt cur hoc criminis judicium ultimo loco ponatur, non vero illud, nempe commiſſæ violentiæ, quod ſimul & ſemel cum ipſo poſſeſſorio tranſigitur. Nulla igitur contradictio inter jus vetus, & novum, quum veteri adhuc jure non poſſet violentiæ cauſſa pertractari, niſi ſimul cum ea de poſſeſsione ageretur. Hinc quum legamus, Hadriani lege de vi prius, quam de poſſeſsione cognoſcendum; *poſſeſſio* illa debet accipi pro rei proprietate, ut in calce ejuſdem legis habetur. Unius igitur vocis ignoratio viros ſummos in errorem rapuit; ejuſ-

dem

(a) *L. 3. ad l. jam de vi lib. 9. Cod. Theodoſ. tit. X.*

Digitized by Google

dem vero intelligentia in concordiam mire eosdem adducit.

In lege 14. Codic. Theod. *de accusationibus, & inscriptionibus* habetur: *Quod si quis enerat actionem internecini, vel crimen intendat suspectæ mortis*, debeat inscribere in crimen. Vir clarissimus Cujacius ad titul. *de falsis* credidit, actionem internecini esse illam civilem de homicidio; quod falsissimum est. Nam titulus ipse *de inscriptionibus*, in quo hæc actio conjuncta legitur crimini suspectæ mortis, satis commonebat eam non civilem, sed criminis actionem esse. Si igitur criminis hæc actio est, cur dubitatum an hæres deberet in eam inscribere, quum exploratissimi juris sit accusatorem debere inscribere in crimen? Sed quoniam internecini crimen est veneficii accusatio, quo suspicatur ab hærede fuisse testatorem peremptum, ex ipsius vocis significatione en tibi, quod injicitur dubium. Quum teneatur hæres ulciscí defuncti mortem, videtur non debere inscribere in crimen, quum inter voluntariam accusationem, & officii necessitudinem valde interfit. Verum id, si esset filius, aut Mater, vel Pater, aut extraneus, cui ultio isthæc imperata fuisset a testatore; hi enim inscriptionis vinculo sunt immunes; quia non voluntate, sed officii necessitudine criminis actionem intentant. Sed quid ad hæredem extraneum, cui non fuerit hoc a testatore mandatum? Contra vero hic etiam ex pietatis officio, & inconsulto calore, quam voluntate, accusare servos domesticos de defuncti morte suspectos videtur. Sed utcumque res se habeat, lex sanxit, ut & in actione internecini inscriptio esset in crimen. En quanti est facienda latinitatis jurisconsultorum scientia; & quanta errorum seges ex ejus imperitia ad nos redundat.

§. II.

De Philosophia Stoica.

INter vetustos Philosophos jure merito principem locum Socrates obtinet; ante eum enim in eo Philosophorum scientia tota versabatur, ut alii assidua speculatione astra per-

Digitized by Google

currerent, ut de futuris rebus conjecturas caperent; alii naturam ipsam introspicere conarentur, quo rerum naturalium, quoad liceret, rationes explorarent. Sed ille hanc contemplationem Græcorum sterilem, ac inertem, quæ potius ingenii exercitatio, longioriſque ocii levamen, quam scientia haberi poterat, reddidit operosam, atque frugiferam; quippe qui illam convertit, transfuditque in eam scientiam, quæ publicæ, atque privatæ fœcundissima seges esset utilitatis, in philosophiam nimirum moralem, qua homines sociabiles, & probi Cives fiunt. Hac igitur nova philosophia a Socrate instituta, per quam homines ad societatem, civilitatemque formantur, unaquæque Civitas, omnisque culta natio eam capessere, addiscereque festinavit. Jam vero jus civile, quum aliud non sit, quam norma bene honesteque vivendi; illud erit Civitatis jus, qualis philosophia ab eadem Civitate adoptata. Quare hoc spectans Ulpianus ait, Romanos non fucatam, sed veram philosophiam sectari, jus nempe per hanc definiens, ut unum illud idemque esse cum philosophia, significaret.

Verum enimvero post Socratem adeo per omnes gentes fuit hoc sapientiæ studium diffusum, ut ex eo sectæ quamplurimæ, & quidem aliæ alia sentientes, fuerint ortæ. Nam erant qui rerum contemplationi tantum navabant operam; alii vero, qui speculationem simulque actionem jungebant, vocatique Stoici. Quam sane philosophiam præ ceteris Romani sibi cooptarunt; quum per hanc sapiens accederet ad Rempublicam. Hæc inquam, tempore procedente, adeo per omnes juris civilis partes fuit sparsa, atque diffusa, ut ardua res sit, ac prorsus desperata Romanorum jurisprudentiam addiscere, nisi revoces eam ad Stoicam sapientiam, cui tota profecto innititur, insidetque. Verum demigrante Romam pulcherrima hæc scientia, contigit sane tractu temporis, quod & ceteris rebus usuvenit, nempe ut obortis dissentionibus, divisio fuerit in eam quoque inducta. Itaque inter ipsos Romanos fuerunt, qui ita arcte ei adhæserint, ut ne latum quidem unguem a vetustis jam traditis placitis, regulisque discesserint. Alii vero interpretationibus novis, magis tamen æquitati, quam litteræ consonis, eam profitebantur. Demum orti sunt

&

Digitized by Google

& alii, qui æquitatem una cum litterali ejuſdem ſenſu copulantes, hac via enata diſſidia componere ſtudebant. Hæ ſunt nimirum illæ tres Juriſconſultorum ſectæ, notiſſimæ ſatis Sabinorum, Proculianorum, & eorum, qui appellabantur Medii, ſive *Herciſcundi*, qui ſcilicet illos tam diſſitos inter ſe in concordiam adducerent, partim litteram, partim vero æquitatem ſectantes. Ex his inter ſe tam diſcordibus ſectis proſtant in jure civili tot, tantaque diſſona juriſconſultorum reſponſa; quemadmodum enim alii in alia erant hæreſi, ita diverſis principiis ducti aliter reſpondebant in jure. Sic igitur Stoicorum, aliorumque ſectæ principia ſollicite exquirenda ſunt, ut & jus civile Romanorum poſſimus intelligere, & Juriſconſultorum reſponſa, inter ſe pugnantia, ad cujuſque ſectæ revocata dogmata, componere valeamus. Nec ſane cura hæc, & ſtudium in hoc uno vertitur, ut vetuſtarum rerum notitia curioſitatem noſtram expleat: ſed ut potiſſimum ex eo illam comparemus ſcientiam, qua nobis innoteſcat, reſponſa juriſconſultorum occurrentibus negotiis aptanda ne ſint, nec ne, prout Stoicæ principia hodierno uſu recepta ſunt, aut exoleverint. Igitur quum Stoicæ hujus ſapientiæ ſtudium ſit nobis adeo neceſſarium, ſinat lector, ut ordine rem hanc a ſuo veluti fonte repetam, ut inde ejus proprietates, notioneſque undequaque appareant.

Illud potiſſimum erat hujus philoſophiæ inſtitutum, ut ſapiens accederet ad Rempublicam; cujus rei profecto luculentiſſima ſunt ſcriptorum veterum teſtimonia. Laërtius de Zenone hæc tradidit: *Accedere dicunt Sapientem ad Rempublicam, niſi quid impediat, ut ait Chryſippus in primo de vitis, ideſt ad Magiſtratus, & judicia, & ad oratoriam ſolos eſſe idoneos.* Gellius item (*a*): *Civitates, & Rempublicam (ſi nihil prohibeat) conſtanter, & fortiter, & perite Stoicus adminiſtrat.* Ac denique Plutarchus ſic: *Etenim Magiſtratus gerunt, & judicant cauſas, & conſultant, & leges ferunt, & puniunt, & honorant.* Hinc nil mirum ſi Marcianus hanc philoſophiam præ ceteris extulit (*b*), *ac ſummam ſtoicam ſapientiam* nuncupet;

(a) *Lib. X. cap.* 22.
(b) *L.* 2. *D. de legibus.*

Digitized by Google

quum hæc sola traderet sapientes participes fore totius civilis regiminis; quia ceteræ tantum contemplationi rerum, nequaquam vero rebus agendis studiosos addicerent.

Erat igitur hujus philosophiæ studium præcipuum, ne homines relinqueret inertes, sed ut faceret actuosos. Verum quia in rebus humanis nihil infestius esse potest, quam pertinaci animo insistere in eo, quod successu rerum falsum deprehenditur: non mirum si hinc ea hujus philosophiæ prima rudimenta essent, ut receptæ opinionis fieret creba mutatio, quoties quid verosimilius occurreret in contrarium. Quapropter scripsit laudatus Laërtius de Chrysippo Stoico hæc: *Ampliabat autem ipsa volumina sæpe de eodem dogmate tractando, omneque quod incideret scribendo, ac sæpe corrigendo.* Et Seneca (a): *Non est levitas a cognito, & damnato errore discedere; & ingenue fatendum est; Aliud putavi, deceptus sum: Hæc vero superbiæ stultitiæ perseverantia est. Quod semel dixi, qualecumque est, fixum, ratumque sit.* Et denique Epictetus Stoicorum facile Princeps (b): *stultum neque mutavi, neque rumpi posse.*

Sectati fuerunt hanc methodum etiam Romani Jurisconsulti. Quare multoties eorum responsa contraria de eadem re Triboniani inscitiæ tribuenda non sunt; sed ipsis illorum auctoribus, qui a priori sententia, suadente postmodum alia verosimiliori ratione, discedebant prudenter; quorum exempla non pigeat referre, quum sint perpulchra, & scitu digna. Ita se gessit Scævola in l. *qui bona* §. *si quis duobus* de acquirendo rerum dominio. Ita Papinianus omnium jurisconsultorum Princeps in l. 6., & 7. D. de fervis exportandis, & Sabinus in l. *item*, *quod* D. de hæredibus instituend. ac Paulus in l. *quæsitum* 78. §. penult. de legatis 3. ita scribens. *Quum vir ita legasset, quæ uxoris caussa parata sunt, ei do, lego: ego apud Prætorem fideicommissarium petebam etiam res æstimatas, quarum pretium in dotem erat: nec obtinui, quasi testator de his rebus non sensisset. Atqui si in usum ejus datæ sint,*

(a) *Lib. 4. de benefic. cap. 37.*
(b) *Cap. 15.*

Digitized by Google

ſint, nihil intereſt, ab ipſo, an ab alio comparatæ ſint. Poſtea apud Aburnium Valentem inveni ita relatum; Mulier res æſtimatas in dotem dederat; ac deinde maritus ei legaverat his verbis; Quæ ejus cauſa parata emptaque. Dixi emptorum, paratorumque appellatione non contineri ea, quæ in dotem data eſſent; niſi maritus eas res, poſteaquam ipſius factæ eſſent, in uxoris uſum convertiſſet.

Adhibebant etiam ſummam induſtriam, qua verborum proprietatem in loquendo, ac ſcribendo aſſequerentur, verborumque detegerent origines, inde ut interrogati conſultique conciſis, brevibuſque verbis, hiſque ad rem ſermonis elegantia aptatis reſponderent. Quod ſane tractatus eorum de regulis juris abunde teſtatur, in quo animadvertere licet, eorum ſententias ea expoſitas brevitate fermonis, ut dixeris plus dictum, ſed minus ſcriptum. Sane Laërtius teſtatur, *Zenonem aſſerenti cuidam brevia ſibi videri dicta philoſophorum; reſpondiſſe vera loqueris; oportet nempe & ſyllabas ipſorum eſſe breves, ſi fieri poſſit.* Atque ut Juriſconſultorum adducamus exempla, tradidit Gellius (*a*) de Labeone ita: *Latinarum vocum origines, rationeſque percalluerat, eaque præcipue ſcientia ad enodandos pleroſque juris laqueos utebatur.* Ex quibus apparet celebriores Juriſconſultos germanam Juris intelligentiam non modo ex verbis ipſis latinis inſita ſententia, ſed ex retruſioris Philoſophiæ penetrabilibus eruiſſe.

Sed interim a Stoicorum loquendi formulis ad rem deveniamus. Sane jus civile nil aliud eſt, quam juſtitia civilis, quum ad eam juris præcepta, ſcilicet honeſte vivere, alterum non lædere, ſuum unicuique tribuere, omnino revocentur. Quum igitur Romani juriſperiti eam fuerint ſectati juſtitiæ definitionem, quam quidem a Stoicis acceperant; dicendum eſt pene omne civile jus a Stoicis principiis pendere, quoniam prima ejus origo a Stoica philoſophia petita eſt. Itaque videndum quid Stoici ſenſerint de juſtitia, ut cum ea deinde juris civilis ſcientiam comparemus. Seneca, qui inter Stoicos vindicat ſibi primas, hæc de juſtitiæ definitione

(a) *Lib. XIII. cap. 10.*

ne ſcripſit (a) : *Philoſophiam quoque fuerunt, qui aliter atque aliter definirent; alii illam ſtudium virtutis eſſe dixerunt, alii ſtudium corrigendæ mentis*. Sed nos preſſius videamus ex juriſconſultis noſtris quomodo plerique juſtitiam definierint. Sane Ulpianus in titulo *de juſtitia, & jure* hoc modo definit juſtitiam : *Jus naturale eſt* (ait) *quod natura omnia animalia docuit. Nam jus iſtud non ſolius humani generis proprium, ſed omnium animalium, quæ terra, marique naſcuntur, avium quoque commune eſt. Hinc deſcendit maris, atque fæminæ conjugatio, quam nos matrimonium appellamus; hinc liberorum procreatio, hinc educatio. Videmus etenim cetera quoque animalia, feras etiam iſtius juris peritia cenſeri*. Quæ juſtitiæ definitio per omnia Stoicorum placitis reſpondit. Hinc Plutarchus Chryſippum inſignem Stoicum eodem modo definiiſſe juſtitiam ait, cujus verba ita retulit in libro primo de juſtitia : *Ghryſippus ait beſtias etiam beneficio natorum, ratione quadam familiaritatis inter ſe devinciri, demptis piſcibus*. Qua de re, quum Romani Stoicorum placita per omnia ſectati fuerint, non mirum ſi ex Stoicorum ſententia ſcripſerint juſtitiam hominibus communem eſſe, & brutis.

Sed videamus cur Stoicis arriſerit ita definire juſtitiam. Cauſſam autem potiſſimam, eamque juſtiſſimam fuiſſe invenio, ut ſcilicet magis inter homines poſſit excoli, ſervarique ſocietas; etenim juſtitiam definiendo per id, quod commune hominibus, ac brutis eſt, inde fiebat ut homines brutorum exemplo ad juſtitiam, humanitatemque inter ſe colendam proniores evaderent. Unde Seneca ita ſcripſit (b) : *Nulla ſecta benignior leniorque eſt, nulla amantior hominum, & communibus bonis attentior; ut propoſitum ſit uſui eſſe, aut auxilio, nec ſibi tantum, ſed univerſis, ſinguliſque conſulere*. Quod jure merito dictum; nam ſic per humanitatem, & facilitatem quamdam quum fuiſſent tradu&ta, atque diffuſa hujuſmodi philoſophiæ dogmata jam fere per totum civile Romanorum jus : ille deinde invaluit uſus, percrebuit-

que

(a) *Epiſt.* 89.
(b) *Lib.* II. *de clement. cap.* 5.

Digitized by Google

que inter homines, ut illud quod inter eos eſt præcipuum, nempe libertas, foveretur quam maxime, & juſtitia excoleretur, non illa quidem, quæ nimio rigore hominibus fiat aſperior, ut ſummum jus ſit ſumma injuria; ſed æquitate, & humanitate, quam maxime temperata. Hinc apud eos, nempe Stoicos, recepti juris fuit, hominem natura liberum, non ſervum putari; & ſi ſervus fortunæ ludibrio evaderet, habendum ſervum reſpectu tantum operarum. Item hominem, cujus gratia omnia condita ſunt, fas non eſſe haberi in fructu; ac pecuniam, veluti ſuapte natura ſterilem, nullum poſſe fœtum gignere; ideoque odioſam eſſe uſuram, quum res, nempe pecunia eo vertatur fœneratorum rapacitate, ut pariat illud, quod ejus naturæ adverſatur, ſcilicet uſuras. Hæc omnia fuerunt Stoicorum dogmata, quibus magis inter homines ſocietas, ac juſtitia, ſuadente æquitate, foveretur.

Hinc videamus, principia iſthæc per Juriſconſultos Romanos e Stoica diſciplina venientes, in jus diffeminata, atque tradu&ta, quo rem adduxerint. Apud Stoicos libertatis favor erat ſummus, pariter ac maximus fuit apud Romanos; quare libertatem inter, & ſervitutem fluctuantibus animis, libertas ſervituti præferebatur. Hinc recepti juris erat in poſſeſſorio vindicias ſecundum libertatem dari. Item conditiones legato, aut inſtitutioni contra libertatem inſertas, a legato, vel teſtamento rejici, remanente tamen hæreditario lucro penes hæredem, legatariumque, cujus fuerat, conditione adjecta, libertas coërcita. Demum favore libertatis illud etiam conſtitutum fuit, ſervum liberum inſtitutum, ſed ſubſtitutum non adjecta libertate, etiam in ſubſtitutione illam tacite adjectam, repetitamque cenſeri. Uſura non minus apud Romanos, quam apud Stoicos, ut dixi ſuperius, odioſa fuit; unde apud Romanos juriſperitos rationes illæ valebant, quibus quantum poſſibile foret, uſura coërceretur. Verum quum ex his principiis quamplurimarum legum ratio pendeat, quæ alioquin obſcuriſſimæ forent, operæ pretium eſt Senecæ verba hac de re quamvis longiora perſcribere. Ait ille (a).

Vi-

(a) VII. *de benefic. cap.* 7.

Digitized by Google

Video iſtic diplomata, & ſyngraphas, & cautiones, & vacua quædam habendi ſimulacra; umbras quaſdam avaritiæ laborantis, per quas decipiant animum inanium opinione gaudentem. Quid enim iſta ſunt, quid fœnus calendarium, & uſura, niſi humanæ cupiditatis extra naturam quæſita nomina? quid ſunt iſtæ tabulæ? quid computationes, & venale tempus, & ſanguinolentæ centeſimæ? voluntaria mala ex conſtitutione noſtra pendentia, in quibus nil eſt, quod ſubjici oculis, quod teneri manu poſſit, inanis avaritiæ ſomnia. Quam uſuræ definitionem, tam vivis depictam coloribus, ſi conferas cum ea, quam Pomponius tradit in l. *uſura* 121. *de verb. ſignificat.* dixeris utrumque uno ore loquutos. Inquit enim hic Juriſconſultus: *Uſura pecuniæ, quam percipimus, in fructu non eſt, quia non ex ipſo corpore, ſed ex alia cauſa eſt.* Ex quibus omnibus velim cauſſam advertas, cur Romanis tanto odio uſura fuerit, ut ſortis ipſius obligatione non deberetur, niſi ſeparatim, ac diſtincte pacti eſſent; neque pacto nudo, ſed ſtipulatione adjecta (*a*); imo licet per ſtipulationem conventa eſſet, levibus tamen conjecturis deinde ſuadentibus in contrarium, cenſebatur vel remiſſa, vel diminuta ad menſuram poſtremæ exactionis, ſi nempe creditor per aliquod tempus minus quam conventum fuerat exigiſſet uſuras (*b*). Quum enim illa uſura haberetur odioſa, non erat profecto interpretatione juvanda, ſed potius minuenda, imo & aliquando condonanda; nam agebatur de lucro ab ipſa re, contra ſui naturam, per humanæ malitiæ commentum percipiendo.

Ex his nunc mihi paratur occaſio illuſtrandi celeberrimam legem *Centum Capuæ* (*c*), quæ tot ſtrenua tamdiu torſit ingenia. Hæc eſt facti narratio: Promiſit quis centum ſolvere Capuæ, cui fidejuſſor acceſſit. Verum debitor ſtatuto tempore, & condicto loco conventa non adimplevit. Quare creditor fidejuſſorem convenit tam de ſorte, quam quanti ejus interfuit Capuæ potius, quam ubi conventum fuerat ſolutum

(a) *L. ſi pro patre §. ſed utrum de in rem verſo.*
(b) *L. 3. C. de uſuris. L. ſi poſt moram D. de eo, quod certo loco.*
(c) *D. de eo quod certo loco.*

Digitized by Google

tum esse. Videbatur explorati juris deberi illud interesse a fidejussore, qui rei obligationi accessit. Nam si principalis debitoris id erat juris vinculum, ut sortem cum usuris solveret, idem videbatur dicendum de fidejussore; quum obligatio principalis, & accessoria non diverso, sed eodem jure debeant conferi. Sed secus respondit Africanus his verbis . . . *Neque enim hæc causa recte comparabitur obligationi usurarum; ibi enim duæ stipulationes sunt; hic tantum una pecuniæ creditæ.* Quæ verba erunt instar oraculi, nisi ad ea intelligenda adhiberemus Stoicam rationem. Quum enim ex Stoicorum placitis odiosæ sint usuræ, hæc sane stricto jure non debentur, nisi promissæ. Ergo necesse sunt duæ stipulationes, una sortis, altera usurarum, ut ex ambabus conveniatur & reus, & fidejussor. Hic vero una tantum stipulatio fuerat, sortis scilicet, usurarum vero nulla. Sed nihil hoc ad interesse ob moram debitoris principalis, de quo lex loquitur: fateor enim fidejussorem ad usuras a reo promissas ex stipulatione teneri; non tamen tenebitur ad interesse, sive usuras ob moram, quum res dissimilis sit; quod est responsum Africani. Itaque usuræ stipulanti promissæ a reo, & a fidejussore debentur quidem; sed hoc quod interfit ob moram, ut in hac re, quum a fidejussore promissum expresse non sit, & usuræ sint odiosæ, non debentur. Nec sane mora principalis debitoris fidejussori nocere potest, ut in usuras, quas ipse non promisit, ipse quoque teneatur; nam hic alia opus erat pactione, & quidem diversa a prima, quia juxta Pomponium in laudata superius lege *de verborum significatione, usura est ex alia causa, idest ex nova obligatione.*

Videtur mihi de hoc argumento dixisse satis; attamen ob rei gravitatem, licet alia quædam addere, & quidem non invenusta; quæ in jure civili veluti Stoicorum sunt semina. Stoicis visus fœtus adhuc in ventre inclusus non esse animal, sed tantum pars maternorum viscerum, de quo ita tradit Plutarchus (a): *Plato animal censet in utero infantem, quia & moveatur in utero, & alatur; Stoici vero partem ipsam*

(a) *Lib. V. de placitis philosoph. cap.* 15.

Digitized by Google

pſam ventris, non animal. Quemadmodum enim fructus, qui ſtirpium partes ſunt, ubi maturavere, defluunt; ita de fœtu cenſendum eſt. Quod autem hoc principium fuerit a Romanis juriſperitis probatum, patet ex quamplurimis juris locis, & præcipue ex hoc Papiniani reſponſo, quod abs re non eſt hic perſcribere: *In falcidia placuit, ut fructus poſtea percepti, qui maturi mortis tempore fuerint, augeant hæreditatis æſtimationem, fundi nomine, qui videtur illo in tempore fuiſſe pretioſior. Circa ventrem ancillæ vero nulla temporis admiſſa diſtinctio eſt: nec immerito: quia partus nondum editus, homo non recte fuiſſe dicitur* (a). Quo ſtatuto principio illud etiam in Romano jure ſequebatur, non puniri pœna ordinaria legis Corneliæ, ſed tantum extraordinaria, qui fœtum adhuc incluſum in utero necarent, ut ex l. 4. D. *De extraordinariis criminibus, & l. ſi mulierem* D. ad l. Corneliam de ſicariis. Et ſi de his plura deſideres, videſis hujus juris veſtigia in l. 2. §. 1. D. *De ventre inſpiciendo, & in l. 2. de mortuo inferendo.*

Verum prætereundum non eſt, licet a Romanis fuerit ad jus civile Stoica philoſophia aptata, accidiſſe tamen huic, quod & ceteris rebus inter homines labentibus annis ſolet obvenire, nimirum ut haud maneant eodem in ſtatu, ſed paulatim veluti a ſe diffluant, atque ad alia convertantur. Itaque temporis progreſſu, aliæ, atque aliæ ſectæ obortæ ſunt, atque inter ſe contrariæ. Erant enim Sabiniani, quorum Princeps Attejus Capito fuit, qui adeo ad priſcæ illius philoſophiæ dicta ſe referebant, ut ne per traverſum quidem unguem diſcederent ab antiquorum traditionibus, vetuſtatem ipſam in jure ſemper ſectantes. Igitur eorum qui in hanc familiam commigraverant, id erat ingenium, ut ſemper ſequerentur ea, quæ magis naturali rationi, civilique juri vetuſtiori congruerent. Quapropter emptionem rebus etiam hinc inde datis cenſebant poſſe perfici, repetentes id a rerum permutatione contractuum omnium vetuſtiſſima; & naturali rationi inſiſtentes, pro poſſeſſione rerum affirmabant ſufficere etiam ad juris effectum naturalem poſſeſſionem (b). Hinc infe-

(a) *L. 6. D. ad l. falcidiam.*
(b) *L. pupillus D. de acquir. rer. dom.*

Digitized by Google

ferebant, colonum, uſufructuarium, creditorem eſſe habendos uti poſſeſſores. Longus nimis profecto eſsem, ſi ſingula hujuſmodi vellem hic percurrere. Itaque his prætermiſſis, dicam uno verbo, in eo totum verſari Sabinianorum ſtudium, ut ſemper æquitatem naturalem, & quæ a majoribus tradita erant, præferrent curioſis diſputantium rationibus, & verborum ſubtilitati.

Verum contrariam ſemitam Proculiani tenebant, nimirum id agebant, ut ſubtilitatem juris, ingenioſamque diſputandi rationem in omnibus objicerent. Ex quo factum, ut affirmarent verum, quod apud Sabinianos falſum exiſtimabatur. Quare Celſus, qui ex hac familia prodivit, Sabinianorum æquitatem perſtringens, ait (a): *Eſſe enim hanc quæſtionem de bono, & æquo; quo in genere plerumque ſub authoritate juris ſcientiæ pernicioſe erratur.*

Hinc Pomponius de Labeone Proculianæ ſectæ auctore hæc ſcripſit (b): *Labeo ingenii qualitate, & fiducia doctrinæ fretus, quod præ ceteris ſapientiæ operam dederat, plurima innovare inſtituit.* Non mirum igitur ſi ejus veſtigiis diſcipuli inhærentes tot nova in jus invexerint, & quidem traditionibus vetuſtis adverſa, inter quæ ſane non prætermittendum eſt, Sabinianos, & Proculejanos in rerum etiam menſura diſsenſiſse inter ſe; nam hi proportionem in rebus adhibebant arithmeticam, illi vero geometricam. Ex quo fit ut Juriſconſultorum reſponſa non raro ſibi invicem adverſentur. Sic Geometricam proportionem capiunt *l. ſi is qui* 50. *D. de legatis* 1. *L. ſi ita* 13. *D. de liberis, & poſthumis*. *L.* 4. *Si ita* 47. *D. de hæredibus inſtituendis*. Contra vero ſecundum arithmeticam ſcripta eſt lex 23. *C. de legatis*, eidemque Trebatius alludit in lege *vulgaris* 21. *D. de furtis*. Quid plura? Propterea hæc a me dicta ſunt, ut juris ſtudioſus in legibus inter ſe pugnantibus advertat juriſperitorum varias ſectas; ut inde eorum dicta contraria componat, atque ad uniuſcujuſque ſua principia revocet; quod etiam tuta norma erit

(a) *L.* 91. §. *ſequitur D. de verb. obligat.*
(b) *L.* 2. §. *poſt hunc de orig. juris.*

Digitized by Google

ad conciliandas Constitutiones Imperiales, quæ & ipsæ aliquando inter se in contentionem veniunt. Nam quum Principibus in legibus ferendis adsiderent juriſperiti, qui alii aliam sectam sequebantur, facile intellectu est pro sua quemque sententia operam Principi consulenti præbuisse; atque inde leges quoque Imperatorum inter se disſentire, prout contraria Juriſconſultorum erant in jure principia. Neque dicas hoc secus esse sub Principibus Christianis, ac si pagana philoſophia a Constantino refrixerit, & Evangelica invaluerit; nam licet gentilium dogmata primus ille Christianus Imperator sustulerit; id tamen factum est in futilibus illis stultæ superstitionis figmentis: ceterum non is ei animus fuit, ut quæ rerum naturam, civilemque politiam spectabant principia everteret; quod sane exemplis comprobandum.

Constantius Imperator quum jussisset, filii demortui bona, nullo habito eorum discrimine, patri jure peculii deferri, deinde mutata sententia statuit *L. 4. C. Th. de bonis maternis*, ut decedente filio intra ætatis annum sextum, bona, quæ a materno genere obvenerant, deferrentur matri, ejusque cognatis; si vero defunctus esset post sexennium, sine ulla distinctionis ratione, sequerentur patrem, atque hoc ex æquitate ait constituisse. Verum quid hæc annorum distinctio ad æquitatem? Ego quidem, quum ante-actam ætatem meam doctissimis quibusque juris Interpretibus evolvendis transegerim, nullibi profecto Constitutionem hanc illustratam nactus sum. Unus V. C. Jacobus Gothofredus in suo perpetuo, atque immortali commentario in Codicem Theodosi, nodum vidit, sed haud satis, ut mihi videtur, licet felicissimo ingenio fuerit, expedivit. Aliquam tamen facem nobis prætulit, ut lex alioquin obscurissima, in apertam tandem lucem prodiret. Itaque ut & nos opellam nostram quantulamcumque in ejus explanatione impendamus, præmittenda duxi quædam, partim ex jure naturæ, partim vero ex philoſophiæ Stoicæ deprompta penu.

Erat apud Stoicos recepta opinio, quolibet sexennio labente quid novi naturam acquirere; quare nonnisi sexennio transacto finiebant infantiam. Hinc juris publici studioſis placuit,

Digitized by Google

cuit, filium hoc tempore potius ſub matris, quam patris poteſtate eſſe, tum ob neceſſaria alimenta, quæ habet a matre: tum etiam quia ob infantem ætatem non indiget adhuc cura potius patris, quam matris, qui utpote mulieris ingenio præſtantior, tempori illi ſervatur, ubi opportuna evadat educatio, ſcilicet poſtquam ætate grandior internoſcere, rationis ductu, quid agat incœperit. Qua de re bona materni generis ad filium profecta, intra ſexennium ſuam adhuc primam originem ſervare putabant Stoici, hoc eſt cenſeri materna; tum quia hoc tempore quid novi filius non accepiſſet: tum etiam quod maternæ potius, quam paternæ poteſtati ſubeſſet. Quum bona igitur ſequantur conditionem perſonæ, inferebant ea adhuc habenda, uti erant prius, materni nempe generis; atque adeo æquitatem ſuadere, ut filio intra ſexennium moriente, bona ejus deferrentur matri; vel ea defuncta, ceteris cognatis. Hoc profecto præferunt illa legis verba, *ut ex utraque familia manantes facultates, ſingulis quibuſcumque exiiſſe potius, quam adepta eſſe videantur*; quum intra ſexennium nihil novi filii natura adquiſierit. Ex hoc item rationem tute intelliges, cur moriente filio tranſacto ſexennio, bona ejus, nulla habita diſtinctionis ratione, Patri peculii jure cederent. Tum enim hæc Stoicorum opinio de mutatione naturæ ineunte ſeptennio locum tenet; ac tum juris publici conſultorum ſententiæ in hoc ſtatu de patria poteſtate datur locus. Quare quum filius ineunte ſeptennio ſit non ſub matre, ſed tantum ſub patris poteſtate, & bona ob novam filii qualitatem amiſiſſent antiquæ originis rationem, factum eſt, ut ea ſolus pater nulla diſtinctione acciperet.

Ex hucuſque dictis probe intelligas velim, quam neceſſaria ſit philoſophiæ Stoicæ ſcientia ad intelligendum jus, tum vetuſtum Pandectarum, quam novum in Codice. Et licet Juſtinianus fuerit conatus, quinquaginta perlatis deciſionibus, Papinianas, & Proculeanas ſedare contentiones: factum tamen Triboniani inſcitia, ut quamplurima illorum veſtigia in jure Juſtinianæo tibi occurrant, a quibus obſcuritas ſumma in evolvendis legibus oboritur, niſi Stoicæ ſapientiæ effata præſentiſſimo ſubſidio erunt.

Com-

Digitized by Google

Commodum argumentum, quo de agimus, perſecutus eſt V. Cl. Antonius Sergius Juriſconſultus Neapolitanus, in ſua peculiari Diſſertatione *de Vera Juriſconſultorum Philoſophia*, propediem lucem viſura, in qua, pro ea quam in aliis ſuis egregiis monumentis prodidit, exculta eruditione, eum res ſane ſcitu dignas complexurum pro certo habeo. Sed, quod noſtra hac tempeſtate lætandum, Vir doctiſſimus Antonius Genuenſis non modo ſuis præſtantiſſimis ſcriptis, quæ per univerſam Europam magno plauſu pervolitant, ſed voce etiam magna auditorum frequentia, illud Phyſicæ genus profitetur, quod humanæ vitæ cum primis eſt frugiferum. Etenim reciſis futilibus illis Philoſophorum ſpeculationibus, univerſam Philoſophiam traducit ad rerum agendarum ſtudium, ad officia hominis, ad reipublicæ rationes, quæ ſane illa eſt, quæ ad legum nimium probam intelligentiam cum primis conducit.

§. III.

De Geographia.

AD legum intelligentiam facit etiam Geographia; nam in legibus pœnalibus, & in jure commercii, Populorum cum primis mores, Civitatum ingenium, ſoli qualitas debent ſpectari; pœnæ etenim eo ſunt minus, magiſve ſævæ, quo homines ad vitium ſunt proniores. Quem enim fugit, ſæpe homines ad vitium magis, quam ad virtutem, ad hoc potius, quam ad illud procliviores eſſe, vel quia improba aliqua conſuetudo invaluerit in Civitate, vel quia ejuſdem ſoli natura, aut Cœli indoles ad corporis habitum, neſcio quid aliquid influere videatur? Hinc eſt, ut proportione ſervata, leges pœnales ſint aliæ alii genti vel mitiores, vel rigidiores, attenta ſcilicet cujuſque indigentia, cui pœnis, veluti medicina ſalubri debet proſpici. Quod ut luculentius innoteſcat, nonnulla afferamus exempla.

Spartæ poterat quivis de frugibus impune furari, quanto unius diei poſſet inediam explere. Sed id naturali rationi diſſonum videtur, tum quia furtum naturali jure vetitum, tum

tum etiam ob cauſsam inertis vitæ, cui facile poterat unuſquiſque aſsueſcere. Nam ſi vitam quotidiano frugis furto poſſis in diem ſubſtentare, certo certius laborem effugies. Sed aliud profecto animo ſpectavit Lycurgus; quum enim Spartanus Populus deſidiæ, atque incuriæ nimium eſset addictus, id Rex conceſſit, ut unuſquiſque ſuarum rerum ſatageret, cuſtodiæque navus ſubſideret; item ut inde evaderet civis in arte militari peritior; quum contra pœna afficeret furem, quem dominus in ipſo facinore comperiſset; quam pœnam ſane effugiſset ſi ita ſe ſolertem geſſiſset, ut domini conſpectum eluderet. Præterea quemadmodum Athenis civi cuicumque commendabantur artes, ita ex adverſo Spartæ vetabantur. Num Lycurgus otio cives marceſcere voluit? Minime vero. Quum enim ager Spartanus ſatis ſuapte natura felix eſset, ejus cura apud Helotos depoſita, furore potius martiali eorum animos incendere curabat, quo magis magiſque in diem, per tela, per ignes, imperium proferret. Sed ſecus erat ager Athenienſis, infelix nempe malignuſque; artibus autem elangueſcentibus, haud ſane fuiſset, unde vitam ſubſtentarent. Quæ cauſsa eſt, quapropter totus fuerit Solon, ut artes omnes quaquaverſus proveheret. En igitur Geographiæ ſtudium quantum ad jura civilia intelligenda ſit adjumenti. Sed veniamus ad jus Romanum, in quo verſamur.

Lex proſtat in titulo de annuis legatis (*a*), in qua memoratur quædam pecunia relicta Reipublicæ Sardianorum cauſa certaminis Chryſantiani. Accurſius ſic eam explicavit: *Reipublicæ Sardianorum, ut inde fieret in quolibet quarto anno quodam certamen ſive ludus, qui appellabatur in dicta Civitate Chryſantianus*. Quæ interpretatio ridicula ſane eſt; Chryſantus enim Philoſophus civis erat Sardianus in Lydia, juſsus ab Imperatore Juliano, ut ad ſe veniret. Ille renuit dicens, nullo ad hoc divino afflatu permoveri, ſine quo nefas putabat quid agere. Iratus ex hoc Julianus illum mandavit interfici. Sed ejus Civitas, ne hoc tantæ pietatis in Deos exemplum poſteris deperiret, in memoriam Chryſanti ludos fu-

(a) *Lex cum erat*.

funebres, quibus manes placari credebat ſtulta gentilitas, quolibet quatriennio fieri inſtituit (*a*). Et hæc vera eſt legis hujus explicatio.

Verum prætermiſſis aliis, quorum cognitio, licet ex locorum certa notione proficiſcantur, tamen nullius frugis præter eruditam rerum notitiam, veniamus potius ad ea, quæ ſi ex hac ſcientia minime repetantur, maximo profecto cum in judicando, tum in conſulendo detrimento erunt; quæ temere in forum invecta, in alienam perniciem evadent.

Conſtantinus Magnus, qui abrogata illa veterum philoſophia pagana, populorum mores convertit ad Chriſtianam ſapientiam, inter alia optima, quæ condidit, inſtituta, uſurarum illuviem ad juſtam metam coërcuit. Quapropter in notiſſima lege *Eos qui C. de uſuris* ita rem hanc compoſuit. Homines illuſtres a negotiatoribus diſtinguens, iſtis quidem qui artem profitebantur, magis indulſit: illis vero minus. Itidem pecuniæ uſuram ſeparavit a frugibus; primam intra centeſimam omnino cohibuit; frugum vero uſurarum vice permiſit tertiam partem ſtipulari. Verum hæc immenſa ſatis uſura eſt; quæ quum maximopere centeſimam ſuperet, facit, ut lex hæc ſibi ipſi contraria videatur; nam quum in ea pro ultima uſurarum meta ſtatuatur centeſima; iniquum ſane videtur in frugibus iſtiuſmodi admitti uſuram, quæ longe centeſimam ipſam excedat. Ita quidem eſſet, niſi ex ipſa conſtitutione appareret, quem ad locum ſcripta ſit: de quo videamus.

Sane ſubſcriptio ejus eſt Cæſareæ in Palæſtina, cujus ex agro, utpote fæcundiſſimo, uberius ſane, quam aliunde percipiebantur fructus; ita ut ideo pro fructuum uſura ipſius ſortis medietas jure pacta videretur, ut teſtatur Div. Hieron. (*b*), qui hoc tempore ex Paleſtina ſcribens ait: *Solent fœneratores argumentari, & dicere, dedi unum modium, qui ſatis fecit decem modios; non ne juſtum eſt, ut medium modum de meo plus accipiam, cum ille mea liberalitate novem, & ſemis*

(*a*) *Pancir. notitia U. J. cap.* 68.
(*b*) *In Ezech. lib.* 16. *cap.* 18.

Digitized by Google

semis de meo accipiat? Pensitabatur igitur Cæsareæ usurarum vice in frugibus medietas ipsius sortis. Quo posito, quum Constantinus ad tertiam partem contraxerit; dixeris sane eum & has usuras moderatum. Verum quum hæc lex fuerit localis, videas certe quam immensum aberrent ii, qui ex ea generale conficiunt axioma, statuentes in fructibus, usurarum vice, tertiam partem sortis jure paciſci posse. Et tamen in foro per omnium Pragmaticorum placita usu receptum est, venditionem pacto retrovendendi factam, tunc dici usurariam, quum fructus tertiam partem ipsius sortis exsuperant. Opportune hic lectorem monere non erit abs re, universum hoc usurarum argumentum egregie pertractasse in sua lectissima Dissertatione *de usuris*, propediem lucem visura, Carolus Carfora, Sapientissimi Regii Consiliarii Franciſci Carforæ ex Fratre Nepos, vir sane clarissimus, & qua morum probitate, & modestia, qua græca, latinaque eruditione omnibus jucundissimus, mihique cum primis spectatissimus, a quo me plura didicisse ingenue fateor. Sed ad alia pergamus.

In lege *Lucius D. de evictionibus* quæstio hæc proponitur Paulo. Cajus quædam prædia sua sita prope Rhenum vendiderat Titio, qui partem conventi pretii tantum solverat, de residuo habita fide. Interim Imperator Alexander, cui Paulus ipse erat æqualis, eadem prædia veteranis donavit. Hac donatione facta, quum venditor petiisset ab emptore reliquum venditionis pretium, emptor evictionis exceptionem objecit, tantumque abesse ut reliquum pretium solveret, ut etiam venditor ad restituendum quod fuerat solutum teneretur. Videbatur in jure hoc judicium secundum emptorem esse transigendum; quum naturali jure periculum evictionis pertineat ad venditorem. Sed tamen contradicente generali jure, respondit Paulus pro venditore.

Mirum est quamdiu hæc lex interpretum vexaverit ingenia. Multi enim multa dixerunt, & quidem a re aliena, quæ quidem videre poteris apud Amaja (*a*), qui geographia

(a) *Lib. 1. cap. 1. de Principis potest.*

Digitized by Google

duce præ ceteris [illegible]e expoſuit hanc legem. Is igitur ad rem appoſitiſſime [illegible]ſiplit, hæc prædia prope Rhenum ſita fuiſſe. Ea Imperator ob cuſtodiam Rheni, a qua Imperii ſalus pendebat, militibus in præmia adſignavit. Igitur illorum evictio non venditoris culpa, ſed publica utilitate ſic exigente, enata fuit. Quod quum ita ſe habeat, damnum ad emptorem pertinere debet, qui quum rei ſit dominus, ejuſdem periculum perferre debet; res enim ſi quando pereat, domino nimirum perit. Adde quod emptor hic in nullo damno verſatur; nam ſi prædia illa non fuiſſent per Imperatorem data militibus, certe quidem & is amiſiſſet, quum eorum potiti eſſent hoſtes, deficiente cuſtodia.

Probat etiam Geographiæ neceſſitatem lex 32. (*a*), in qua Imperator Honorius, & Theodoſius de Orientalibus Navicullariis ſtatuunt, ut ſicuti antea Orientales Navarchi ad Coſtantinopolitanam Urbem vectabant Alexandria frumentum, ita deinceps, eorum munere fungerentur Naviculariі Alexandrini, Carpathii, atque ii, qui terras ad mare Ægæum incolebant. Hujus rei cauſam fuiſſe notat doctiſſimus Gothofr. Orientalium deſidiam; additque tempore hujus legis frumenti penuriam fuiſſe, atque ex ea Coſtantinopoli famem ſævam obveniſſe. Igitur ambo Auguſti id onus cum emolumentis, quibus prius fruebantur Orientales mandarunt Alexandrinis, hac tamen iis injecta lege, ut naufragii periculum eos ſequeretur, etiam ſi haud probatum eſſet eorum culpa navem fregiſſe. Quod quidem videtur iniquum; ut enim rei periculum ad navicularium pertineat, neceſſe ſane eſt, ut ejuſdem culpa anteeat. Quapropter videamus nos Geographia duce, quomodo lex hæc luce ſua inſpergi poſſit. Sane tam ipſa Alexandria, quam inſula Carpathus, & mare Ægæum propiora Urbem Conſtantinopolim præ Orientalibus erant; quare ſi quod forte naufragium accidiſſet, utique culpæ eorum tribuebatur. Nam quum iter proximum eſſet, poterant quidem id tempus ſibi parare aptius, quo infortunii periculum abeſſet. Atque hæc ſatis jam dicta puto de Geographiæ utilitate, vel potius neceſ-

(a) *Lib.* 13. *Codic. Theod. tit.* 5.

Digitized by Google

ceſſitate, ſine qua commercii jura intelligi ullo modo non poſſunt. Reliquum eſt ut videamus quantam perſpicuitatem ejuſmodi ſtudium legibus pœnalibus afferat; inde enim apparet, qua ratione illæ occurentibus hodie negotiis adhiberi poſſunt.

Proſtat in tit. XI. Cod. Theod. lib. IX. hæc conſtitutio: *Si quis poſthac reum privato carcere deſtinavit, reus majeſtatis habeatur. Datum pridie Kalend. Maji Theſſal.* Verum ſiquidem eſt, eum, qui carcere privato utitur, juriſdictionem Principis minuere; attamen non tanti habendum eſt illud crimen, ut reus pœna ſeveriſſima legis Juliæ Majeſtatis puniatur. Sane hæc lex reſcripta fuit Æritrio Præfecto Auguſtali. Igitur Diœceſim Ægyptiacam ſpectabat, ſive Alexandrinam, ubi quum frequentes excitarentur tumultus, ac potentiores ſæpe inopes opprimerent, quid mirum ſi, ut turbis his proſpiceretur, quæ potentiorum ſuperbia, atque inſolentia plerumque movebantur, pœna hæc tam acerba fuerit irrogata? Quapropter quum univerſe id conſtitutum non eſſet, ſed peculiarem locum, certamque Provinciam reſpiceret, iniquus ſane eſſes, ſi alio conſtitutionem forte hanc protraheres. Itaque merito Juſtinianus illam abrogavit, ejuſque in locum mitiorem ſuam edidit, nempe ut reus totidem dies publico carceri addiceretur, quot ipſe alterum in privato detinuerat (*a*). Ulpianus ait (*b*) in Arabia pœna capitis afficiendum eum, qui ſcopeliſmum in alieno agro feciſſet, hoc eſt qui lapides in eo poſuiſſet; quum, ut idem ſcripſit, indicio ſibi id eſſet, quicumque agrum illum coluiſſet, eundem certam, atque acerbam mortem per inſidias obiturum. Quæ ſane pœna in iſtiuſmodi nugis iniqua non erat, quando juſtus de gentis more atrocium minarum, infeſtæque crudelitatis metus erat. Plura de hoc ſi cupias, vide Pancirol. (*c*).

Denique ut argumentum hoc abſolvam, Leo, & Anthemius Auguſti pœnam ſeveriſſimam in eos ſanciunt, qui per Civitates vel agros *Bucellarios*, *vel Iſauros habent* (*d*). Ex hac

(a) *Gothofr. hic.*
(b) *Lege Sunt quædam D. de extraor. crimin.*
(c) *Notit. utriuſque Imperii cap.* 116.
(d) *T. ult. ad legem juliam C. de vi publica.*

Digitized by Google

autem *Bucellariorum*, & *Isaurorum* interpretatione quanta futilis eruditionis deliria exciverit Accursius, juvat animadvertere. Sic enim venuste satis commentus est: *Bucellarii latrones sunt qui, a minimis incœperunt, puta a bucella panis; vel versus, quia ponunt in ore captorum lignum, ut non clament. Isauri autem etiam latrones sunt, sed aliis perfidiores, ut supra de feriis.* Quis risum teneat? Hæc sane sunt, quæ grassante barbarie, ac Geographiæ scientia prorsus abacta, effutiebant viri tunc temporis clarissimi. Sed videamus nos in hac fulgentissima temporum luce, qui fuerint *Bucellarii*, quive *Isauri*, ut inde legis vim penitius introspiciamus. Bucellarii teste Suida erant Gallogræci, sive Galathæ, unde Gahogræcia dicta est Bucellariorum regio, de quibus vide Panciroſum (*a*); quare eos ita Porphirogenita recensuit in Themate sexto: *Habet a sinistra partes quasdam Bucellarii, & initium Cappadociæ, ad dexteram autem Isauriam.* Item Cedrenus in Romano Argiro: *Prasianus pro monacho traditur, ejusque mater ex Mantineæ Monasterio, quod est in Bucellario, in Franciam transfertur.* Dicebantur autem Bucellarii, quum bucellam, sive panem aliorum, quibus mancipabantur, & apud quos morabantur, comederent: quare plerumque militiæ stationariæ Romanorum nomen dabant. Sed postquam milites ii missionem impetrassent, raptu, & latrocinio per summam licentiam vivere pro suo ingenio solebant. Quum autem sæpe Potentiores Bucellariis istiusmodi ad latrocinia, ad quæ erant paratissimi, uterentur, hinc factum est, ut Imperatores constituerint ne quis per Civitates, vel agros Bucellarios haberet, nempe istiusmodi homines Gallogræcos, gentem prædæ, & rapinis natam. Quod autem attinet ad Isauros, qui & ipsi in eadem constitutione in prædiis, aut juxta se habere vetantur, hi sunt qui ad radices montis Tauri morabantur, erantque inopinis excursionibus, occultisque item latrociniis nobiles, furandique artem adeo percallebant, ut improbos quosque antecellerent. Atque ea de causa ita eos Principes execrati sunt, ut & sævioribus pœnis addixerint, & a generali criminum indulgentia ex-

(a) *Notit. utriusque Imper. cap.* 57.

Digitized by Google

exceperint. Tales erant Bucellarii, tales & Isauri, populi pessimi, fures, sicarii, prædones, cunctis cædes inter, & rapinas miscendis aptissimi. Verum si has pœnas furibus omnibus irrogaveris, non æquus judex eris; nam non vigerent pariter æqualiterque in ceteros eæ legis rationes, quæ contra Bucellarios, & Isauros faciunt. Quare non satis doctis interpretibus arridet usus fori, qui ex Pragmaticorum insciti invaluit, ut fures omnes exciperentur ab generali indulgentia criminum. Ex his omnibus vel leviter a me degustatis, nemo quidem ita bardus erit, quin videat, quantæ utilitati, atque adeo necessitati studioso juris interpreti sit Geographiæ scientia; ut tum commercii leges uti par est intelligantur, tum ut pœnæ, pro regionum indole, sapienter minuantur, vel augeantur.

CAPUT IV.

De antiquo usu Fori Romani in causis decidendis.

JUre merito ad intelligendam priscam Romanorum jurisprudentiam, mira eruditorum omnium consensione, scientia antiqui Fori Romani commendatur. Qui enim fieri potest, ut leges sine ea pernoscantur, quæ sæpe sæpius a recepto per forum usu pendent, eæque maxime, quæ vel cujusque judicis respiciunt potestatem, vel negotiorum formulas præscribunt, vel actus legitimos præferunt, quibus omnibus jus Romanum est refertissimum? Denique ut uno verbo dicam, præter hanc scientiam, fugient te omnino Prudentum interpretationes, quibus illi jus duodecim tabularum, obscurissimum alioquin exponebant, usum fori sectando, quæ sub nomine recepti juris veniebant. Neque dicas frustra nos in id operam impendere, quum consuetudo hæc jamdiu exoleverit, & uniuscujusque Civitatis forum suas quoque consuetudines, atque alias, ac illas Romanæ Reipublicæ habeat. Verum id quidem: sed ne tu quidem inficias iveris, extinctis quamplurimis, quæ Romani fori usum olim spectabant, manere adhuc eorum consequentias, quæ veluti justa & generosa proles, numquam fa-

Digitized by Google

ſane, dum Juſtinianæum jus inter nos vivet, interibunt; ſed in foro, judicumque noſtrorum ſubſellis uſque vigebunt. Anne quæſo, cuncta hæc judicialibus hujus ætatis negotiis aptari commode poterunt, niſi ad origines ſuas, atque ad legitimos fontes referantur? Sed ne lectori forte faſtidio ſim, rem hanc ita tranſigam, ut prætermiſſis iis, quæ noſtra tempeſtate emolumento vix ſunt, ut eſt vetuſta litis conteſtatio, fidejuſſio, comperendinatio Prætoris, in interdicendo formulæ, vindiciarum ſolemnia, atque id genus alia, illa tantum pertractem, quæ nobis ſint utiliora. Itaque de tribus modo ſtatui agendum, de Magiſtratibus nempe, eorumque poteſtate; de formulis, quibus mos erat negotia expedire; & de conſuetudinibus demum, ſive de illo jure recepto, quod ex Prudentum interpretationibus obortum fuit. Quæ, ut mox videbimus, quantam nobis in re judiciali ſuppeditent bonæ frugis copiam, vix eſt ut dici poſſit. Ad rem itaque.

§. I.

De antiquis Romanis Magiſtratibus.

IN triplici differentia jus omne verſatur, nimirum in res ſacras, publicas, & privatas. Sacrorum cognitio ad Pontifices pertinebat; publicorum ad Senatum, Populumque Romanum; quæ demum juris privati erant, Prætoris ſubjiciebantur poteſtati; quæ omnia hiſce verſibus comprehendit Auſonius:

Jus triplex, tabulæ, quod ter ſanxere quaternæ,
Sacrum & privatum, & Populi commune, quod uſquam eſt.

Hæc autem non perinde dicta ſint, ac ſi ſingula quæque pertractanda aggrediar; ſed pauca ex his delibabimus, quæ dicendis lucem afferunt.

Magiſtratus aut ad publicas, aut ad privatas quæſtiones dirimendas fuerunt conſtituti. Verum harum cognitio preſſiori nomine vocabatur Juriſdictio, illarum autem Imperium. Sed Imperium hoc dividebatur in merum, & mixtum; hoc juriſdictioni ipſi coërebat, illud autem erat ſejunctum ab ea, dictum propterea merum. Quid-

Digitized by Google

Quidquid Magiſtratus agit vi publicæ poteſtatis, id Juriſdictio nominatur, quo in ſenſu ab ipſo Imperio non diſtinguitur. Verum ſi in ſuam quodque vocabulum proprietatem vindicamus, Juriſdictio ab Imperio ipſo longe differt, quia poteſtas animadvertendi in facinoroſos Imperium eſt: cauſſarum autem, ſive controverſiarum civilium definitio, Juriſdictio proprie dicta nominatur; quæ ut Ulpianus tradidit, eſt *Pretoris poteſtas dandi judicem ad dirimendas controverſias*; nam per id tempus illud juris erat, ut Prætor non per ſe, ſed per alios judicaret. Verum quia ex hac Romanorum conſuetudine plurimarum rerum nobis aperitur intelligentia: neceſſe eſt ut rem hanc ab origine quodammodo ſua repetam.

Prætor, aliique illuſtres Magiſtratus per ſe quidem non judicabant, ſed dabant tantum judicem, eique ſententiæ ferendæ præſcribebant formulam, a qua is non poterat aliquantulum diſcedere. Atque hic dicebatur judex datus ex formula ipſi data præſcriptaque ad ferendam ſententiam. Quod ſi de negotio dirimendo, ei formula non proferretur, tantumque datum, ut judicaret, prout ex re nata ſibi ipſi viſum eſſet; tunc non judex, ſed Arbiter appellabatur. Ex qua conſuetudine ortum eſt, ut quædam judicia ſtricti juris, quædam vero eſſent bonæ fidei, haud ſecus ac judex judicandi formulæ addictus, nec ne erat. Hæc ſunt ſtricti juris, & bonæ fidei judicia, inter quæ tamen quam magnum diſcrimen intercedat, non eſt ut dicam, quum hodiernus uſus ſatis comprobet. Sed licet Prætor non judicaret, erant tamen quædam ob ſui præſtantiam prætoriali ſententiæ ſervata, uti erat libertas, qua nihil inter mortales præſtantius, ac poſſeſſionis vindiciæ per interdicta Prætoria ob publicam tranquillitatem, quæ ſane interturbata poſſeſſione potiſſimum labefactatur. Quæ omnia tribus nimirum verbis explicabat Prætor, ſcilicet vel dabat, vel dicebat, vel addicebat; dabat nempe judicem, dicebat quemque liberum, aut ſervum; addicebatque poſſeſſionem ſecundum vindicias per interdicta. Quæ cognitiones extraordinariæ vocabantur; quia præter ordinem tam de jure, quam de facto, non datis judicibus, ipſe co-

cognoſceret. Sed prætereundum non eſt per Diocletianum hæc conſuetudo exoleviſſe; quum Prætori, aliiſque illuſtribus Magiſtratibus imperaſſet ut in poſterum per ſe judicarent. Ex quo factum, ut hic titulus in Digeſtis hac epigraphe ſcriptus ſit *de juriſdictione*, ſed in Codice hoc addito, *omnium judicum*; quum in illis jus vetus, in hoc autem jus novum memoretur.

Sed antequam ab hoc argumento diſcedamus, diſcriminis cauſſam, atque originem, Imperium inter, & Juriſdictionem, non erit abs re exquirere. Vetus mos apud Romanos fuit, ut nemo Populi injuſſu poſſet in Civem Romanum animadvertere. Hinc patrato facinore, judex creabatur a Populo, ut pœnam legitimam infligeret; de quo Pomponius ita ſcripſit (*a*): *De capite Civis Romani injuſſu Populi Romani non erat lege permiſſum Conſulibus jus dicere; propterea quæſtores conſtituebantur a Populo, qui capitalibus rebus præeſſent; hi appellabantur quæſtores parricidii, quorum etiam meminit lex duodecim tabularum.* Itaque pro re nata Populus creabat judices, qui delicti probationes undique conquirentes, hinc quæſtores ſive quæſitores dicti ſunt.

Sed hæc conſuetudo, inclinata jam libertate, & nobilium adulta potentia, exolevit, nimirum Cenſorino, & Manilio Conſulibus, anno ſexcenteſimo quarto Urbis; quo ſane tempore aliquorum criminum quæſtiones perpetuæ inſtitutæ ſunt; ita ut in eorum reos, ſine Populi juſſu, Prætori, aut Conſuli animadvertere liceret. Id apparet ex Cicerone in Bruto: *Carbone forum tenente plura fieri judicia cœperunt; nam & quæſtiones perpetuæ hoc adoleſcente conſtitutæ ſunt, quæ ante nullæ fuerunt. L. enim Piſo Tribunus plebis, legem primus de pecuniis repetundis Cenſorino, & Manilio, Coſſ. tulit.* Dicuntur autem quæſtiones perpetuæ, quod injuſſu Populi exercebantur; atque ita Prætores ſortita Provincia, non ſtatim illuc ſe conferebant, ſed annum morabantur Romæ, ut eorum quiſque judicium ferret in illa criminum ſpecie, cujus quæſtio ſorte obvenerat. Ex quibus ſatis intelligis originem Impe-

Digitized by Google

perii, & qua de cauſſa ordinariæ poteſtatis nomen illud non complectatur; ſi enim ſpeciali lege mandabatur ſub generali poteſtate, poſtquam quis Conſul, aut Prætor factus fuerat, comprehendi plane non poterat. Habes igitur ex his omnibus ortum, & progreſſum Juriſdictionis, & Imperii Romanorum Magiſtratuum; habes item diſcrimen inter utrumque ab origine ſua. Si autem plura deſideres, adeas juris interpretes, qui certatim de hoc ſcripſerunt, maxime vero Nood, Duarenum, & Sigonium; nam meum tantum eſt primas rerum notiones tradere, quibus ſane lector imbutus ad juriſprudentiam eruditam tandem accedat.

Criminum forenſi uſu abſoluto, inſtituti ratio poſtulat, ut de iis verba faciam, quæ civiles controverſias reſpiciunt. De quibus illud præmitto, cauſſam vel tantum fuiſſe juris, & Prætor dabat Arbitrum, vel Centumviros: vel facti quæſtio agitabatur, & Recuperatores dabantur. Hos judices dederunt primum Reges, poſt eos Conſules, poſtremo Prætores, in quos demum fuit iſtiuſmodi Conſulum translata juriſdictio. Sed Prætor, ſi quæſtio eſſet facti, judicem dabat, vel ejus loco tres Recuperatores; ſi autem juris, eam Centumvirorum conſilio demandabat.

Verum quia Decemviri, Recuperatores, Centumvirique in jure memorantur ſæpiſſime, ideo ſedulo de his agendum eſt. Decemviri ſtlitibus judicandis erant ii, qui Prætoris Conſilium conſtituebant, eique tamquam judices adſidebant, quorum quinque erant Senatores, quinque vero Equites. Hinc lucem accipit Ulpianus in lege Ælia Sentia, ita ſcribens: *Minor vigmti quinque annis, non niſi cauſa apud Conſilium probata, manumittere poteſt.* Nam Conſilium hoc eſt illud Prætoris tribunal ex Decemviris conſtitutum. De eodem conventu loquutus eſt Antoninus ſic: *Qui apud Conſilium manumittuntur, poſt cauſam a judicibus probatam, & manumiſſionem ſequutam, non ſolet ſtatus in dubium revocari.* Et Cicero in oratione pro A. Cæcinna: *Decemviri*, inquit, *prima actione non judicaverunt, ſed poſtea re quæſita & deliberata, ſacramentum noſtrum juſtum judicaverunt.* Ex quibus duo habentur, tum hos Decemviros fuiſſe veros, germanoſque judices, non autem conſi-

Digitized by Google

liarios, ut quibuſdam viſum : tum etiam ante Auguſtum creatos. Itaque Decemviri tamquam judices Prætori adſidentes, ſicuti Romæ Prætoris conſilium publicum conſtituebant, ita in Provinciis illud Præſes ex viginti Recuperatoribus congregabat (*a*).

Præterea hæc inter Recuperatores diſtinctio erat. Quidam eorum erant a Prætore judices dati, ut inter Cives, & peregrinos dirimerent tantum eas contentiones, quæ ex ipſo facto oriebantur, ex præſcripta tamen eis formula, a qua vel minimum recedere non poterant, ſicuti ſcripſit Cicero (*a*): *Quod Prætores quærebant, quæ in verba Recuperatores darent.* Conſtituebantur autem alii, ut judices eſſent, ſi res aliqua certæ quantitatis condiceretur jure dominii. Ex quo iis nomen inditum, nempe ut res amiſſa recuperaretur quemadmodum ſcripſit Plautus ita (*b*): *Poſtquam quidem Prætor recuperatores dedit, damnatus demum vi coactus reddidit ducentum, & mille philippum.* Hæc ſunt quæ de Decemviris, & Recuperatoribus dicenda putavi. Remanet ut de centumvirali conſilio ceterorum omnium ampliſſimo aliqua dicamus, hoc tamen ſervato ordine, ut primo ejus detegamus originem, deinde limites juriſdictionis deſcribamus, demum modum, ſive ordinem, quem ſervabat in judicando, depromamus; eſt enim ex his utilitas maxima, qua leges quamplurimæ, ceterum obſcuriſſimæ, plane intelliguntur.

Olim Tribunal hoc centum & quinque judicibus conſtabat, quibus deinde, nempe Plinii temporibus, alii ſeptuaginta quinque acceſſerunt. Prætor ſortiebatur eos ex Curiis, ternos ſcilicet per unamquamque Curiam. Sed hæ Curiæ quum triginta quinque eſſent, erant Centumviri centum & quinque. Verum Romanis adlubuit eoſdem Centumviros rotundiori numero appellare, omiſſis quinque. Decemviris jus erat eos vocare ad Conſilium, quum forte rem judicio dirimere opus eſſet. His Centumviris Decemviri una cum Prætore

(a) *Cicero in Verrem.*
(b) *Actio 5. de Agirinenſibus.*
(c) *Bacch.*

Digitized by Google

re præerant, qui ſane conſeſſus tam ampliſſimi habebatur Princeps. Sed operæ pretium eſt hæc omnia antiquorum ſcriptorum auctoritate firmare. Auctor apud Piſonem de his hæc ſcripſit :

Seu trepidos ad jura decem citat haſta virorum,
Et firmare jubet centeno judice cauſam.

Quæ nam autem eſſent ab hoc Conſilio judicanda, prodit Cicero (*a*) his verbis : *Nam volitare in foro, hærere in jure, ac Prætorum in Tribunalibus judicia privata magnarum rerum obire ; in quibus ſæpe non de facto, ſed de æquitate, & jure certetur ; jactare ſe in cauſis centumviralibus, in quibus uſucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluvionum, nexorum mancipiorum, parietum, luminum, ſtillicidiorum, teſtamentorum ruptorum, aut ratorum ; ceterarumque rerum innumerabilium jura verſentur ; cum omnino quid ſuum, quid alienum, quare denique civis, an peregrinus, ſervus, an liber quiſpiam ſit ignoret, inſignis eſt impudentiæ.*

Centumviri igitur, harum controverſiarum cauſſa, ad Baſilicam Juliam coibant, in quatuor conſilia diſtributi ; atque hoc ordine ; Prætor medius cum ſuis Decemviris illis omnibus præſidebat, quorum nempe duo ad dexteram, duo ad ſiniſtram locabantur, quod innuere voluit Quintilianus (*b*) ſcribens, Centumviros in haſtas duas diſtributos ; haſta enim Prætorem notabat. Ita enim judicantibus Centumviris eorum judicium duplex vocabatur ; ſed ſi omnes ad unum conſeſſum coirent, judicium quatruplex erat, dicebaturque. Quumque eadem cauſſa ageretur uno eodemque tempore per quatuor hæc conſilia, neceſſe eſt ut ita ſe invicem prope eſſent, ut qui loquebatur in uno Conſiliorum, facile audiretur & ab aliis ; de quibus hæc Plinius (*c*) : *Proxime cum apud Centumviros in quatruplici judicio dixiſſem, ſubit recordatio egiſſe me juvenem atque in quatruplici.* Ex quibus poteſt inferri etiam Advocatos provectæ ætatis cauſſas in hoc Tribunali diſceptaſſe.

(a) *Lib.* 1. *de Orat.*
(b) *Lib. V. cap.* 2.
(c) *Epiſto. lib.* 4.

Digitized by Google

His jam prænotatis, videamus modo quantam lucem leges ipsæ ex illis accipiant, quamque turpiter in interpretationibus erraverint, qui hæc eadem ignorarunt. Sane quidem ex horum principiorum justitia, factum est, ut ne Jurisdictionis quidem nomen intellexerint veteres. Ecce tibi quam lepida obganniat Accursius, dum titulum de Jurisdictione commentatur: *Jurisdictio, & judicium*, ait, *inter se idem sunt, quia judicia ratione jurisdictionis exercentur*. Non ne id falsissimum est, si consulas quæ diximus nos de Jurisdictione, & Imperio? Sic etiam verba illa *legis ult. C. de petitione hæreditatis*: *Magnitudo etenim, & authoritas centumviralis judicii non patiebatur per alios tramites viam hæreditatis petitionis infrigi*: ita fuerant ab eodem expositа, ut per centumvirale judicium Romanum Senatum intelligeret, qui profecto nunquam causas judicabat. Quod autem in lege *petitor* (*a*) his verbis habetur: *Petitor vel possessor damnavit hæredem, ne centumvirale judicium exerceat*, sic explicavit: *Judicium centumvirale, ideſt petitionem hæreditatis inventam a Senatoribus, qui centum erant numero*. Quæ omnia nemo non videt, quam insulsa sint, atque a vero dissona; nam neque Centumviri Senatores erant; neque hæc actio, scilicet petitio hæreditatis pertinebat ad Senatum.

Demum propositis illis elegantissimæ legis verbis: *Cum filius* (*b*), *divisis Tribunalibus, actionem inofficiosi testamenti matris pertulisset, atque ita variæ sententiæ judicum extitissent*; sic interpretatus est: *Diversis Tribunalibus, ideſt apud diversos judices pro tribunali cognoscentes. Idem dico etsi essent delegati, vel si unus esset tantum; quia actor contra unum, non contra alium apud judicem probavit*. Quæ sane opinatio non in historiam peccat tantum, sed legis sensum ita subvertit, ut falsissimæ sententiæ inde in forum subrepserint. Hæc enim divisa tribunalia sunt Centumvirorum consilia non in unum coeuntia, ut sæpe solebat fieri, sed in duo distributa, ut supra diſſeruimus. Neque omittendum est aliud lepidissimum ejus commentum in lege 10. D. *de inofficioso testamento*, cu-

(a) 31. *D. de liberatio lega.*
(b) *L.* 76. *D. de legatis* 2.

Digitized by Google

cujus hæc ſunt verba : *Sic pars judicantium de inofficioſo teſtamento contra teſtamentum, pars ſecundum id ſententiam dederit (quod interdum fieri ſolet) humanius erit ſequi ejus partis ſententiam, quam ſecundum teſtamentum ſpectavit : niſi aperte judicem inique ſecundum ſcriptum hæredem pronunciaſſe apparebit* . Is illam judicantium partem intellexit judices abordinariis delegatos, atque inter ſe diſſidentes ; quum ex adverſo ii eſſent Centumviri ipſi, quorum pars favore teſtamenti, alii contra judicarunt.

Nec minus abſurda interpretatio illa eſt in *l. lectos* ejuſdem Accurſii. Paulus ita ſcripſit (*a*) : *Lectos emptos Ædilis cum in via publica poſiti eſſent, concidit, ſi traditi eſſent emptori, aut per eum ſtetiſſet quominus traderentur, emptoris periculum eſſe placet*. Et ſubdit. *Quod ſi neque traditi eſſent, neque emptor in mora fuiſſet, quominus traderentur, venditoris periculum erit* (*b*). Jam vero poſtrema hæc verba videntur id affirmare, perfecta emptione, rei venditæ & nondum traditæ periculum pertinere ad venditorem ; quod procul dubio aperto juri adverſatur, quum emptori potius nocere debeat. Vidit ſane nodum Accurſius, quem quum vellet ſolvere, magis tamen implicuit ; ſic enim belle rem compoſuit : *Dic quod ſi in ſpecie facta fuit venditio, pacto ſuſcepit venditor periculum : ſi autem in genere tunc eſt planum ; quia genus non perit*. Non ne is, pace tanti viri dixerim, fœdius rem turbat ? Num contractum hunc emptionem nuncupabimus, quando emptionis deficit eſſentia ? Compertum ſane vel tironibus adoleſcentulis eſt perfecta emptione, dominium rei venditæ ſtatim in emptorem tranſire, & cum dominio periculum ; pacto autem ſecus. Appellanda ne eſt emptio, ubi vel dominium, vel periculum ad emptorem non abibit ? Hinc ſane diræ illæ Pragmaticorum contentiones ſententiis Supremorum Tribunalium aliis atque aliis diremtæ. At vero quæſtio evanuiſſet profecto, ſi vim, & rationem legis intellexiſſet. Ideo enim rei venditæ periculum in hac

(a) *L. 12. D. de periculo ; & com. rei vend.*
(b) *L. 14. D. eodem.*
(c) *Pancirol. lib. 2. variar. cap. 40. & Mornaci. hic.*

Digitized by Google

hac lege venditoris est, etiam perfecta emptione, & non emptoris, quia ipse fuit in culpa, ut Ædilis lectos venditos, & nondum traditos concideret, quum in via publica posuisset, cujus cura, & jus penes Ædiles erat. Quod sane minime intelligere poterat Accursius, qui Magistratuum Romanorum jus ignoraverat, ac proinde in tot turpissimos errores decidit. Quod iis exemplo esse potest, qui Romanæ Reipublicæ Institutionum notitiam, velut rem supervacaneam contemnunt, nec ad germanam Romanorum jurisprudentiam intelligendam esse necessariam effutiunt.

§. II.

De fictionibus, formulisque antiqui Fori Romani.

ANtiquum Romanorum jus formulis, fictionibusque quamplurimis, & prope, ut ita dicam, infinitis fuisse refertum nemo est inter eruditos quin fateatur. Erant enim hæc tunc temporis politiæ Urbis apta nimis, imo necessaria summopere; nam sive Patriciorum respicias ingenium, invenies plane ad id paratum, quo per varias formulas, fictionesque jurisprudentiam intra ordinem custodientes, facilius in plebem dominarentur; sive Prætorum evolvas edicta, pariter in omnibus occurrent tibi formulæ, fictionesque, rerumque vocabula nova. Etenim neque aliter poterat Prætor rigidum jus civile, nisi per istiusmodi involucrum corrigere, atque emendare; jurabat enim sub auspiciis magistratus in jus civile; quare, ne ejus sanctitatem violare videretur, undique conquirebat omnia, quibus derogationes suas, legesque occultissime obtegeret. Non ne igitur tenebris involuta tibi Romana jurisprudentia videbitur, si hæc, antea quam eo accesseris, probe tibi nota perspectaque satis non fuerint? Sed hæc utpote spinosiora horrebunt: ita ut ad ingentia Pragmaticorum volumina percurrendum sit, ex quorum ambagibus in novas magis, & turbatiores difficultates incides. Sed ut de his omnibus veritas magis eluceſcat, Substitutionis pupillaris titulum, veluti specimen quoddam apponam; cujus sane ad intelligentiam, si formu-

la-

Digitized by Google

larum Romanarum, quibus involutus eſt, vim, & poteſtatem noveris, facillime perveneris; & quæſtiones omnes quot quot tibi exſcitantur, apertæ tibi, & patentes erunt. Secus vero omnia latebunt in obſcuro.

Ut autem ab origine ſua omnia repetamus; pupillaris ſubſtitutio eſt pupilli teſtamentum, factum tamen a patre vi patriæ poteſtatis ob ipſius pupilli evidentem utilitatem, cui expedit potius illum habere hæredem, quem pater facit, quam eum, quem lex ipſa præſcribit. Verum quia lege cautum, ne quis alteri teſtamentum faciat; quum teſtamentum a proprio, & non ab alieno debeat pendere arbitrio; hinc ne quis videretur ſuo ingenio jus evertere, inventa eſt per prudentes illa ſubſtitutionis appellatio, qua cui liceat teſtari, fas ſit etiam ſubſtituere. Videamus igitur ea, quæ in jus invecta ſunt, ut teſtamentum hoc appareat ſubſtitutio, quum revera filii teſtamentum ſit, a patre tamen conditum.

Inſtitutio, ac ſubſtitutio, dummodo in eodem teſtamento fiant, iiſdem perficiuntur ſolemnibus; quare propter ſubſtitutionem pupillarem opus non eſt iterare ſolemnia; ſed eadem ipſa in teſtamento adhibita ſatis erunt ad illius validitatem. Parum intereſt inſtitutio ne, an ſubſtitutio in teſtamento præcedat; hinc non obeſt ſubſtitutioni, ſi ea inſtitutionem antecedat. Denique quia ſubſtitutio pupillaris, & hæredis inſtitutio in unum coaleſcunt, hinc eſt ut ab hæredibus inſtitutis, & pupillariter ſubſtitutis una detrahatur falcidia, & detur juri accreſcendi locus tamquam inter cohæredes unius teſtamenti. Attamen quum acceſſorium extinguatur, ſi principale non exiſtit, fit ut pupillaris ſubſtitutio evadat infirma, uti acceſſoria, ſi teſtamentum paternum, quod eſt principale, rumpatur, vel quocumque modo fiat irritum (a). Hæc ſunt quæ ab eo deſcendunt, ut hoc teſtamentum filii ſubſtitutio appareat; videamus ea, quæ dependunt ab eadem, ut teſtamento filii.

Subſtitutio inquam pupillaris revera aliud non eſt, quam teſtamentum ipſius filii, factum tamen a patre; quod in ſe duas

(a) *L.* 129. §. 2. *de regul. juris.*

duas continet hæreditates, nimirum alteram ipſiuſmet patris, alteram vero filii. Quare pupillaris ſubſtitutus nequit unam adire, alteram vero repudiare; ſed ambas aut adire, aut repudiare opus erit. Sed quia hæres teſtamentarius excludit legitimum, propterea ſubſtitutus hic uti hæres teſtamentarius ipſius pupilli præfertur omnibus legitimis; imo matri ipſius pupilli, & non ſolum in bonis, quæ a patre pupillo obvenerunt, ſed etiam in iis, quæ mortuo patre illi delata ſunt; adeo ut ne legitimam quidem portionem petere poſſit. Nam hæc ad eos pertinet, quibus ſi teſtamento relicta non eſſet, licet inofficioſi querela teſtamentum idem reſcindere; quod ſane matri jus non eſt, niſi quum ipſe filius, ſuiſque verbis teſtamentum condit.

Sed porro pergamus. Quum hæc pupillaris ſubſtitutio revera pupilli teſtamentum ſit; ſubſtitutus, hæres principalis erit pupilli, licet per conſequens, hoc eſt per eumdem pupillum etiam patris hæres fiat. Igitur indignus, qui ſuccedat patri, ſi ſubſtituatur pupillo, poterit ejus eſſe hæres; nam quod ſpectat ſucceſſionem, ille legitimus judicatur, qui poteſt principalis hæreditatem adire, nequaquam ſpectato quia indignus ſit alterius hæreditatis, quæ per conſequens, & acceſſorie illi immixta reperiatur (a). Hinc ſi quis ſubſtituatur pupillo ſub proximioris nomine, nil prætorea adjecto, is talis cenſendus erit, qui pupillo, & non patri, proximior erit; nam non huic, ſed illi ſuccediţur, & proximitas exiſtimatur ab eo, cui ſuccediţur. Hinc etiam fit, ut quum ſubſtitutus pupilli hæres ſit teſtamentarius, pupillus, mortuo, patre in alterius poteſtatem non recidat; nam hæredem teſtamentarium habere non poterit, qui ſub patria poteſtate eſt, ſed tantum legitimum.

Ex hactenus dictis ſatis apparent rationes, quibus intelligeremus ea, quæ in hoc argumento occurrunt, ſpectata vel rei veritate, vel ejus fucata facie, qua ſimularetur alia ac eſſet. Videamus modo, quæ ab ipſius privilegii cauſſis pendent. Iſtiuſmodi privilegii cauſſa fuit, & pupilli utilitas, nempe ut

(a) *L. ſi is D. de vulgari.*

ut haberet hæredem illum, quem pater vellet, ac ſub tutela agnatorum effugeret inſidias; & patria poteſtas, cujus vi quum filius & pater pro una perſona habeantur, poterat hic pro filio teſtari. Hinc ſane eſt, ut pater non unis filiis, ſed nepotibus etiam ſubſtituat ſi velit; nam hi omnes ſub ejus ſunt poteſtate, dummodo tamen illo mortuo in alterius poteſtatem minime cadant; imo ſubſtituet non ſolum inſtitutis, ſed etiam exhæredatis, nempe ad illa bona, quæ poſſent iis aliunde obvenire. Eſt enim ſubſtitutionis pupillaris cauſſa non ipſa inſtitutio, ſed poteſtas patria, quæ quum in exhæredatos vigeat adhuc, & iis pupillariter ſubſtitui poteſt. Sed hoc dictum puta ex veteri jure, non vero novo, ubi nonniſi juſtis de cauſſis exhæredatio permittitur; quarum quidem pupillorum ætas incapax exiſtimatur. Quum autem poteſtatem non habeant adſcendentes ex materna linea: ſtricto jure non poterant illi ſubſtituere; licet æquitate ſuadente receptum tandem fuerit contrarium, ſi filios nepoteſque hæredes inſtituant. Sed tranſacta pupillari ætate, quum poſſit per ſe filius teſtari, ideo ſubſtitutio pupillaris in adulta ætate expirat, utpote ceſſante privilegii cauſſa, & ratione. Quod ſi pater tempus legitimum prætergreſſus ſit in ſubſtitutione pupillari, id profecto caderet; nam quod in ejus favorem introductum eſt nempe filii, non poteſt in ejus odium retorqueri, quum præcideret filio adulto teſtandi poteſtatem. Hoc modo, illegitime nempe, & ultra ætatem facta ſubſtitutio, ne in bonis quidem paternis, veluti quoddam tacitum fideicommiſſum, vim aliquam habebit, quum recepti juris ſit ſubſtitutionem directam non poſſe in obliquam, & precariam tranſire (a). Quæ hactenus a nobis dicta ſunt, & per ſua principia rite deducta, ſi cum Pragmaticorum tricis conferas, intelliges profecto quantæ tenebræ per illos in univerſam juriſprudentiam inductæ ſint; a quibus nonniſi præeunte Eruditorum face, poteris te extricare, qui omnia clariſſima luce conſperſerunt.

(a) *L. verbis 7. D. de vulg.*

Digitized by Google

§. III.

De jure recepto in foro Romano ex Prudentum disputationibus.

INitio Urbis Romæ Populum Romanum sine certa lege, sine certo jure, sed tantum manu Regum gubernatum, scripsit Pomponius de origine juris; subditque exactis Regibus omnes leges, sive potius consuetudines, quæ ex Regum judiciis obortæ, vim legis tenebant, lege tribunicia exoleviſſe. Sed quum eo res recidiſſet, ut omnia Consulum manu & arbitrio expedirentur, factum porro, licet post quamplurimas dissentiones, ut certum Jus in Civitate constitueretur, quod legibus Duodecim Tabularum effectum. Atque hinc nimia Consulum potestas, veluti quodam injecto æquilibrio, temperata. Sed videntes Consules suam potestatem valde imminutam, assidua legum Duodecim Tabularum interpretatione, quasdam excogitarunt una cum Patriciis formulas, quibus inter se homines disceptarent, ut his saltem auctoritatem suam, legibus perlatis labefactatam, aliqua ratione repararent. Verum Flavius Scriba, ut plebis gratiam sibi demereretur, hoc artificiosum Patriciorum inventum evulgavit. Et quamvis novis negotiis novas formulas, novaque agendi genera aptarint: Hæc quoque Sex. Ælius Populo tradidit, quod propterea dictum est *Jus Ælianum*. Verum ex his omnibus de legibus Duodecim Tabularum disputationibus, quædam consuetudines in jure ortæ sunt sub nomine auctoritatis Prudentum, adeo ut antiqua jurisprudentia nullo prorsus modo, illis ignoratis, intelligi possit. Nam licet novum jus per Justinianum conditum sit: tamen tot veteris juris firma adhuc manent vestigia, ut percipi hoc plerumque non possit, nisi res repetantur a principiis suis. Quod anne ita se habeat res, sequentia probabunt exempla.

Vulgata satis est inter Pragmaticos quæstio, an plurium annorum stipulatio una sit, an vero tot stipulationes, quot erunt anni. Visa res haud anceps ex lege *Si Sticum 16. de verborum obligationibus*, ubi Paulus ita respondit: *Stipulatio hujusmodi in annos singulos una est, & incerta, & perpetua; non quemadmodum simile legatum morte legatarii finitur*. Itaque

Digitized by Google

que ex his verbis mira consentione scripserunt, stipulationem plurium annorum unam censeri; contra ac in legatis, ubi tot sunt legata, quot anni. Ex quo principio sic posito deduxerunt in stipulatione, licet plurimorum annorum, quum una sit, unam sufficere præscriptionem; in annuo vero legato, quum tot oriantur ab eo actiones, quot anni vertunt, anno quolibet opus esse nova præscriptione; quum præscribi non possit actio, quæ nondum enata sit. Item affirmarunt in hujusmodi stipulatione, quum una sit actio, & tempore ipso contractus enascatur, satis esse, si stipulator tunc tantum temporis idoneus fuerit actioni adquirendæ; at in legato in singulos annos, quotannis aptus debet legatarius inveniri, ut legatum adquirat. Verum solertissimus Donellus denso huic Doctorum agmini unus restitit, & falsa omnia liberali ore pronunciavit, si nempe universe, & præter exceptionem loquantur; posse enim aliquando annuam stipulationem esse multiplicem pro annorum numero; & legatum simplex unumque, licet in annos singulos scriptum. Quod sane quum explicari non possit, nisi detecta vetusta stipulationis origine, liceat de ea ante omnia quædam præfari.

Quum Patriciorum permagni interesset certis formulis omnia concepta peragi, quod supra vidimus; quumque fervida Romanorum ingenia ad promittendum plus æquo propensa, sæpe inconsulta temeritate in immanem rei familiaris jacturam prolaberentur: noluerunt sane ex quacumque pactione obligationem, actionemque oriri. Hinc pacto nudo omnem actionem denegarunt, quam tantum tribuerunt certis, & solemnibus verbis, per quæ consulto concepta, tamquam civilem modum adstringendæ fidei, plane pateret, sponsorem deliberatam veramque ad id habuisse voluntatem. Hinc sane apud eos usu receptum, ut pro legitima obligatione stipulatio intercederet, nempe quædam seria conceptio verborum, quæ voluntatis ad se obligandum determinatæ symbolum esset. Sed & alia deinde consuetudo emersit, ut istiusmodi stipulatio ad ea potissimum adhiberetur, quæ fore perpetua maxime optabant. Ex quibus iteratis sæpe sæpius actibus factum, ut stipulatio haberetur perpetua, licet ad certum annorum numerum

rum præscripta; quare statim, & ipso jure enascebatur actio, quamquam ea per debitorem elideretur exceptione voluntatis finitæ, utpote transacto tempore, ultra quod noluit stipulator obligari. Ex his jam intelligis, cur stipulatio annua censeatur una, quum ex sui natura habeatur perpetua; quam perpetuitatem quum annua legata per se non habeant, factum ut annua legata tot essent, quot anni forent. Atque ita legis verba planissime intelliguntur: *Stipulatio hujusmodi in annos singulos una est, & incerta, & perpetua*. Ideo enim est una stipulatio, quia est perpetua, & elapso convento obligationis tempore, ipso jure non finitur.

Sed in alia omnia abeundum est, si stipulatio annua ea temporis conditione concipiatur, quæ suamet natura contractus perpetuitatem evertat. Tunc enim annua stipulatio non simplex erit, sed multiplex, quot scilicet erunt anni. Et ne forte credas id temere a me prolatum, prostat nobis Justiniani Constitutio, quæ incipit *Sancimus* C. *de donationibus*, cujus in §. 4. anxie Imperator exquirens, num in annuæ donationis stipulatione tot sint donationes, quot anni abeunt, ita ut summam excedens, quotannis insinuari debeat: an vero una sit donatio perpetua semel insinuanda: hac distinctione demum, in diversum abeuntibus veteribus, rem ita absolvit. Vel donatio isthæc annua ita concepta est, ut ex utraque parte hæredum facta fuerit mentio: & tunc una erit ejus stipulatio; secus vero si adjectum forte sit vitæ tempus, quot anni enim, tot stipulationes censebuntur; ita ut quotannis nova insinuatione opus sit. Atque hanc addit rationem; in priori enim specie stipulatio perpetua habetur, ac proinde una; in posteriori vero, quum finiatur vita donantis, vel ejus, qui accipit donationem, quæ est conditio ex sui natura perpetuitatem destruens, censetur temporalis, ac proinde iterari insinuatio debet quotannis.

Verum ut lector intelligat, quam utiliter hæc etiam nostris forensibus negotiis congruant, ægre ne ferat, si quæstionem quamdam in foro excitatam, atque ab argumento, quo de agitur, haud alienam afferam. Quæsitum fuit, an conventum fœnus in annuis redditibus possit reduci ad minorem quantitatem,

Digitized by Google

tem, quam pactum fuit. Jam vero totius difficultatis cardo hic est, conventa ne stipulatio interusurii annui una sit, an vero plures, quot procedunt anni. Nam si una esset, legitima interusurii mensura illa fuisset, quæ tempore contractus legitime conveniisset. Contra vero plures stipulationes, singulis quibusque annis novam usuræ formam induent; quotannis enim spectari debet quid interfit creditoris sua carere pecunia, quidve fœnoris eidem esset, si eam aliis occupasset. Itaque vertentibus annis, agi posset ut minuerentur usuræ. Ajo ego in posita disputatione, non tantum spectandum esse contractus tempus, sed etiam insequens deinceps, quo scilicet usura exigitur; ita ut possit debitor ad annos agere ad deducendas usuras. Enim vero stipulatio hæc non est una, quum non sit perpetua, quippe quæ insitam conditionem temporariam secum habet; nempe ut ex voluntate possit debitor nomen expungere, atque ideo sortem exsolvere *l.* 4. *D. de pactis*. Quare quum tot sint stipulationes, quot procedunt anni, ita ut quolibet anno nova semper ad usuras conventas nascatur actio, potest debitor in annos singulos ad subtrahendas usuras agere. Id etiam probari potest ex *l. quum quidam D. de usuris*, ubi scripsit Paulus: *Si debitores, qui minores semissibus præstabant usuras, fisci esse cœperunt; postquam ad fiscum transierunt, semisses cogendi sunt præstare*. Quum igitur usuræ minores semissibus inter privatos conventæ, Fisci privilegio augeantur ad semisses, si debitores ad fiscum transiverint: fatendum est, harum stipulationem unam non esse & individuam, sed multiplicem & variam, quando fiscus conventam quantitatem prætergressus est.

Sed quod lex præcipit privilegio fisci, ad quoscunque creditores haudquaquam trahendum. Auget quidem usuras fiscus creditor, sed easdem augere nequit creditor privatus; auget fiscus peculiari privilegio, quo gaudet, sed non privatus, qui eo caret. Ecce tibi, quæ scripsit Ulpianus *l.* 6. *D. de jure fisci*: *Fiscus, quum in privati jus succedit, privati jure pro anterioribus suæ successionis temporis utitur: ceterum postea quam successit, habebit privilegium suum* . . . . Et quidem usuras exinde petit fiscales, etsi breviores debean-

beantur. Igitur actu successionis nihil amplius habebit fiscus jure privati, cui succedit; postquam vero successit, utetur privilegio suo petens usuras semisses, quamquam minores deberentur ei, cui successit. Quid ergo nos legem *Quum quidam* attulimus? Nimirum ut inde probaremus, stipulationem, licet semel initam, posse tamen fieri multiplicem, ut profecto fit a fisco creditore; non autem ut obtrudamus, creditores omnes vel privatos, labentibus annis, innovare eas posse, ut augeant usuras.

Itaque sic statuimus, numquam privatum creditorem agere posse ad augendas usuras semel conventas; licet ex adverso agat debitor ad easdem minuendas. Et sane ratio discriminis hæc est. Creditor sortem, dum usuræ solvantur, repetere nequit; debitor contra de voluntate nomen solvere potest. Ergo quum a creditore stipulatio sit perpetua, ac proinde una: quod fœnus legitime initio præfinitum est, mutari, eo agente, amplius non potest. Sed quum a debitore stipulatio sit in conditione temporaria, quæ natura sua perpetuitatem tollit, quod ad hoc, singulis annis alia, atque alia censetur; atque ideo legitimæ usuræ quotannis in minorem quantitatem deduci possunt. Ex quibus colligimus, posse quidem debitorem agere ad minuendas usuras, nequaquam vero creditorem ad eas augendas, si discesseris a fisco; quum creditor sortem repetere nequeat; debitor vero ex sua sententia possit restituere. Hinc quæso colligas, disputationes has non de apicibus juris Romani, sive de gerris germanis esse: sed frugi uberrimæ, & foro nostro emolumento maximo; suamque insciticiam ostendere Pragmaticos, dum eas, ut exangues, & nugatorias negligant & abhorreant.

CAPUT ULTIMUM.

De iis, quibus opus est ad Principum Constitutiones intelligendas.

HActenus de iis, quibus leges Pandectarum, ut par est, intelligere possimus. Ratio nunc ordinis postulat, ut videa-

Digitized by Google

deamus, quæ via nobis munienda ſit ad rectam intelligentiam Conſtitutionum, quas maxime Codex Juſtinianæus complectitur. Itaque inſpecta ratione, qua jus vetus, & conſultorum prudentia a cauſſis ſuis depromatur, ad eas decurrat oratio, quæ præ mentis oculis habendæ ſunt, ut jus novum, hoc eſt Codicis Theodoſiani, & Juſtinianæi, ſolida, atque æqua interpretatione exponatur. Sed quænam hæc ſint, ex natura ipſarum legum habemus. Enim vero leges, quæ nobis utroque in Codice occurrunt, vel ipſius Juſtiniani, vel aliorum Principum Conſtitutiones ſunt, vel generales, vel particulares, aliqua nempe Imperii neceſſitate ſuadente, aut Magiſtratu de eo, quod in jure dubium controverſumque erat, Principem conſulente. Quoniam vero hiſtoria eſt teſtis temporum, & nuncia vetuſtatis, legum ipſarum fontes ope Scriptorum, quantum fieri poteſt, temporibus illis æqualium, aperiri nobis poterunt; per illos enim, oculis veluti ipſis intueri nobis licebit Conſtitutionis cujuſque conditorem, Principem, occaſionem quæ ejus mentem impulerit, Reipublicæ neceſſitatem, Conſules ſub quibus editæ fuerint, locum ubi datæ, cuinam genti demum, aut cui Magiſtratui ſcriptæ. Atque hæc profecto cauſſæ ſunt, apprime Conſtitutionum cognitioni neceſſariæ, quæ non niſi per hiſtoricos nobis patefieri poſſunt. Verum illæ, quæ ad Magiſtratuum conſultationes prodierunt, quum non poſſint intelligi, niſi facti ipſius, cujus gratia fuerunt ſcriptæ, adjuncta comperta ſint nobis: hinc eſt, cur nobis plerumque ſint obſcuriſſimæ, omni amiſſa ſpe eas intelligendi; quum Tribonianus conſultationes ipſas, in quibus factum exponebatur, abſciderit in Codice Juſtinianæo, tantumque Principis Reſcriptum digeſſerit, & ſecuturo ævo tradiderit. Ex quibus vide quam imperite actum ſit, hujuſmodi reſcripta vim legis generalis habere, quæ tamen ſingulari ſpeciei proſpiciebant, quæ qualis fuerit ignoratur. Ecce tibi, quid hac ſuper re Arcadius edixit in l. 9. C. Theodoſii *de diverſis reſcriptis*: *Reſcripta ad conſultationem emiſſa, vel emittenda in futurum iis tantum negotiis opitulentur, quibus effuſa docebuntur*. Et merito quidem, quippe periculoſum eſt maxime ex particulari Principis reſponſo legem univerſalem

effi-

efficere. Itaque ut uno dicam verbo, in Codice Justinianæo Constitutiones tantum generales, duce historia, captui nostro sunt, non autem Rescripta, quæ ad Magistratuum consultationes de privata, & certa aliqua controversia prodierunt, cujus nempe adjuncta penitus ignota sunt.

Sed quum leges omnes conditoris indolem, & pietatem omnino redoleant, num quis germanam earum expositionem jactabit, qui antea Legislatorum ingenium religionemque rimatus non fuerit? Itaque ad sacratissimas Constitutiones recte interpretandas ante omnia quærendum, quæ religio in Principis animo versetur: deinde quibus virtutibus ornetur, quibusque vitiis turpetur; nimirum ad humanitatem ne potius, & clementiam, an ad feritatem, & duritiam pronior fuerit; nec tantum Imperator ipse Legislator, sed & Præfectus Prætorio, quem Principem consuluisse in legibus condendis nemo unus ignorat. Præter hæc chronologiæ ratio habenda, quæ quanti in hac potissimum parte sit, paullo infra videbimus: item Magistratuum antiquorum potestas advertenda quam maxime, tum ut eorum discrimen pateat, tum etiam, quo pronior sit ad Magistratus nostrates inductio in contentionibus nostris secundum leges eas dirimendis. Demum quum a Constantini ævo factum sit bono publico, ut philosophia Christiana ita fuerit immixta juri civili, ut cum Jure Canonico in unum conveniisse visum sit, maxime vero sub sequentibus Principibus, ubi grassante barbarie, & laicorum potissimum ignorantia formulæ quoque judiciariæ juris Canonici in jus civile irrepserunt: hinc necesse est, ut jurisconsultus notitiam certe non vulgarem habeat Ecclesiasticæ historiæ, ex qua una canones depromuntur. Sed quod mireris, necesse etiam est ut cognitionem aliquam veteris Romanorum superstitionis nobis comparemus; nam licet Constantinus, aliique sequioris ævi Principes paganam religionem a jure civili quam maxime conati fuerint eradicare funditus, factum est tamen Tribonianni inscitia, ut quampluria illius vestigia in jus novum irrepserint, quæ sine subsidio veteris Romanorum religionis prorsus intelligi non possunt. Atque hæc sunt, quorum ope posse

nos

Digitized by Google

nos probe pernoscere Imperiales Constitutiones affirmo. An id ita se habeat, argumentis ab ipsas re petitis agendum.

§. I.

De Chronologia legum.

TEmporum chronologia quam necessaria sit ad probe Constitutiones Principum exponendas, ex legibus ipsis mox explicandis satis patet. Et quidem lex *Quisquis cod. ad legem Juliam Majestatis* jure merito videtur iniqua, si quidem exterior ejus facies, prout nempe verba sonant, spectetur. Iniquissima enim erit res, barbarico more sævius, pœna eadem puniri Principum occisores, atque eos, qui adversus viros illustres, qui Conciſtorio Principis intererant, Senatoresque, privata quamvis ultione conspirarent. Crudelitatem enim non ferendam sapit, filios eorum etsi innocentes paterna hæreditate mulctari, hoc uno contentos, quod ipsius vita non adimatur. Præterea injustissimum est, conjunctos, familiares, amicos, qui majestatis reorum infelicitate commoti Principis clementiam auderent implorare, notari infamia. Ex quo data occasio doctissimo Cujacio, aliisque optimæ notæ interpretibus legem hanc appellandi sævam, non ratione pœnarum, quibus rei Majestatis plectuntur, sed quod eamdem subeant pœnam, qui Principem, ac qui ejus administros occidunt, & tamen hæc non ita se habebunt, si chronologia duce legem interpretemur. Age vero id videamus

Quamvis illa Arcadii, atque Honorii nomine scripta legatur in Codice tam Theodosiano, quam Justinianæo, tamen soli Arcadio tribuendam hæc suadet ratio. Legitur quidem data Anciræ, quæ Metropolis erat Orientis, & ad Eutychianum missa, qui Præfectus Prætorio Orientem regebat. Non igitur Honorio, cujus imperio Occidens parebat, sed Arcadio, qui in Oriente imperabat, adscribenda est. Ex quo sane velim advertas duorum Principum nomine scriptas Constitutiones, non semper ambobus dandas esse. Sæpe enim sive ad concordiam illorum præferendam, sive ad significandam

Digitized by Google

Imperii originem, quod olim fuerat unum, indiviſumque, legem illi ab uno conditam, alterius etiam nomine in lucem publicam edere ſolebant. Quare ut verus auctor palam fiat, neceſſe eſt ut Conſules, ſub quibus lata, Magiſtratuſque, ad quos dirigitur ex hiſtoria detegas: num ſcilicet in Occidente, an vero in Oriente præfuerint; ut in hac Conſtitutione factum, cujus nimirum Conſules occurrunt Cæſarius, & Atticus, qui fuerunt in Oriente. Sed quum hi Conſulatum geſſerit anno trecenteſimo nonageſimo ſeptimo: ex epocha temporis hujus lex eſt interpretanda, nimirum a rebus publicis quæ in Imperio per id tempus verſabantur.

Certe quidem uno ore hiſtorici ſynchroni (*a*) docent, eo tempore Arcadium vix ætatis ſuæ annum vigeſimum attigiſſe, & Rufino miſere jam vita functo, ſcilicet anno trecenteſimo nonageſimo quinto, ſucceſſiſſe Eutropium, atque ad initium uſque anni trecenteſimi nonageſimi noni, in dignitate perſtitiſſe. Igitur ex his jam habemus hanc legem fuiſſe perlatam ſub Eutropio, quum data fuerit anno trecenteſimo nonageſimo ſeptimo.

Re ita ex hiſtoria per ſua tempora jam digeſta, videamus legis cauſſas ſub Eutropio. Exploratum omnibus profecto eſt, qua infelicitate tunc temporis ſub Eutropio laboraverit res Orientalis. Fuit enim Eutropius, ut animo pravus, ita opibus præpollens; adeo ut tanta eſſet ejus tyramnis, ut dixeris Arcadium ipſum Eutropii vile mancipium. Quin nec ſanctæ Dei Eccleſiæ pepercit. Mortuo enim Nectario Archiepiſcopo Conſtantinopolitano, in ejus locum, præter Canonicam electionem, Joannem quemdam ſubſtituere auſus eſt. Abſtulit etiam Eccleſiis immunitatem, ut eo magis ſæviret in eos, qui ſibi forte erant inviſi. Quod ſi in ea, quæ ad religionem ſpectant, tanto furore debaccharetur, quid ſceleris in re civili virum impium, æque ac audaciſſimum prætermiſiſſe putes? Quippe hoc animo inſederat ſuo, ſumma rerum quondam potiri; hinc ea ſibi parabat, quæ ad id aditum faciliorem darent. Quare ut Arcadium potiſſimum ſuis inviſum, &

(a) *Zoſimus lib. V. Socrates lib. VI. cap. 2. Sozom. lib. VIII. cap. 2.*

Digitized by Google

& exteras gentes ſibi conciliaret, honores omnes tam civiles, quam militares peregrinis, & barbaris magis, quam civibus conferebat. Obortæ ex hoc proinde quærelæ, & quidem maximæ. Sed profecto illæ, aut ad Principis aures non perveniebant, aut ſi quæ forte pervenerant, calliditate ſua & inſidiis facile comprimebantur. Hac ſane de cauſſa Syneſius Epiſcopus, publice habita ad Arcadium oratione, hoc potiſſimum ei commendavit, ut viros probos eligeret Magiſtratus, civeſque bene de re publica meritos ad honores eveheret. Sed Eutropio fruſtra fuerunt omnia; nam gentes, quæ Imperatori parebant, ſpe dejecti, undequaque conciebant turbas, motus excitabant, ſubvertebant Imperium, Principis adminiſtros palam contemnentes, eoſque ſæpe, ortis ſeditionibus, interimentes. In tanta vero Reipublicæ turbatione, quæ undique inteſtino odio, atque internecionibus vexabatur, quid Arcadius aptius agere poterat, ne Imperium periclitarētur, quid flagitioſiſſimus, & ſolertiſſimus Eutropius pro ſui ſuorumque ſecuritate poterat moliri? Id ſcilicet Principi propoſuit, ut ad comprimendos ſubditorum motus, legem quam ſeveriſſimam ferret; qua, quum Magiſtratibus communicaretur ipſius Principis Majeſtas, ut & iis veluti Princeps ipſe, ſacroſancti forent, atque iisdem pœnis tenerentur, qui Magiſtratum, ac qui Principem occidiſſet. Fateor quidem hoc fuiſſe nimium, nempe ut illa ipſa Majeſtas, quæ tam arcte Principis perſonæ inſidet, & aliis impartiretur; idemque ſit Principem, ac Magiſtratum interficere; ſed ſalus publica lex eſto ſuprema.

Hoc ita inſpecto Conſtitutionis tempore, ejuſque hiſtoria leviter perſtricta, facili ſane negotio, quæ antea obſcura, aliiſque ea ignorantibus inacceſſa, pervia ſunt, ac luce ſua donata. Primo intelligimus cauſſam, quapropter in Occidente diù lex hæc incognita fuerit, nempe quia Orientem unum turbæ illæ vexabant; nulla enim ratio ſuberat, cur per Occidentem etiam vulgaretur, a quo tanta mala aberant. Secundo compertum jam habemus, cur & reos Majeſtatis lex faciat eos, qui per ſceleſtas factiones ad publicorum Magiſtratuum necem conſpirant; quia id unum intendebat Imperator, & Eutropius, ut iſtiuſmodi conſpirationes adverſus

Digitized by Google

Magiſtratus inítas averterent. Quapropter turpiter falluntur ii, qui crediderunt Majeſtatis reum eſſe, qui in Principis invidiam ejus adminiſtros interimit, quum conjurationes illæ in necem Magiſtratuum, non vero Imperatoris odium inirentur; imo etiam ſuammet injuriam ulciſci videbantur, quum exteri homines & barbari civibus in honoribus præferrentur. Prætereundum autem hic non eſt, ingenioſe ſatis doctiſſimum Gothofredum hujus legis partes percenſere *l.* 34. *&* 39. *de hæreticis*; item 16. *de pœnis*; *&* 57. *de appellationibus*; in quibus ſane coitiones omnes prohibentur: maxime vero Monachorum per id tempus vulgares pro reis interceſſiones; nam conjurationes illæ ita animum Principis deterruerant, ut a Monachorum deprecationibus metueret, quando ab impotenti magis Eutropio, quam ab innocenti Monachorum ordine cavendum erat. Ex his videſis, quam neceſſaria ſit chronologia ad perfectam Conſtitutionum Imperialium intelligentiam. Sed haud abſurdum erit & pauca de altera Arcadii Conſtitutione proloqui, quæ ita ſcripta eſt (*a*): *Sancimus ibi eſſe pœnam, ubi & noxia eſt: propinquos, notos, familiares procul a calumnia ſubmovemus; quos reos ſceleris ſocietas non facit*. Videtur ſane lex hæc cum illa ſupra expoſita de crimine Majeſtatis pugnare, qua innocentes adhuc filii paterna hæreditate mulctantur. Quare interpretes doctiſſimi quique multum adlaborant, ut utramque in concordiam adducant; nec deſunt qui alteram ab altera derogatam audacter jactarunt. Sed fruſtra omnes ad id operam impendunt, quum a recto tramite aberrent. Tu vero, ſi ſuam cujuſque ætatem conſulas, nodum facili negotio ſolves. Ecce tibi. Anno trecenteſimo nonageſimo nono XVI kalendas Februarias improbus Eutropius, lege per Arcadium publice perlata, reus Majeſtatis peractus eſt; quo ſane tempore quum, ut fit, frequentes delatores ad necem etiam innocentium conjuraſſent, factum eſt inde, ut damnato Eutropio, quamplurimi ut rei, licet immerito, ad Principem deferrentur. Animo id advertens Arcadius, VIII. kalendas Auguſti ejuſdem anni, quo fuit proſcriptus Eutropius, Conſtitutione ſua, quam

ſupra

(a) *L. ſancimus C. de pœnis.*

Digitized by Google

ſupra perſcripſimus definivit, an propinqui, amici & familiares Eutropii rei Majeſtatis cum eodem haberentur nec ne. Quum vero lex hæc propter Eutropium Eunuchum, qui filios non haberet, lata eſſet: fruſtra profecto conati ſunt interpretes explicare, quinam per vocem *propinquos* in ea intelligendi eſſent, & an lex hæc deroget legi *Quiſquis*, ubi filii quoque, licet innocentes, a paterna hæreditate ob crimen Majeſtatis patris cadunt.

Verum non omittendam exiſtimo præclaram illam Imperatoris Conſtantini Conſtitutionem ex titulo *Sine cenſu, vel reliquis*, quæ & ad argumentum noſtrum facit. Jubet in ea Conſtantinus, nullam eſſe in venditione legem, qua tributorum tam temporis præteriti, quam futuri onus pertineat ad venditorem. Age vero. Pactum hoc Fiſcum non tenere, intelligo ſatis; quum creditori nullum debitoris cum aliis quibuſcumque pactum noxæ ſit; *Non enim quod noſtrum eſt, ab alio, nobis invitis, auferri poteſt*. Sed illud me ſolicitum habet, quod conventio iſthæc etiam quod ad ipſos contrahentes nulla ſit, quum plurimi ſane res vendi poſſet ſi tributi onus penes venditorem maneat; quemadmodum ex lege 42. D. de pactis, palam fit, ubi hæc conventio rata habetur. Quid igitur? num huic vetuſto juri per Conſtantinum derogatum eſt? Minime profecto, ſi pro temporum ratione rem perpendamus.

Illa quidem apparet ſcripta ad Antonium Marcellinum Primæ Lugdunenſis Præſidem, & data Agrippinæ, Conſtantino II., & Licinio Coſſ., quorum Conſulatus annum fuiſſe trecenteſimum duodecimum, recte conjicit doctiſſimus Gothofredus ex duobus Panegyricis Eumenii, hoc eodem anno Conſtantino dictis; in quibus ſane gratiæ ei aguntur de remiſſionibus tributorum per Galliam, & de ſalubri ratione inita quoad tributa futura, ne ſcilicet Civium patrimonia nimiis oneribus deperirent. His præmiſſis, videamus modo quid eodem tempore de eadem re Salvianus ſcripſerit, ut legis ſententia undequaque nobis pateat. Hæc ſunt ejuſdem verba (*a*): *Nam illud quale? quam non ferendum, atque moſtrigerum,*

(*a*) *Lib. 4. de gubernatio. cap.* 8.

& quod non dicam pati humanæ mentes, ſed quod audire vix poſſunt, quod plerique pauperculorum, atque miſerorum ſpoliati reſculis ſuis, & exterminati agellis ſuis, cum rem amiſerint, amiſſarum tamen rerum tributa patiuntur, cum poſſeſſio ab eis receſſerit, capitatio non recedit? proprietatibus carent, & vectigalibus obruuntur? quis æſtimare hoc malum poſſit? Rebus eorum incumbunt invaſores, & tributa miſeri pro pervaſoribus ſolvunt; poſt mortem patris nati obſequiis juris ſui agellos non habent, & agrorum munere enecantur. Ex quo loco id habes, ut pernoſcas legem hanc fuiſſe localem; item & temporariam, ſcilicet ad evertenda illa mala, & emptorum fraudes proſcribendas, quibus Gallia per id tempus miſere captabatur. Igitur ſi emptoris fraudem de medio tollas, nullus ambigendi locus, quin conventio rata ſit, ut tributi onus adhuc poſt venditionem venditorem ſequatur ex lege Pandectarum. Atque de hoc argumento ſatis multa dixiſſe puto.

§. II.

De notitia Magiſtratuum Romanorum.

MAgiſtratuum antiquorum ſcientia non ſolum utilis, verum & per quam neceſſaria nobis eſt ad jus Imperiale enucleandum. Sane quidem qui hac ſcientia erit deſtitutus, neque leges, quæ Magiſtratibus favent, neque eas, quæ ad uniuſcujuſque faciunt poteſtatem, & imperium poteſt intelligere. Num ſine eorum cognitione leges de re juris dicundi, imperiique exercendi, acerrimis noſtræ ætatis contentionibus, quas quotidie in foro obſtrepere videmus, commode aptari poſſunt? Eſt igitur perneceſſaria priſcorum Magiſtratuum notitia, nec ſane obturbata, nullaque habita diſtinctione, ſed alia aliis accomodata temporibus, prout diverſi, aliterque pro temporum ratione juri dicundo præerant. Nam quum Magiſtratus ſit viva populi lex, non minus ille, quam hæc ſcripta Civitatis regimini debet congruere. Hinc alii fuerunt Magiſtratus in Romana Republica, ac in Imperio: alii ſub Auguſto, ceteriſque Principibus uſque ad Conſtantinum, alii autem

Digitized by Google

autem ſub Conſtantino ipſo poſtquam Byzantii novam fixit Imperii ſedem. Erant qui democratico regimini conveniebant alii omnino ab illis, qui in Monarchia, nempe ſub Auguſto, jus dicebant; ſed omnes, quum religioni ethnicorum devoti eſſent, paganam ſuperſtitionem fovebant maxime. Ubi autem Conſtantinus orthodoxa dogmata amplexus, eam publice proſcripſit, alios ſane, diverſoſque Magiſtratus inſtituit. Ut igitur per diverſa tempora alios, atque alios magiſtratus diſtinguamus, ſumma neceſſitas urget, ut per exempla rationes deducamus, quo luculentius res appareat.

Imperator Julianus in lege *Providendum de decurionibus Cod. Theodoſi* ſtatuit, recens ad Curiam adlectos non teneri ob debita præterita ſuſceptorum, quæ hi præcedentibus delegationibus contraxerant. Verum quum vulgo Suſceptores qui nam ſint fuerit ignoratum, factum ex hoc, ut tricis omnia oboluerint. Videamus ergo quale fuerit ſuſceptorum munus. Hi per ea tempora fuerunt, qui curam exigendi tributa ſuo periculo ſuſcipiebant. Quoniam vero ad munus hoc legebantur a Decurionibus, quorum potius erat iſtiuſmodi tributorum excuſſio: hinc pro ſuſceptore Decurio tenebatur, veluti tacito quodam fidejuſſionis jure, quum per ſe ſtetiſſet, quin ad hoc munus locupletem non legiſſet. Sed quum id culpæ novo Decurioni non daretur, utpote qui ſuſceptorem ipſe non nominaſſet, propterea jure merito non poterat ullam pro alienæ nominationis ſarcina moleſtiam ſuſtinere.

Expoſita jam hac lege, veraque ejus ſententia tradita, videamus Pragmaticorum menda, qui hoc ignorarunt. Quidam ſane ex illius contorto ſenſu dixerunt, recens Collegio adſcitos teneri ob nomina a deceſſoribus, occaſione ejuſdem Collegii facta. Quod profecto a ſanctione hujus legis alienum eſt; quum numquam fuerit dubitatum, debita contracta cauſſa alicujus Collegii obſtringere quoſcumque ſucceſſores. Non enim corpus, deficientibus prioribus, aliiſque deinceps ſuccedentibus, videtur aliud eſſe, quum unum ſemper idemque exiſtimetur. Tradiderunt alii, ex hac lege inferri poſſe novum fundi poſſeſſorem non teneri ad ſolvenda tributa fiſcalia, quorum ſane dies priori domino ceſſerat, veneratque. Hæc ſane

omnia

Digitized by Google

omnia quam procul a vera legis intelligentia abſint, mirum profecto videri non debet, quum vulgo ſuſceptorum ſignificatio lateat.

Facit etiam ad argumentum noſtrum lex ſecunda (*a*), quæ quamvis ex Pandectarum voluminibus depromatur, juvat tamen maxime & huc afferre, ut luculenter oſtendamus, quanti ſit Magiſtratuum cognitio ad legum omnium, non unius tantum Codicis intelligentiam. Docet igitur hic Ulpianus primo capite legis Juliæ teneri, qui ſciens ſcripſerit, aut recitaverit quid falſum in tabulis publicis. Id ſane exponens Accurſius ait hoc intelligendum de Notario, qui contra Rempublicam, aut Principem falſum ſcripſerit præfiſcini? Quid interpretatione hac imperitius fingi poteſt? Enimvero pudeat Juriſconſultum agere, & quæ publicæ tabulæ fuerint ignorare: itidem Notariorum noſtrorum originem neſcire; quæ omnia ſi fuiſſent comperta, ridiculam expoſitionem certe quidem non pronunciaſſet; Igitur tam quid ſint hæc publicæ tabulæ, quas non intellexit Accurſius nos videamus, ut inde legis ſententiam eruere valeamus. Sunt quidem actus publici, non illi profecto quos in lite conficiebant exceptores, ſed quos quiſque ſibi peragebat, inde ut fidem publicam mereri poſſint. Dicam planius, negotia omnia etiam extrajudicialia, quæ inter contrahentes peragebantur, ut fide digna cenſerentur, neceſſe erat ut ab Actuario præſente judice, redigerentur in ſcripturam; non enim tunc temporis Notariorum invaluerat uſus, ut quidquid apud eos fieret, præſentibus teſtibus, fidem publicam mereretur. Itaque hæc erat contrahentium conſuetudo, negotiis coram judice compoſitis, ſtatim hæc per ſcripturam tabulis ab Actuario mandabantur; tunc vero quidquid geſtum inter eos legebant plene, legitimeque probatum putabatur. Atque hæ ſcripturæ ſunt quæ in jure *publica geſta*, *monumenta*, *inſtrumenta forenſia*, *vel ſimpliciter publica*, *aut publicæ teſtificationes*, *publicæ tabulæ*, *& demum inſinuationes appellantur ſæpiſſime*. His præmiſſis expeditiſſima erit lex noſtra; ideo enim Ulpianus reſpo-

(a) *Ad l. Juliam Majeſt.*

Digitized by Google

ſpondit lege Julia teneri, qui falſum in tabulis publicis ſcripſerit; quia, quum publica auctoritate negotia abſolverentur, hoc eſt ſcriptura judicis confecta auctoritate, ut fidem ſibi pareret; is qui falſam exarabat ſcripturam, auctoritate ſibi concredita abutebatur: quare nil mirum, ſi teneretur lege Julia. Atque hæc contra Accurſium, qui minus recte, legem hanc, quæ negotia omnia comprehendit peracta coram judice, ad noſtrorum Notariorum fraudes contra Principem, vel Rempublicam detorquet.

§. III.

De Religione Principis, ejuſque indole.

QUantum profit intelligendis Principum Conſtitutionibus, eorum religionem, atque ingenium cumprimis explorare, ſatis viri politici docuerunt. Quare quum in utroque Codice Imperatores legum illarum conditores alii fuerint Pagani, alii Chriſtiani, Catholici alii, alii vero Hæretici, imo & quidam Apoſtatæ fœde deſciſcentes a Chriſtiana Religione, uniuſcujuſque ſane religio attendenda eſt in interpretatione eorumdem legum. Neque vero inter hæc prætermittenda eſt eorumdem indoles, quæ mirum quantum in illorum cujuſque ſanctiones influit; veluti ſi Princeps ad humanitatem nimirum propendeat, ejuſdem leges videas pro pœnarum æſtimatione leviores; contra vero ſæviores, ſi illa ſeveriorem morem præferat. His addenda eſt etiam Præfecti Prætorio indoles; nam quum Princeps in legibus ferendis eum plerumque conſuleret, fieri vix poterat, quin Juriſconſulti ipſius ingenium in ſanctionibus illis ſpatiaretur; itaut appareat profecto, quaſdam Conſtitutiones nonniſi ex indole Præfecti Prætorio explicandas eſſe. Sed hæc omnia, pro inſtituti noſtri ratione, exemplis fulcienda ſunt; & primo quod ſpectat Principis religionem, conferamus, quæſo, Conſtantini Conſtitutiones cum illis, quas Julianus Imperator confixit. Quum ille Imperator Chriſtianus piuſque Princeps fuiſſet, ita in ſuis legibus ſe geſſit, ut everſa idololatria gentium, quas imperio regebat, mores com-

Digitized by Google

poneret ad Christianam philosophiam ; ex adverso Julianus, utpote Princeps Christianæ veritatis desertor , id egit potissimum , ut suis Constitutionibus pagana superstitio emortua jam , reviviscceret. Atque ut id clarius innotescat , penitus sane Juliani mens animusque in legibus ferendis spectandus.

Cum veteres , tum recentes Scriptores tradiderunt, omnium persecutionum , quibus Ecclesia ab incunabulis usque vexata est, illam Juliani sævissimam fuisse; nam quum ceteri Christiani nominis hostes vim apertam adhibuissent, iste contra novis dolis instructus, procul a cruciatibus , divitiarum , atque honorum illecebris Christianorum animos pro uniuscujusque ingenio expugnare conabatur . Religionis libertatem sub speciem benignitatis edixit ; sed revera ut Christianam Religionem labefactaret , funditusque everteret. Nam quum inter ipsos Christi fideles quamplurima per id tempus serperent schismata, id spectavit vaferrimus, atque impius Princeps, ut data de hoc omnibus libertate, Christiani inter se dissentientes, suarum disputationum vi interirent. Ideoque quippe cruciatibus abstinuit, quod Martyrum sanguine Ecclesiam fuisse adultam, & Christianam fidem firmatam viderat. Fuit igitur Juliani persecutio eo acerbior, quo simulatæ pacis , ac piæ indulgentiæ nomine, veluti insidiis, faciliorem eversionem parabat. At quod magis subdoli animi versutias ostendit, pietatis nomine prohibuit, ne antiquorum gentilium libri legerentur; quum Christi sectatoribus iis oblectari par non esset, quibus a veritate averti possent . Sed alio sane pravus Imperatoris intendebat animus, nimirum ut Christianis arma deessent ad ethnicorum superstitionem prosternendam , quæ pagani ipsi Scriptores vel inviti facile præberent. Igitur in Juliani Constitutionibus imprimis animadvertendum, aliud eum scripsisse , aliud vero voluisse ; nam quum philosophiam is affectaret, eam profecto mirum in modum addidicerat artem, qua simularet , ac fraude dolisque sua consilia calidissime obtegeret ; id autem ex dicendis luce clarius patebit.

Prostat in titulo de sepulchro violato ejus Constitutio, qua præcipitur, ut Christianorum cadavera noctu efferrentur; atque hac de causa, quod fas non esset, ut quos inter tanta

in-

Digitized by Google

intercedebat caritatis neceſſitudo, diu ipſi exequias proſequerentur, quum dolor in exequiis *ſecretum amet & mortuorum nihil interſit, utrum per noctes, an per dies efferantur* (a). At vero aliud is de more ſuo ſpectavit, nimirum ut paganorum ritus ad priſtinum revocaret. Etenim Romanis ſolemne erat infimæ plebis cadavera noctu, divitum autem per diem efferri, ut patet ex Halicarnaſſæo (b), qui ſcripſit: *Uxor Julii mariti occiſi cadaver, ut hominis privati, & plebei, noctu extulit*. Sed alia prorſus Chriſtianis erat ſententia; hoc eſt ut gaudium magis in funeribus ob ſpem reſurrectionis, quam luctum teſtarentur, diu ſuos cujuſque generis efferrebant. Itaque Julianus in hac ſua Conſtitutione licet, ut fucum faceret, alia ſcripſerit: id tamen mente conceperat, ut Manium ſuperſtitionem, quantum poſſet, revocaret, Fideleſque Chriſti, veluti infimæ ſortis homines aſpernaretur. Habes ex his, quanti referat Principis religionem præ mentis oculis habere, ſi juſtus Principalium Conſtitutionum interpres audire cupias.

Age vero, ne propere ab argumento diſcedamus, in titulo de Decurionibus Juliani ſanctionem hiſce verbis ſcriptam legimus (c): *Eos indulſerunt veteres Principes, qui materno genere Curialibus Antiochenis adſcribi, quos Patris dignitas nullius vindicaret jure Civitatis. Data V. Kalendas Septembris Antiochiæ Mamertino, & Nevitta Coſſ.* Compertum ſane ante Julianum in munerum Curialium ſucceſſione, ob onus prope intolerandum, paternam tantum originem ſpectatam, nunquam vero maternam. Quæ autem ratio eſt, quapropter Julianus hanc novam legem exemplo veterum Principum concinnaverit? Dicam, poſtquam breviter de Conſtitutionis hujus auctore præfatus fuero. Certe quidem ejus conditor fuit Julianus; nam licet Ulpianus in lege prima *ad municipalem* afferat in jure municipali aliquando habitam rationem etiam materni generis; attamen jus municipii differt quamplurimum a Curiis; nam illud Civium frequentiam in municipiis reſpiciebat, hoc autem

(a) *L.* 5. *Cod. Theod.*
(b) *Lib.* 4. *cap.* 45.
(c) *L.* 51. *lib.* 12. *Cod. Theodoſ. tit.* 1.

Digitized by Google

tem ad Curias ſpectabat. Quare merito tam Zoſimus (*a*), quam Leo Imperator (*b*) auctorem faciunt Julianum. Itaque quum verſutiſſimus ille Princeps legem hanc procul dubio condiderit, pro ſuo quidem ingenio ea eſt interpretanda. Et quidem Decurionum munus grave nimis onus fuiſſe, neminem latet, ob immodicas potiſſimum impenſas, quas eos ſubire neceſſe erat. Sed quoniam Julianus oneribus Cives, quam maxime poſſet, levare pollicitus erat; contra vero Decurionum ordinem in diem deficientem ſupplere cupiebat; hinc ut voti compos fieret, nec promiſſis deeſſe videretur, Decurionum munus honorifico nomine decoravit; eique veluti privilegium quoddam elargiri jactabat, ne ſcilicet novo ad Curias invecto nexu, quererentur Cives, novum ſibi ac inſuetum impoſitum onus. At vero cur Antiocheno potiſſimum Populo, qui ſibi erat inviſus, privilegium tam præclarum conſtitutum eſt? Erant ſane Curiæ idololatriæ fomenta quam maxima, ob publicas celebritates, ac feſtos ludos, quos ſtatis temporibus Decuriones oportebat in honorem Deorum Populo edere. Hinc Curiarum Sacerdotium, quod his curandis præerat, ſeveriſſime a Sacris Canonibus per id tempus vetitum (*c*). Quapropter quum pagana ſuperſtitio penderet potiſſimum a Curiis, maxime ſtudebant Principes Chriſtiani, ut Curiarum numerum minuerent; ex adverſo vero pagani, ut augerent magis, vel diminutum repararent. Quoniam autem Chriſtianus Populus Antiochiæ maximam partem Chriſtianus erat, ac Decurionum ordo ſenſim elangueſcere videbatur; eum ſane Julianus ut inſtauraret, hanc in odium Chriſtianorum Conſtitutionem in ſpeciem honorificam edixit, ut origo materna, Patre non exiſtente, Curialis originis ſpectaretur in Curiis; atque ita augerentur Curiales, & religio pagana magis magiſque foveretur. Ex his omnibus intelligitur ratio, cur Julianus in lege quinquageſima de Decurionibus ſtatuerit, ut Chriſtiani revocarentur ad Curias, utque Curiæ tantum, non autem

(a) *Zoſi. lib. III. cap. II.*
(b) *Leo l. 61. de Decur.*
(c) *Concil. Heliberit. & ibi Mendoza.*

Digitized by Google

tem Decuriones immunes essent a lustrali collatione, sive a tributo negotiationis (a). Quum enim Curiæ ipsæ paganæ superstitioni essent semper addictæ, Decuriones autem aliquando Christiani; id constituit Imperator, ne isti hac gauderent immunitate, qua frui superstitiosas Curias optabat.

Sed juvat tres leges ex titulo de Medicis, & Professoribus inter se conferre, ut huic disputationi nihil deesse videatur. Sunt hæ nimirum Juliani prior, posteriores vero Valentiniani. Ait igitur ille: *Magistros studiorum, doctoresque excellere oportet moribus primum, deinde facundia; sed quia singulis Civitatibus adesse ipse non possum, jubeo, quisquis docere vult, non repente, nec temere prosiliat ad hoc munus, sed judicio ordinis probatus, decretum Curialium mereatur optimorum conspirante consensu.* Subditque, ut in Codice Theodosii legimus: *Hoc enim decretum ad me tractandum referetur, ut altiore quodam honore nostro judicio studiis Civitatum accedat.* Hæc ille vaferrime præscripsit, ut majori honore viderentur Professores exornari, si Principis probarentur judicio: sed revera ut ab honoribus civilibus prohiberet Christianos, paganos vero admitteret. Ex quo proinde factum, ut vivente Juliano, Professores pene omnes artium liberalium fuerint pagani, quo gentilium superstitio his ducibus, & præceptoribus in integrum restitueretur.

Videamus porro quid Valentinianus, & Valens in eamdem rem constituerint. *Si quis erudiendis adolescentibus vitæ pariter & facundia idoneus erit, vel novum instituat Auditorium, vel repetat intermissum . . .* (b). Quum enim per Julianum Christiani fuerint a publicis scholis eliminati, id egerunt Valens, & Valentinianus post Julianea tempora, ut Christiani denuo artes liberales profiterentur, quorum magisterio adolescentes ad Christi Religionem a primis usque annis formarentur. Hoc sane innuunt ea verba; *vel novum instituat Auditorium, vel repetat intermissum.* Tandem vero Valens, & Valentiianus in l. 8. ejusdem tituli denuo instituerunt, ut ele-

(a) *L. 4. lib. 13. C. Theod. tit. 1.*
(b) *L. 6. Cod. Theod. de Medicis, & Professoribus.*

Digitized by Google

electi ad se demum referrentur, quo qui dignior a Principe judicatus esset, Magisterii honore fungeretur. Atque hoc, quemadmodum mihi videtur, ut fronte adversa Juliano obluctarentur, hoc est, ut ab honore docendi vanæ superstitionis sectatores averterent, Christianæ vero veritatis affectas probarent. Itaque Julianus, & Valens cum Valentiniano eadem quidem in Constitutionibus suis præscribunt, sed alia profecto intendunt; ille quidem ut Christianis Paganos præferret, hi autem ut probatione sua Christiani in omnibus anteferrentur. Ex quibus igitur satis evinci potest, quantum scientia religionis Principis faciat ad ejus intelligendas Constitutiones. Sed nec id quidem satis: videamus jam historiæ Ecclesiasticæ necessitatem.

§. IV.

De necessitate Historiæ Ecclesiasticæ.

Quamplurimas esse Constitutiones tam Constantini Magni, quam insequentium deinceps Imperatorum, maxime vero Justiniani ipsius, rem Ecclesiasticam non leviter attingentes, neminem latet. Quare pessime secum ageret legum interpres, qui historiæ, & politiæ Christianæ rudis Principum Constitutiones exponendas temere adgrederetur. Rem ita se habere exemplis probemus. Utar autem inter ceteras tribus potissimum Constitutionibus, quæ uti sunt celebriores, ita sane clarius argumenti nostri veritatem ostendent. Præeat igitur lex sexta de Sacrosanctis Ecclesiis, quæ edita est verbis hisce C. Just.: *Omni innovatione cessante, vetustatem, & Canones pristinos Ecclesiasticos, qui usque nunc tenuerunt, etiam per omnes Illyrici Provincias servari præcipimus, ut si quid dubietatis emerserit, id oporteat (non absque scientia viri Reverendissimi Sacrosanctæ legis Antistitis Ecclesiæ Urbis Constantinopolitanæ, quæ Romæ veteris prærogativa lætatur) Conventui Sacerdotali, Sanctoque judicio reservari. Datum prid. Idus Julii Eustachio, & Agricola Coss. quatrincentesimo vigesimo primo.*

Legem hanc sic commentatus est Accursius: *Hæc lex dicit, quod*

Digitized by Google

quod ceſſante omni innovatione, ſerventur antiqui Canones facti pro Eccleſiis. Sed quid ſi dubietatis emerſerit circa dictos Canones? terminetur conſilio Antiſtitis Conſtantinopolitani omni innovatione ceſſante. Quia forte erat facta innovatio ab aliquo tyranno, qua Canones deſierunt in uſu. Hæc fuit Accurſii interpretatio, quæ ſane quam inepta, atque inſulſa ſit, quidque ſibi velit Conſtitutio, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ope intelligendum. Ut autem ad rem veniamus, aliquà de jure metropolitico ex Sanctis Canonibus delibanda ſunt.

Eccleſia in metropolibus conſtituendis politiam civilem initio imitata eſt, ſcilicet ut illa Urbs eſſet metropolis, quæ in Provincia quoque Imperii Romani primas teneret; quum Reipublicæ Chriſtianæ intereſſet, ibi Metropolitas, & Patriarchas eſſe, ubi Primates gentium., & Archiflamines erant, poteſtatemque judiciariam exercebant. Hinc ſane intelligo, penituſque introſpicio, cur Nicænum primum Patriarchalia, ſive Metropolitica jura confirmans, non aliunde quam de conſuetudine repetat originem: *Antiqua conſuetudo* ait in Canone 6. ubi de hoc agitur. Quæ quum ita ſint, anſas Græci arripuerunt, quibus Theodoſium juniorem, cujus Conſtitutiones retulimus, per inſidias captarent. Nam diviſo in civili regimine Illyrico a Theodoſio ſeniore in binas Provincias, Occidentalem alteram, alteram vero Orientalem, dividendum & bifariam in politia Eccleſiaſtica dixere. Et ſicut antea Illyricum totum, ut Provincia Occidentalis, ſuberat Occidentis Patriarchæ, hoc eſt Romano Epiſcopo, quum in ſtatu civili pareret Præfecto Prætorio Occidentis; ita in poſterum, qua parte ſub poteſtate Præfecti Prætorio Occidentis eſſet, ſpectaret ad Epiſcopum Romanum; qua vero ſubjectum eſſet Præfecto Prætorio Orientis, ſubeſſet Epiſcopo Conſtantinopolitano, ut Primati Orientis. Atque hoc ut ſervaretur antiquus rerum ordo ab uſque ſui origine, ſive ut politia Eccleſiaſtica de more ſequeretur ad unguem politiam civilem. His in ſpeciem ſane probabilibus a Græcis jactatis, Theodoſii animum haud ægre induxerunt, ut Conſtitutionem, de qua differuimus, emitteret, ne quid ſcilicet novi in Eccleſiam Dei contra vetuſtatem inveheretur, ſed ut ex antiquis Canonibus

omnia

Digitized by Google

omnia regerentur, hoc eſt, ut in re Eccleſiaſtica ea Provinciarum foret deſcriptio, quæ cum re civili congrueret. Porro Canones priſtini, quorum Conſtitutio meminit, Concilii Conſtantinopolitani ſunt, a quo ſane datum Epiſcopo Conſtantinopolitano, ut Orientis totius, poſt Romanum Pontificem, eſſet Patriarcha Honorarius. Quum enim Conſtantinopolis altera Roma nuncuparetur, quemadmodum Romanus Epiſcopus Primas erat totius Occidentis; par ita videbatur eſſe, ut ille Conſtantinopolitanus totius Orientis Primas diceretur. Hinc ſi qua controverſia per Orientale Illyricum de rebus Eccleſiaſticis emergeret, ad Reverendiſſimum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, ejuſque Synodum, ſive Conventum Sacerdotalem deferretur, quemadmodum in quæſtionibus Eccleſiaſticis Illyrici Occidentalis conſulendus erat Romanus Pontifex. Sed monere opportunum hic eſt, ſermonem hunc eſſe de Epiſcopo Romano, ut Occidentis Patriarcha, non vero de eodem ut Reipublicæ Chriſtianæ viſibili Capite, cujus nempe Primatus ex ipſo Divino jure profluit.

Sed dolis, inquam, ceperunt Græci Theodoſium Imperatorem. Nam licet Eccleſia in jure metropolitico conſtituendo rem civilem eſſet ſequuta, non erat tamen cur jus metropoliticum, poſtquam ſtatutum fuerat receptumque, cum Provinciarum civilium mutatione, denuo & illud mutaretur, ut ſcripſit Innocentius Primus ad Alexandrum Epiſcopum Antiochiæ. *Nam quod ſiſcitaris* (ait) *utrum diviſis Imperiali judicio Provinciis, ut duo Metropoles fiant, ſic duo Metropolitani Epiſcopi debeant nominari; non ergo viſum eſt ad mobilitatem neceſſitatum mundanarum Dei Eccleſiam commutari; honoreſque aut diviſiones perpeti, quas pro ſuis cauſis faciendas duxerit Imperator. Ergo ſecundum priſtinum Provinciarum morem Metropolitanos Epiſcopos convenit numerari.* Atque hæc ratio fuit, quare Bonifacius II. ubi primum Theodoſii Conſtitutionem audivit, acriter ſane apud eum queſtus fuerit, quum per eam non parum Patriarchatus Romanus minueretur, abſciſſo nempe Illyrico Orientali. Quapropter eam Theodoſius revocavit nova Conſtitutione; quam quidem inventam ab Holſtenio, & uti veram habitam a Marca, Balutius tranſcripſit in notis

ad

Digitized by Google

ad eumdem Marcam ad lib.IV. cap.2. *de concordia Sacerdotii & Imperii*.

At enim abrogata ab ipso conditore lege hac, nulla quidem fuberat ratio, cur eadem Codici Justinianæo adjiceretur. Sed dandum id esse Triboniani insciti vulgo putant, qui leges plures una cum hac lege, quamvis antiquatas, vel usu desitas, Codici tamen temere inseruit. Verum quum mihi id non arrideat, alia profecto suppetit causa ex temporis illius historia accersita. Erat tunc Episcopus Constantinopolitanus Epiphanius pro quo constitutio isthæc per lata fuit, deque ejus moribus hæc scripsit Stephanus Lariss Episcopus Epist. 24. *Unum studium habet, ut in Sanctis Thessaliæ Provinciis Ecclesiis dominus, atque judex esse videatur*. Et denuo: *Putat de Sacrarum Ecclesiarum Regiæ Urbis jure aliquid minui, quod ego Apostolicam Sedem vestram visus sum nominasse*. Quibus ex verbis doctissimus Lupus (a) putat, eam Constitutionem, licet Theodosius abrogasset, fuisse tamen a perfidis Græcis more & consuetudine retentam, vel saltem spem eos firmam fovisse, fore ut aliquando restitueretur. Quare si Justinianus eam retulit in Codice, id ea mente effecit, ut Episcopus Constantinopolitanus statim ac haberet temporis opportunitatem, posset hac de re denuo jus suum in judicio persequi. Hæc sunt quæ de hac lege ex historiæ Ecclesiasticæ penu deprompta dicenda putavi. Videat hinc lector, quanti rerum Ecclesiasticarum notitia conferat ad plane intelligendas Imperiales Constitutiones.

Sed accedamus modo ad Constantii Constitutionem, quæ scripta ad Leontium his verbis est: *Ecclesiæ Urbis Romæ Clericis concessa privilegia firmiter præcipimus custodiri. Datum Kalend. Novembris Constantio Aug. IX. & Julian. Cæsari II. Coss.* (b). Per hæc verba jubet Constantius firmitatem habere privilegia Clericis Ecclesiæ Romanæ concessa; idque confirmat etiam illa ejusdem tit. lex 14. ad Felicem Episc. missa, & lecta apud Acta anno trecentesimo quinquagesimo septimo. Nihil hic moror Accursianorum ineptias, quibus ambæ Con-

T stan-

(a) *Tom. III. cap. 8. in notis ad Nican. 2.*
(b) *L. 13. Cod. Theod. de Epis.*

Digitized by Google

ſtantii leges viſæ fuerunt ad Chriſtianam pietatem facere; propterea quod per eas ſarta tecta privilegia Clericis Romanæ Eccleſiæ indulta ſervantur. Aliud ſane voluit, intenditque Conſtantius; idque nonniſi ex hiſtoria Eccleſiaſtica eruendum. Liberius Pontifex, Arianorum perſequutione furente, Conſtantii juſſu in exilium eſt miſſus Arbitione, & Lolliano Conſulibus, hoc eſt, anno trecenteſimo quinquageſimo quinto, quo ſcilicet tempore Leontius, ad quem Conſtitutio hæc miſſa fuit, Præfecturam Urbis gerebat. Biennio jam exacto Liberium fuiſſe ſedi ſuæ reſtitutum, unanimi conſenſione tradunt hiſtorici Eccleſiaſtici, hoc eſt, poſt Concilium Syrmienſe, quod in annum trecenteſimum quinquageſimum octavum incidit. Igitur tempore hujus legis 14. & inſequenti anno trecenteſimo quinquageſimo ſeptimo, Apoſtolicam Sedem tenebat Felix, qui licet mente, & opinione Arianus non eſſet, cum Arianis tamen communicabat, a quibus electus fuerat. Jam vero hoc tempore in Eccleſia Romana, quamvis omnia turbatiſſime agerentur, atque error Arianus quaquaverſus debaccharetur, tamen non pauci inventi ſunt, qui ſtrenue Felici obſiſterent, & Liberio conſentirent. Quoniam autem palam ab his jactabatur, immunitates, aliaque privilegia Clericis indulta abneganda iis eſſe, qui cum Felice communicabant, hæc ſane ad Catholicos unos pertinebant, ut adverſus Donatiſtas, alioſque hæreticos Conſtantinus M. aliique Imperatores expreſſis verbis ſæpe ſignificaverant. Hinc Conſtantius, quum eſſet ipſe etiam Arianiſmo infectus, lege illa Clericos Arianos munivit, imperando ut & hi immunitatibus Catholicis datis perfruerentur. Sed ne in Deceſſorum ſtatuta offendere videretur; ideo profecto vagis, generalibuſque verbis uſus, conſtituit, *ut firma eſſent privilegia conceſſa Clericis Romanæ Eccleſiæ*, quæ tunc temporis a Felice regebatur; nempe ut ſub iſta univerſalitate verborum Clericos omnes Romanæ Eccleſiæ, vel etiam Arianos complecteretur. Igitur hæc lex, quæ prima fronte videtur fovere pietatem, intus ſane, & revera ex Principis religione iniquiſſima eſt, utpote Arianiſmo indulgens, ejuſque ſectatoribus; quo Arianos ſubdolus Princeps magis ſibi alliceret, atque ii Felicem ſuum

ad-

Digitized by Google

adverſus Liberium ſtudioſius tutarentur. Ex his, quæ hactenus edifferuimus, clariſſime perſpicitur, quanti facienda ſit Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, Religionis Principis, atque ætatis legum conditarum cognitio, ut ad veram, & non fucatam pervenia tur juriſprudentiam.

§. ULTIMUS.

De cognitione veteris Romanorum Religionis, ad juris civilis intelligentiam.

IN præfatione libri hujus inter ſubſidia ad plane intelligendum antiquum Romanorum jus, enumeravimus etiam cognitionem veteris Romanorum Religionis; proptereaquod ſine ea plurimarum rerum intelligentia comparari certe non poteſt. Nam etſi Conſtantinus primo, ac deinceps ceteri Chriſtiani Principes in condendo novo jure hanc potiſſimum navarunt operam, ut paganam ſuperſtitionem funditus labefactarent; attamen per totum qua late patebat jus, incuria præſertim Triboniani, ubique diſperſas ſententias videre eſt, quæ futilem illam Paganorum ſuperſtitionem adhuc ſapiunt. Itaque ut ad rem veniamus, ante omnia id curabo, ut cauſſas juris civilis, quod in rebus humanis verſatur, & res divinas complecteretur, patefaciam; deinde vero alias percurremus leges, quas ſine veteris religionis luminibus haud intelligi poſſe videbimus.

Ex Ulpiano juriſprudentia definitur (*a*) *divinarum, atque humanarum rerum notitia, juſti atque injuſti ſcientia.* Quam juris definitionem ſic enucleatius expreſſerunt Baſilici: *Scire res ſacras, & profanas, & in his licitum, atque illicitum.* Quum enim cognitio rerum tam divinarum, quam humanarum, ſive earum naturæ, conſequentiarumque, ſecundum veteres Stoicos ad philoſophiam pertineret, & juris ſcientia nihil aliud eſſet, quam philoſophia ipſa Romanorum Juriſconſultorum, qui maximam partem Stoici profecto erant; hac de

(a) *L. 10. p. 2. de juſti. & ju.*

Digitized by Google

cauſſa in definienda juriſprudentia, res divinas humanaſque arcto fœdere conjunxere. Itaque de religione, ejuſque ſacris, ac ſolemnibus Juriſperiti erat reſpondere. Atque hæc ratio eſt, cur uno ore commendentur apud veteres illi Juriſconſulti, qui divina, humanaque callebant. De Scævola ſic ſcripſit Valerius Maximus (*a*): *Cum bene ac diu jura civium, & cæremonias Deorum ordinaſſet.* Et Tacitus (*b*) de Atejo: *Ateii Capitonis inſignior infamia fuit, quod humani divinique juris ſciens, egregium publicum, & bonas domi artes deboneſtaviſſet.*

Hæc autem longiori ſermone non indigent. Norunt enim omnes, quanta cura ſtudioque utramque ſcientiam addidicerint, quamque diligenter in reſponſis ſuis diſſeminaverint Juriſconſulti Romani. Verum quia res, quas hoc in opere ſuſcepi pertractandas, ab origine ſua repetere, atque undequaque rimari in animum induxi; hinc paulo altius de hoc differere liceat. Sane quidem quum ſatis Romulus intelligeret, quantam vim religio haberet, ut in officio cives continerentur, imperavit, ut quæ religionem, reſque divinas ſpectarent, Patriciis paterent; quibus unis civile regimen concrediderat. Quumque jus civile nonniſi Patricii poſſent profiteri; factum hinc eſt ut totum juris corpus divinis rebus inſperſum fuerit, non ſecus ac humanis. Itaque quum penes ſolos Patricios auſpicia, aliaque id genus eſſent, commodum eiſdem erat, quando vellent cum Populo agere, comitia intervertere, aliaque vel ſinere, vel impedire, prout e re ſua ſibi videretur; quoniam ex ejuſdem Romuli inſtituto res nulla fieri poſſet, niſi auſpicato fieret. Ex his omnibus rationes tibi proditæ ſunt, cur jus civile rebus ad religionem ſpectantibus refertiſſimum ſit. Quamvis autem Chriſtiani Principes paganam philoſophiam ex omnium animis eradicare, adeoque jus civile vanis illis, ſuperſtitioſiſque figmentis emendare, tergere, ac purgare conati fuerint: quia tamen nimis iſtiuſmodi piis in ſpeciem technis implicatum undique erat, fieri nulla ratione potuit, ut quædam ſuperſtitionis veſtigia com-

(*a*) *Lib.* 8. *cap.* 8.
(b) *Lib.* 3. *cap.* 70.

Digitized by Google

compilatorum induſtriam effugerent.

Appoſite Modeſtinus inter alios exemplum luculentum affert (*a*). Mævia decedens ſervis ſuis nomine Sacco, & Eutychiæ, & Hirenæ ſub conditione libertatem reliquit his verbis: *Saccus ſervus meus & Eutychia, & Hirenæ ancillæ meæ omnes ſub hac conditione liberi ſunto, ut monumento meo alternis menſibus lucernam accendant, & ſolemnia mortis peragant. Quæro quum aſſiduo monumento Mævia, Saccus, & Eutychia, & Hirene non adſint, an liberi eſſe poſſunt? Modeſtinus reſpondit, neque contextum verborum totius ſcripturæ, neque mentem teſtatricis eam eſſe, ut libertas ſub conditione pœnæ ſuſpenſa ſit, cum liberos eos monumento adeſſe voluit: officio tamen judicis eos eſſe compellendos teſtatricis juſſioni parere: Hæc Juriſconſultus.*

Quam perperam lex hæc, quæ paganam ſuperſtitionem omnino ſapit, a Triboniano in corpus juris conjecta fuerit, ex dicendis patet. Propoſitum ei erat ſpeciem referre conditionis legato adjectæ, quæ quamvis ſub verborum cortice videretur eſſe conditio, revera tamen ex mente teſtatoris modus eſſet. Saue inter modum, ac conditionem latum diſcrimen vertitur; quippe conditio adjecta legato id facit, ut illud adquiri non poſſit, niſi conditione impleta: ſecus vero eſt in modo; nam modus impoſitus minime obſtat, quin eo potiamur, onus tamen ſubeuntes defuncti voluntati parendi. Sæpe vero ex mente teſtatoris conditio præfert modum, & contra modus conditionem, quod ex conjecturis, vel ex ſcriptura, vel ex mente teſtatoris, vel demum ex natura ipſius rei legatæ depromptis, ſolerter inquirendum eſt. Sed quod mirari licet, cur Tribonianus ad hanc ſpeciem adſtruendam eo Modeſtini exemplo uſus eſt, quod undique pagana ſuperſtitione ſcatet? Non ne ſexcenta ei poterant exempla occurrere, præter illud ab ethnicis cæremoniis arceſſitum? Verum tantum abeſt ut exemplum hoc quæſtionis ſtatum attingat, ut valde turbet, ſubvertatque. Etenim in veteri quoque jure improbæ conditiones rejiciebantur a legato, hærediſque inſtitutione, ac potiſſimum a libertate, cui favor ſummus erat penes Romama-

(a) *L.* 44. *D. de manumiſſis teſtam.*

Digitized by Google

manos. Quæ autem conditio magis improba ſub Chriſtianis Principibus, quam ea, quæ vel minimum quid ex pagana religione oleret? Tale igitur eſt exemplum a Triboniano proditum, ut non ſolum rem non adſtruat, ſed evertat potius; quum conditio hæc etiamſi eo nomine nuncupari fas ſit, uti improba in Religione Chriſtiana omnino rejiciatur. Vide igitur quam abſurde ex Modeſtino exemplum illud in jus novum conjectum fuerit, quod a lege ipſa reprobatur damnaturque ſub Principibus Chriſtianis.

Sed quum lex paganas cæremonias, ac jura Manium meminerit, aliqua de his delibare haud ſupervacaneum erit, ſaltem ea, quæ ad facilirorem ejus rei intelligentiam pertinent.

Vulgatiſſimum eſt, quot ritibus, cæremoniiſque ſtulta gentilitas rem funebrem celebraret, quantaque religione Manes inferias faciendo veneraretur; maxime vero religioſum cenſebatur in ſepulchris monumentiſque lumina ardentia apponere. Immo a funibus accenſis dictum funus, tam veteres, quam recentiores quidam arbitrantur. Arbiter in Satyrico de matrona Æpheſina hæc ſcripſit: *Adſidebat ægre fidiſſima ancilla, ſimulque & lacrymas commodabat lugenti, & quoties defecerat in monumento lumen renovabat.* Et Dio in larvali illo convivio Domitiani: *Primum omnium juxta unumquemque columnam collocat, factam inſtar ſepulchri, in qua nomen ejus erat ſcriptum, pendebatque de ea lychnuchus parvus, ut aſsolet in monumentis.* Mos hic accendendi lucernam in monumentis, ex Ægypto forte Romam commigravit. Herodotus enim ſic *lib.* 2. de filia Micerini Regis: *Cui ſingulis diebus omnifarii odores inferuntur, noctibus perpetuo incenſa lucerna aſtat.* Similis prope res refertur in lege *Titio centum* 71. §. 2. *de conditionib. & demonſtrat.*, in qua hæc habentur: *Titio centum relicta ſunto; ita ut a monumento meo non recedat.* Ex hoc autem paganorum more, accendendi nempe lumina in ſepulchris, commoda mihi paratur occaſio explicandi Concilium Illiberitanum, quod tamdiu doctorum torſit ingenia; ſic enim habemus in Can. 34. *Cereos per diem placuit in cæmeteriis non incendi; inquietandi enim non ſunt Sanctorum Spiritus. Qui hæc non obſervaverint, arceantur ab Eccleſia.* Non igitur prohibet Concilium cereos accendi,

Digitized by Google

cendi, nisi in cæmeteriis. Non ne dicendum propterea id vetitum, ut eradicaretur illa paganorum superstitio accendendi lumina in monumentis in manium honorem? Et quamvis Christiani non ex hac stulta gentilium opinione morem hunc retinerent, quem plerique antiquorum ad Christianum usum bona mente traduxissent, sed ad meritum nostrorum martyrum: ne tamen gentiles crederent a Christianis adhuc religionis suæ dogmata servari, jure merito id a sanctis illis Patribus vetitum.

Vidimus jam quid sibi velint in lege nostra lucernæ accensæ in veteribus monumentis: reliquum est ut illa explicemus, quæ attinent ad præceptum testatoris, nempe, *ut liberti quolibet anno mortis ejus solemnia peragerent*. Plures profecto sunt, qui rem funebrem Romanorum, ejusque ritus omnes accuratissime pertractarunt; neque enim aliud est inter Romanas antiquitates, quod æque cum feralibus illis cæremoniis comparari possit. Quapropter prætermissis rebus aliis, quæ propiora ad legem nostram interpretandam sunt, attingamus. Parentabant veteres sacrificiis, quæ inferiæ appellabantur, Manibus peragendo. Inferias scripsit Festus, sacrificia esse, quæ Diis manibus inferuntur. Sed inferiæ istiusmodi non sacrificia tantum amplectebantur, sed & luctum, & epulas. Itaque sacrificiis Manes placabant: luctu utebantur ad memoriam defuncti colendam: epulæ vero tam defunctorum, quam viventium causa celebrabantur.

Conficiebantur hæc sacrificia liquoribus, non modo victimis. Liquores erant aqua, lac, vinum, & sanguis. Hinc profecto mensæ, aræque passim in sepulchris erectæ; putabant enim Romani hisce liquorum speciebus animas defunctorum oblectari. Sic Servius in Æneid. versus illos:

Inferimus tepido spumantia cymbia lacte
Sanguinis, & sacri pateras.

Interpretatur: *Ideo lactis, & sanguinis mentio facta est, quia affirmantur animæ lacte, & sanguine delectari.* Ejusque rei rationem vestigans subdidit: *Bene animam lacte, & sanguine dicit elicitam ad tumulum. Lacte namque nutritur corpus post animæ conjunctionem, & anima sine sanguine nusquam est, quo effuso recedit.*

Adde

Digitized by Google

Adde quod crederent ſanguine etiam manes propitiari. Sane mos apud veteres erat occidendi prope rogos, ubi cremabantur cadavera, hoſtes, deinde ſervos, demum vero, poſtquam humaniores facti ſunt, pecudes illis ſubrogatas. Ex quo ratio certe innoteſcit, cur ludi gladiatorii penes Romanos in re funebri ederentur; quod profecto ſignificavit Apulejus ſcribens lib. 8. *At ego ſepulchrum mei Leopolemi tuo luminum cruore libabo, & ſanctis manibus ejus iſtis oculis parentabo*. Erant præterea & epulæ, quæ in re funebri agitabantur, fiebantque ex fabis, apiis, lactucis, panibus, ovis, lentibus, atque etiam carnibus, pulticuliſque, ſale tamen adſperſis. Ex quibus lucem accipit illud Arnobii lib. 7. adverſus Gentes. *Nam pulticula, thura cum carnibus rapacium alimenta ſunt ignium, & parentalibus conjunctiſſima mortuorum*. Sed iſtiuſmodi epulæ vel publicæ erant, vel privatæ; atque hæ quidem vivorum, illæ vero defunctorum gratia fiebant, atque appellabantur *ſilicernia*. Nihil autem ex his accipi poterat, aut deguſtari, ſed imminuta omnia offerenda erant cum ſilentio Diis manibus; rebatur enim ſtulta gentilitas, defunctorum animas ab inferis excitatas aliquando cibo veſci, & delectari. Quapropter apud Romanos vulgaris illa dira imprecatio, *cœnam e rogo rapere*, qua ſane inimico tantum rei domeſticæ inopiam imprecabantur, ut ad deguſtandas mortuorum cœnas impellererur.

Epulæ privatæ erant, quæ vivorum gratia parabantur, nempe cauſſa defuncti familiæ, conjunctorumque ejus ſive amicitia, ſive ſanguine. Verum non uno tantum die iſtiuſmodi epulæ dabantur, ſed eaſdem repetebant tertio, ſeptimo, & nono die, quod novendiale dicebatur: aliquando etiam iterabant vigeſimo, trigeſimo, & quatrageſimo non ſine maxima ſuperſtitione. Sed quia in novendiale epulum incidit ſermo, notandum non dictum novendiale, quia novem diebus continuis defunctis juſta perſolverentur, ſed quod nono die finem luctus ille haberet, & familia certo februi genere funebri polluta purgaretur; quod ſacrificium *Exverræ* appellabatur, quemadmodum Faſtus ait: *Exverræ ſunt purgatio domus, ex qua mortuus ad ſepulturam efferebatur*. Hæc ſunt illa mortis ſolemnia in lege noſtra commemorata.

Ve-

Digitized by Google

Verum quum hæc ſolemnia publice quoque quolibet anno pro omnibus defunctis menſe Februario fieri cœpiſſent, potentiores morem hunc probantes, & ſibi maxime iſtiuſmodi inferias annuas dari voluere. Quin plebei etiam Patriciorum, ditiſſimorumque exemplum ſequuti, in idem frequentes conſpirarunt, & quolibet menſe, nedum ſingulis annis, feralia iſthæc ſacra ſibi fieri præcipiebant: quarum ſane gratia bona quædam legabant, quorum ex fructibus juſta hæc iterarentur, ut patet luculentiſſime ex lege *Annua* 20. D. de annuis legatis in §. 1. in hæc verba: *Attia fideicommiſſum his verbis reliquit: Quiſquis mihi heres erit, fidei ejus committo, uti det ex reditu cænaculi mei, & horrei poſt obitum, Sacerdoti, & hierophylaci, & libertis, qui in illo templo erunt, denaria decem die nundinarum; quas ibi poſui.* Quæ verba ſic interpretatur doctiſſimus Gothofredus: *Nundinæ hic denicales ſunt feriæ, & novendialia.* Sed ad rem profecto ſunt quamplurimæ inſcriptiones, quas collegit vir Doctiſſimus Gutherus de jure manium, quarum en tibi unam, & quidem appoſitiſſimam ad legem noſtram illuſtrandam:

L. IVLIO SECVNDO
VTRICLARIO · COR
C. I. P. A. QVI · LEGAVIT
EIS. TESTAMENTO
SVO · ASS · CC · VT · EX · VSVR. EOR
OMNIBVS · ANNIS · SACRIFIC
IO · EI · PARENTETVR (a).

Ex quibus omnibus uſque adhuc dictis, atque ab origine ſua repetitis, habes, lector humaniſſime, Conſtitutionis noſtræ ſententiam, quæ ſane non niſi ex ſuperſtitioſis veterum Romanorum illuſtratis juſtis patere poterat.

Sed quum ſupra Novendiale ſacrificium meminerim, poſt ſcilicet novem luctus dies, quorum poſtremo completis ad tumulum ſolemnibus, funeri finis fieret, familiaque luctu polluta purgaretur: proditur hinc ratio, cur intra has ferias, quæ veteribus dictæ *denicales* a nece nempe, miles a ſacra-

(a) *Lib. 2. cap. 12.*

Digitized by Google

mento militari excuſaretur ſi abeſſet, reo ſi deſereret vadimonium, neque cautionibus judicio ſiſti obtemperaſſet, indulgeretur. Erant quippe atri iſtiuſmodi dies, quibus adeo cenſebatur polluta familia, ut nil poſſet auſpicato fieri; quare ſic ait Columella (*a*): *Nos apud Pontifices legimus, feriis tantum denicalibus mulos jungere non licere, ceteris licere*. Itaque quum Juſtinianus Novella ſua 115. cap. 1. ſanxerit ne heres conveniretur a creditoribus intra novem dies a morte defuncti; non ne dixeris eum rem Romanorum funerariam, familiæque luſtrationem, quæ impedimento erat, ut dixi, ne quid auſpicato fieri poſſet, reſpexiſſe? Non diffiteor, fas eſſe per aliquot dies luctum peragere; neque ſuperſtitioſum eſſe, ſi aliquandiu negotia protraherentur, modo a familiæ luſtratione, aliiſque id genus ſacrificiis diſceſſeris: ſed intra novem dies nec plus minus, parentalia includi, omniaque negotia interim tantum vetari, hoc profecto eſt, quod paganam ſuperſtitionem aliquo modo ſapit. Vide quæſo quid de hoc ſcripſerit Auguſtinus (*b*). *Neſcio*, inquit, *utrum inveniatur alicui Sanctorum in Scripturis celebratum eſſe luctum novem dies, quod apud Latinos Novendiale appellatur. Unde mihi videntur ab hac conſuetudine prohibendi, ſi qui Chriſtianorum iſtum in mortuis ſuis numerum ſervant, qui magis eſt in gentilium conſuetudine*. Qua de re laudandus minime eſt Tribonianus, qui concinnando ſub Chriſtianis Principibus juris corpore, reliquias paganæ ſuperſtitionis ſervatas voluit.

Verum ſi hucuſque dicta cum aliis comparabimus, quæ apertam ſuperſtitionem præferunt, eo magis videtur Tribonianus culpandus. Rem age perſequamur. In lege 9. D. de rerum diviſione, ex Ulpiano hæc refert: *Sacra loca ea ſunt, quæ publice dedicata ſunt, ſive in agro, ſive in Civitate ſint. Sciendum eſt locum publicum tunc ſacrum fieri poſſe, cum Princeps eum dedicavit, vel dedicandi dedit poteſtatem. Illud notandum eſt, aliud eſſe ſacrum locum, aliud ſacrarium. Sacer locus eſt locus conſecratus: Sacrarium eſt locus, in quo ſacra repo-*

nun-

(a) *Lib.* 11. *cap.* 22.
(b) *Queſt.* 172. *ad Geneſ.*

Digitized by Google

nuntur: quod & in ædificio privato esse potest: & solent, qui liberare eum locum religione volunt, sacra inde evocare. Quot sane verba sunt, tot fere stultæ superstitionis vestigia, quæ cum Christianorum moribus atque institutis minime erant copulanda. Sed quod magis mirandum, id est, quod de exauguratione sacrorum locorum refert ex more priscorum gentilium. Et quidem solemne veteribus id fuit, si forte sacellum aliquod, fanumque exaugurare, sive religione solvere voluissent, Deos inde evocare, quod intellexit Festus quum scripsit (a). *Quæ cum ex veteribus in novas evocarentur, septem Curiarum per Religiones evocari non potuerunt.* Et Livius (b): *Nam cum omnium sacellorum exauguratione admitterent aves in termini fano non addixere.* Qua de re vide ex his, quæ sit exauguratio, sive sacrorum evocatio. Quæ autem perversitas tanta sub Justiniano Imperatore, ut referret exaugurationis ritum., qui in paganorum more erat, quum ea potius referri debuissent, quæ Sacri Canones pro Christiana veritate invexerant?

Sed porro pergamus. Celeberrima est lex *Sed si vir* 31. D. de donationibus inter virum, & uxorem, ubi legimus in §. 8. & 9. *Si vir uxori munus immodicum Kalendis Martiis, aut natali die dedisset, donatio est: sed si impensas, quas faceret mulier, quo honestior se haberet, contra est. Non videtur locupletior facta esse mulier, si aut in opsoniis, aut in unguentis, aut in cibariis familiæ donatam sibi pecuniam impenderit.* Omni procul dubio lex hæc latet in obscuro, nisi lucem a veteribus Romanorum moribus ad eam illustrandam arcessemus. Itaque videamus brevi, quinam fuerit *dies natalis*, quæque *matronalia*, quæ Kalendis Martii agebantur. Mos Romanis fuit, ut quotannis natalem suum celebrarent, de quo hæc Div. Augustinus (c): *Considerato quæso, quando aliquis homo potens, aut nobilis natalem suum, aut filii sui celebrare desiderat, quanto studio ante plures dies quidquid in domo sua sordium inve-*

(a) *Lib.* 11.
(b) *Lib.* 1.
(c) *De tempore serm.* 1.

Digitized by Google

nerit, ordinat emundari, quidquid ineptum, & incongruum projici, quid utile, & neceſsarium præcipit exhiberi. Domus etiam ſi obſcura fuerit dealbatur, pavimenta ſcopis mundantur, & diverſis reſperſa floribus adornantur, quidquid etiam ad lætitiæ animi, & corporis delicias pertinet, omni ſollicitudine providetur.

Solebant autem diebus his natalibus cognati viciſſim, & amici munera dare, & accipere. Ecce tibi Martialem ita ſcribentem (*a*):

Natali tibi, Quinte, tuo dare parva volebam
Munera: tu prohibes; imperioſus homo es.

Inter ea imprimis mittebantur aves (*b*), annuli, lunulæ, aliaque hujus generis ad mundum muliebrem pertinentia. Præterea erat dies *Nominum* a die natali diverſus, eratque in puellis ab ortu ſuo octavus, in pueris nonus; puella enim & puer luſtrabantur, unde dies luſtrici, ac nomina imponebantur. Qua de re ſic Feſtus ſcripſit: *Luſtrici dies infantium appellantur, puellorum octavus, puerorum nonus, quia his luſtrantur, atque eis nomina imponuntur.* Sed fiebat hæc luſtratio, impoſitioque nominis variis adhibitis ſolemnitatibus. Expiatum enim infantem, & adverſus faſcinum probe præmunitum eximebant cunis, & per ædes ditiſſimorum Civium, & per Deorum, Dearumque templa, cum boni ominis cauſſa, tum religionis ergo circumferebant: deinde vero indebatur nomen, atque ad convivium propinqui adhibebantur. Denique intra triceſimum a nativitate diem profeſſio natalitia ad Acta fiebat: donaque, & munera infanti, ejuſque matri mittebantur.

Habes ex hucuſque dictis diei natalis ſolemnia, ejuſque diſcrimen a die nominum. Verum quia in hac tractatione, quidquid afferitur legibus comprobare mihi conſtitui, ne incepto deſim, rem, qua de agimus, jure Romano confirmare conſilium eſt. Quærens Paulus in l. *cum plures* D. de adminiſtratione Tutorum, qua ratione tutor ſe gerere debeat in adminiſtrandis

(a) *Epigram. 9. ver.* 54.
(b) *Idem Epigr. 9. ver.* 56.

Digitized by Google

dis rebus pupilli, hæc ait §. 3. *Cum tutor non rebus dumtaxat, ſed & moribus pupilli præponatur, in primis mercedes præceptoribus, non quas minimas poterit, ſed pro facultate patrimonii, pro dignitate natalium conſtituet . . . ſolemnia munera parentibus, cognatiſque mittet*. Quæ autem ſint hæc ſolemnia munera certe veteris ſcholæ interpretes ignorarunt, ſed ex dictis humaniſſime lector tute intelligis. Itaque ſunt munuſcula illa, quæ invicem cognati natali die ſibi miſſitabant, quæque ex more recepto adeo invaluerant, ut neceſſario mittenda eſſent etiam a Tutoribus, quibus alioquin res pupilli diſtrahere minime fas eſt. Sed non minus præclara eſt lex *cum quidam* 23. D. de annuis legatis. *Cum quidam Decurionibus diviſiones dari voluiſſet die natalis ſui, Divi Severus, & Antoninus reſcripſerunt, non eſſe veriſimile teſtatorem de uno anno ſentiſſe, ſed de perpetuo legato*. Qua ex lege patet, quoſdam adeo perpetuitatem nominis ſui peroptaſſe, ut, ne memoria eorum periret, præceperint etiam poſt mortem diem natalem celebrari, ad hoc muneribus conſtitutis, quæ mos erat elargiri diebus natalibus. Itaque nomen *diviſiones* in lege hac idem valet, ac diſtributiones, ſive natalitiæ largitiones.

Inſpecto jam more de natali die celebrando, reliquum eſt, ut de *matronalibus*, ad legis ſuperioris intelligentiam, pauca dicamus. Erant matronalia feſta illa, quæ matronarum gratia Kalendis Martiis agebantur a viris, qui Junoni pro conſervatione conjugii ſupplicabant, deque collatis beneficiis gratias referebant; ſicuti & mulieres idem pro viris faciebant diebus *ſaturnalibus*. Tunc igitur temporis mos item erat munera dare viciſſim, atque accipere; quare Tertullianus inquit (a): *Januariæ, & brumæ & matronales frequentantur, munera commeant, ſtrenæ conſonant, luſus, convivia conſtrepunt*. Et Martialis (a):

Scis certe, puto, veſtra jam venire
Saturnalia, Martias Kalendas:
Tunc reddam tibi, Galla, quod dediſti.

Quum

(a) *De idolatria.*
(b) *Lib. 5. Epigr. CX.*

Digitized by Google

Quum igitur vulgo diebus his mutuo munuſcula dari ſolerent, dubitandi cauſſa emerſit, utrum viri donatio uxori facta, quæ ſolitas, ſtataſque horum dierum largitiones exceſſerit, inter ſolemnia munuſcula haberi debeat: an vero ea ſit, quæ a legibus virum inter, & uxorem vetatur. Et Juriſconſultus ait donationem eſſe prætextu muneris ſimulatam, ut legi fraus fieret. Sed in hac ſpecie ex his, quæ diſſeruimus vide, quam male ſe geſſerit Tribonianus. Agebatur hic de fucatis munuſculis, quibus legi fraus fieret. Non ne ſexcenta alia ei præſto erant exempla, quibus id poterat illuſtrare? Quid ergo reſponſum opus fuit a Pomponio de vetuſta paganorum religione petitum, nempe de feſto matronalium, quod in Junonis honorem agebatur, uſurpare?

In titulo *de bonis eorum, qui ante ſententiam mortem ſibi conſciverunt*, quærit Papinianus, an, & quando bona eorum, qui mortem ſibi ipſis inferunt, Fiſco addicenda ſint. Atque hac præmiſſa diſtinctione, metu ne pœnæ ob ſceleris conſcientiam, an vero vitæ tædio quis ſibi mortem conſciverit, ſic quæſtionem tranſigit: Si metu pœnæ ſibi manus violentas intulerit, Fiſco eſſe bona ejus adjudicanda; aliter vero, nempe ſi tantum vitæ tædio, atque (a) adjecta hac ratione: *Qui rei criminis non poſtulati manus ſibi intulerint, bona eorum Fiſco non vindicentur: non enim fati ſceleritatem eſſe obnoxiam, ſed conſcientiæ metum in reo veluti confeſſo teneri placuit*. Porro autem cur bona eorum, qui præter crimen mortem ſibi inferebant, publicanda non eſſent, ratio eſt, quia apud Romanos ex Stoicorum omnium ſententia hæc fas erat. Ecquis eſt, qui æque ferat Tribonianum ſententiam hanc Papiniani in compilationem ſuam conjicientem? Par ne fuit ſub Principibus Chriſtianis abſurdum gentilium Philoſophorum dogma juris corpori inſerere? Deus quippe, qui nobis vitam dedit, ipſe ejuſdem moderator & arbiter eſt. Itaque ſatis non fuit Triboniano ritus paganorum quaquaverſus in corpore juris diſſeminare, quin & dogmata adlibuerit eorumdem adferre. Quam igitur neceſſe eſt, ad

(a) *L. 3. §. Papinian.*

Digitized by Google

ad abſolutam juris Juſtinianæi intelligentiam, hiſtoriam veteris Romanorum religionis internoſcere, quum Tribonianus non ſolum ritus, ſed etiam dogmata illorum in novum jus conjecerit? Opus ſane præclarum aggrederetur, qui leges omnes e paganis ritibus perperam a Triboniano depromptas colligeret in unum, eaſque explicaret, ut jus novum ita a veteribus ſuperſtitionibus emendaret.

In lege *Aut facta* D. de pœnis idem Tribonianus hæc refert §. 8. de cæde imprudenti: *Eventus ſpectatur, ut a dementiſſimo quoque facta: quamquam non minus lex eum, qui occidendi hominis cauſa cum telo fuerit, quam eum qui occiderit, puniat: & ideo apud Græcos exilio voluntario fortuiti caſus luebantur, ut apud præcipuum Poetarum ſcriptum eſt.* Iſtiuſmodi expiandi cædes etiam imprudentes frequentiſſimus fuit penes Græcos, ac Romanos uſus, quum crederent manes numquam quieſcere, niſi occiſor ſacro aliquo eos placaſſet; de quo vide Gutherum de jure manium, & Kirchman de funeribus Romanorum. Quare minus recte ſententia hæc relata eſt ab Triboniano in jus novum, quod depurgatum omni a ſuperſtitione eſſe debebat. Fateor profecto quædam Concilia cædem etiam inopinatam pœna Canonica affeciſſe, ut Illiberitanum Can. 5. Epaonenſe Can. 34. Baſil. Can. 57. Can. Apoſt. 66. Attamen hæc omnia ſine ulla ſuperſtitione, ſed ad homicidii tantum horrorem incutiendum, nempe ut fideles adverterent, quam grave id criminis ſit, ſi imprudens adhuc canonica pœna mulctaretur. Ex quibus omnibus uſque adhuc dictis pernoſſe licet, plures illas leges ſine notitia Religionis veterum Romanorum, intelligi ulla ratione non poſſe.

Atque hæc ſunt, quæ ad perfectam juris ſcientiam dicenda putavi, probationibus plerumque ex ipſis legum fontibus deſumptis. Operæ nunc pretium facturum puto, ſi ad ſuſceptæ diſputationis partem alteram accedam, quæ tota profecto in Romana juriſprudentia ſub Cæſare Auguſto Imperatore illuſtranda ſeorſim impenditur. Quum enim alia ſit Reſpublica Democratica, ac Monarchica, ac proinde leges aliæ alii formæ accomodentur; neceſſe fuit ut & juriſprudentia Auguſtalis longe ab illa, quæ ante vigebat, diſtaret. Quo diſcrimine

Digitized by Google

ne posito, par æquumque est, ut postquam generatim de Romana jurisprudentia loquuti sumus, juris nunc illius species, postquam scilicet libertas extincta est, peculiari ratione inspiciantur.

Finis libri Primi.


Digitized by Google

JOSEPHI TOSCANO MANDATORIZZO

De Romana Jurisprudentia sub Cæsare Octaviano Augusto

LIBER II.

PROLEGOMENON.



Quod plerumque iis, qui Terrarum Orbem peragrant, & mihi rerum historiam ab ineunte ætate perlegenti contigisse fateor. Illi quidem huc atque illuc properantes, quum oculos insatiabili cupiditate affatim pascere festinent, nihil distincte cernunt, nihil distribute dijudicant, nihil pro dignitate admirantur: ubi vero, signo veluti receptui dato, se ex longo illo, vagoque itinere, aliquo, ut quieti tandem consulant, receperint; tunc sane tamquam in tranquillo portu consistentes se colligunt, omniaque quæ antea raptim, confuseque conspexerant, in memoriam revocantes, articulatim dividunt; missisque ceteris, ut memoratu indignis, magnifica quæque, atque admirabilia prædicant, extolluntque. Haud profecto secus me olim in veterum monumentis evolvendis gessisse memini: in rerum enim publicarum fatis, in Imperiorum mutationibus, virorumque illustrium fortuna nihil aliud, quam mentem multiplici illa rerum vicissitudine, ac varietate oblectare curavi. Sed postquam ex musis mansuetioribus ad severiores me recepi, tum vero cogitatione, quæ antea animi tantum gratia in hoc Orbis Terrarum theatro perlustraveram, repetens, pernovi demum

Digitized by Google

quanta ubertate atque opulentia amœniores literæ, hiſtoriæque affluerent. Cuncta enim, quæ antea uno veluti hauſtu, ac permiſte imbiberam, in ſuam quæque ſedem tribuens, & quæ utilia eſſent atque frugifera, ab iis, quæ anicularum erant oblectamenta, ſeçernens, vidi tandem ampliſſimam ineſſe ſegetem, cum diſciplinis omnibus comparandis, tum graviſſimis rebus ſuſtinendis. Etenim in hiſtoria, quæ veritatis lux eſt, Theologus firmiſſima dogmatum noſtrorum adjumenta intuebitur, continentem nempe in Patruum teſtimoniis traditionem, non intermiſſam Epiſcoporum ſucceſſionem, ſanctiſſima Conciliorum decreta, graviſſimaſque Eccleſiæ in hæreticorum deliramentis profligandis ſententias. In hiſtoria, quæ vitæ magiſtra dicitur, juris publici ſtudioſus conſonas hominum opiniones dignoſcet, eaſque, in quibus cultiſſimæ quæque, optimeque moratæ gentes convenerint, aut diſſentierint, quidque integra, communiſque ratio omnibus concorditer præceperit, aut prohibuerit, intuebitur. Itemque vir civilis in hiſtoriæ vetuſtatis nunciæ annalibus opulentiſsimorum Regnorum ortus, eorumque occaſus, unde eorundem viciſsitudines, quibuſque de cauſis ſteterint, vel corruerint, intelliget. Ac denique ab hiſtoria juriſprudens lucem plurimam mutuabitur ad legum vim virtutemque introſpiciendam; ex rerum publicarum ſcilicet indole, ex philoſophorum ſcitis eo advectis, ex populorum natura & moribus, ex locorum ingenio, temporumque, quibus civitates conditæ ſunt, varietate. Hanc profecto eſſe hiſtoriæ vim, ſi antea quidem videram, maxime vero ex quo tempore ad forum acceſsi, atque ubi ad hanc potiſsimum, quæcunque ea ſit, opellam animum appuli, plane explorateque expertus ſum; ut unam ſane hanc viam, qua ad intima juris adyta permeemus, expeditiorem, ac quaſi compendiariam patere pro certo affirmem. Hac præſertim meas has lucubrationes aggreſſus ſum, eademque, ſi annuant ſuperi, finem exoptatum attingere mihi polliceor. Itaque quum libro primo Romanæ juriſprudentiæ intelligentiam ex hiſtoricis fontibus univerſe hauſerim, hoc altero ſingulatim, imperante ſcilicet Auguſto, inſtitutum eadem hiſtoria duce & auſpice perſequar. Sed in hac, quam mihi conſti-

Digitized by Google

ſtitui, ſparta exornanda, nobiliſsimorum pictorum in viris ſummis aſsimilandis morem imitabor. Hi enim quemadmodum cetera minus curantes, oculos maxime vultumque, ubi animi vis, virtuteſque, ac vitia, tamquam in ſedibus ſuis, optime dignoſcuntur, ſolent referre; ita nos Romanam hiſtoriam, quantum leges ſpectat, percurrentes, miſsis aliis omnibus, de eo tantum, quod ad ſplendidiſsimam virtutem illam attinet, qua homo propius Deo, rerum omnium moderatori, atque arbitro accedit, hoc eſt de Juſtitia verba faciemus.

Igitur quum leges civili regimini, populorum moribus ingenioque, loco, & tempori, ut ſæpe dictum eſt, reſpondere debeant, ut Auguſtanam Juriſprudentiam probe, & per cauſſas ſuas intelligamus, res Romana ſub eodem Auguſto, tam publica, quam privata in propatulum proferenda eſt. Si enim vetus illa Reipublicæ popularis forma, quæ jamdiu invaluerat, in novam, & monarchicam jam tamdem converſa eſt; & ratio omnis regiminis tunc temporis mutanda fuit, ut alii eſſent, ac antea Magiſtratus, alia fori conſuetudo, aliæ demum leges, quæ recens inſtitutæ politiæ congruerent. Itaque civili Romanorum vita ſenſim ad novam Reip. formam traducta, immutata omnino Urbis facies viſa eſt, omniaque novata; quamvis, ut fucus vulgo fieret, cuncta latenti quodam religionis arcano involvebantur, ne libertas, quam perdite deperibant, amiſſa videretur.

Nos igitur ut ordine & ratione de re diſſeramus, phyſicorum conſuetudinem profecto ſequemur. Quemadmodum enim illi non res tantum naturales, earumque naturam ſpeculantur, ſed omnium horum etiam cauſſas rimari alte ſolent; ita profecto viri politici eſt, non modo rerum publicarum ſtatum mutationeſque ſcrutari, ſed maxime rationes, atque initia a ſedibus ſuis repetere. Hinc quum ſub Auguſto Monarchia inceperit in Romana Republica, neque id uno eodemque temporis momento, ſed paullatim ac veluti per cuniculos, meum eſſe exiſtimavi ſtatum Romanæ Reipublicæ a conſulari Imperio ad Octavianum uſque ſtrictim in hiſce prolegominis perſequi, ut ex ipſamet rerum conſtitutione pa-

Digitized by Google

lam fiat, cur, & quibus ex cauſſis ſub Auguſto novam Roma induerit formam, unde ea juriſprudentia invecta, quæ per id tempus Romanorum moribus reſponderet. Rem igitur, ut propoſitum eſt, aggrediamur.

Urbem Romam principio Reges habuere, quorum tamen poteſtas ad Tarquinium ſuperbum uſque valuit: eo etenim ob filiorum ſive verum, ſive confictum crimen e Regno expulſo, Conſulare imperium per ſubdolas Patriciorum artes invectum fuit, nomine tenus tantum e Regio diſcrepans; ita ut ſicut antea unus Rex erat, ita deinceps duo, ſub diverſo licet nomine, forent. Sed, ut in ſuperiori libro ſat probavi, Servius Tullius, quo ſibi Patricios, Primoreſque Civitatis alliceret, plebe non invidente, ariſtocratiam in Urbem Populi diſtributione per claſſes, & centurias miro artificio invexerat: per hanc enim, populo per centurias ſuffragia ferente, ſumma profecto rerum penes Patricios erat, & ditiores, quorum plures erant claſſes & centuriæ; contra vero ceterorum quam pauciores centuriæ eſſent, quamvis in belli paciſque muniis faciendis vincerentur, invidiæ id ſibi non erat: quippe tributorum onera a pauperibus maxime in ditiores inclinabantur, quando non amplius viritim, ſed pro cenſus & centuriarum ratione tributum pendi ſtatutum erat. Porro autem hæc Ariſtocratiæ ratio per Servium ad Patriciorum commodum inita, eadem ad Conſules tranſmiſſa fuit, ut ejectis Regibus, eoſdem conſulum nomine manſiſſe, Primoreſque Patriciorum, apud quos ſumma poteſtas eſſet, in eorum locum ſucceſsiſſe certo affirmes.

Sed ne plebs rem perſentiſceret, & in Conſulari Imperio Regiam Majeſtatem, quam maxime horrebat, agnoſceret, Conſules quam ſolerter cavebant. Quid ad Regiam hanc poteſtatem occulendam Valerius Poplicola non eſt molitus? Quas ſubdolas ad hoc non iniit rationes? Vocato ad concilium Populo, faſces ſubmitti juſſit, tamquam hominium, quod ei veluti rerum moderatori præſtaretur. Quumque domum in edito Urbis loco ſibi ædificandam curaviſſet, vulgatoque hinc rumore, regnum ab ſe affectari, ſtatim eam dirutam voluit: atque ita vitandæ ſuſpicionis cauſſa modo huc modo illuc

Digitized by Google

illuc divertens, populo oſtendit adeo Conſulem a cupiditatis Regni crimine abeſſe, ut ne eſſet quidem, quo ſe ad habitandum reciperet.

Mirum autem eſt, quam populares leges tulerit. Vetuit ne quis Populi injuſſu Magiſtratum gereret, ſacrandumque caput ejus, qui ſecus egiſſet, ſpecioſe dictitans, ſupremum rerum omnium arbitrum populum eſſe. Prohibuit, quominus Conſul in caput Civium jus diceret, & ſi verberibus civis damnaretur, poſſe eum juſſit ad populum provocare. Voluit demum, ut quæſtores a populo creandi publicæ pecuniæ præeſſent, ne quid eſſet, quod Conſulis animum vel fortem conſtantemque remitteret, vel pravum, inſolentemque ad libertatis perniciem urgeret. Hæ fuerunt leges Valerii, quibus aliquantulum Conſulare Imperium minuit, ſed ut diuturnius illud redderet, magiſque firmaret.

His artibus plebs delinita quievit parumper. Sed ſentiit demum Regiam jam poteſtatem in Conſulare nomen recidiſſe: etenim honoribus omnibus uni Patricii perfungebantur, penes eoſdem rerum ſacrarum cognitio; judiciorumque vis, atque norma a Conſulum voluntate pendebat. Præter hæc bonis omnibus militiæ inter ſudores & vulnera partis Patricios ſolos locupletantibus, ea ſemper omnium egena inopia ſumma laborabat. Hæc profecto in cauſſa fuerunt, quapropter viribus omnibus adniſa fuerit, ut tantam Conſulum poteſtatem vel labefactaret, vel ſaltem minueret. Hinc in ſacrum montem, finitimo ingruente bello, ſeceſſit; negavitque ad Urbem ſeſe redituram, niſi crearetur magiſtratus plebejus, cujus poteſtas ea eſſet, ut intra mœnia patriciorum in Civium libertatem vim impediret. Atque hic Tribunus plebis fuit, qui deinceps adeo per fas, perque nefas crevit, ut Conſules ipſos carceri manciparet, quique tot tantaſque calamitates in Urbem importavit, ut Reſpublica ſæpe concidiſſet, niſi fato quodam eſſet ab interitu erepta. Neque Magiſtratu hoc a Patriciis per vim extorto plebs ſtetit: ad id etiam vires ſuas, animumque appulit, ut jus certum ſtatueretur in Urbe, neu deinceps Conſulum voluntas judiciorum regula eſſet: quapropter leges duodecim tabularum partim ex

Græ-

Digitized by Google

Græco jure excerptæ, aliæ ex Romanis consuetudinibus proficiscentes vulgatæ sunt. Ecce tibi quot modis, quotque viribus plebs imperium consulare discerpere conata sit.

Verum non deerant Patriciis subdolæ artes, quibus plebem eluderent, quæque ei concessa fuerant, irrita facerent. Nam anno ducentesimo quinquagesimo nono Dictator creatus fuit, hoc est supremus ille Magistratus, qui sex licet menses, tanta tamen polleret potestate, ut cives necare, & verberare, & in Senatores, Consules, atque in Tribunos ipsos sine provocatione animadvertere impune posset. At enim cur plebs in comitiis per sua suffragia passa est, ut summus hic Magistratus ex Patriciorum ordine diceretur? Vidit sane illum nonnisi suadente necessitate, & per semestre tantum tempus creari, eoque imperante, Senatus interim, Consulumque potestatem interquiescere: atque hac profecto de causa sic facilem præbuit assensum. Sed eam opinio fefellit: non enim animadvertit Dictatorem creatum iri, quoties nempe Senatui videretur, hoc est supremum hunc Magistratum dictum iri, quum jura omnia Patribus libuerit mutare, atque subvertere: nam, ut innuimus, Dictatore creato, Magistratuum omnium vis atque potestas intercidebat, ac jura sive publica, sive privata conticescebant.

Quamobrem plebs pacta omnia cum Patriciis inita, per eorumdem technas in irritum cecidisse videns, aliam atque aliam viam semper in diem furens aggressa est, ut imperium Consulare infirmaret. Petiit igitur, evicitque instando, ut Comitiorum forma mutaretur, ac Tributa comitia denuo instituerentur: & quidem sicut in centuriatis omnia ad Patriciorum arbitrium expediebantur, quum plures essent eorum centuriæ, quam plebis; ita in his maxime plebs valebat, quum tot essent suffragia, quot capita. Quin res ulterius processit: quum enim sæpe antea experti essent, facile sibi esse cuncta, quæ vellent, data quandoque occasione, a Patriciis per vim metumque extorquere; id etiam efflagitarunt, ut honorum fierent participes, sibi cum Patriciis matrimonio jungi liceret, juris dicundi potestas communicaretur, utque sua scita omnes cujuscumque ordinis tenerent.

His

Digitized by Google

His omnibus acceſſit deinde ſummus honor conſulatus, ac demum Dictaturæ, quæ firmiſſima fulcra erant Patriciorum auctoritatis. Nam anno Urbis tercenteſimo octogeſimo ſexto Sextius ex plebe Conſul fuit, & anno tercenteſimo nonageſimo primo Martius Rutilius item plebejus Dictator dictus eſt. Itaque plebe tot honoribus cumulata, tantaque poteſtate aucta, factum, ut ſicuti priſco jure nil ratum, nil firmum eſſet, niſi Senatus accederet auctoritas, ita recenti jure omnia eſſent infirma, ſi plebi non adlubeſcerent.

Imminuta nimium Patriciorum auctoritate, ob Conſulatum potiſſimum, ac Dictaturam cum plebe communicatam, tanto vulneri medendo ſedulo conſultum eſt: atque id aſſequuti tandem ſunt, ut Prætor ſaltem, atque Ædilis curulis ex ordine patricio crearentur. Tritum autem ſatis eſt, quanta vi & dignitate polleret Prætor: eo enim ejus poteſtas evecta eſt, ut ſub formularum technis, atque vocabulorum novitate, & aucupio, leges abrogaret, æquitatiſque nomine ſuppleret. Neque minor Ædilis poteſtas erat: nam is publicos ludos, quibus adeo Populus Romanus oblectabatur, curabat, templa, & ædes inſpiciebat, atque ut cetera mittam, rebus venalibus jus dicebat. Sed nec diu hi Magiſtratus penes unos Patricios manſere, quum anno Urbis quadringenteſimo ſecundo fuerint jam cum plebe communicati. En honores Romanos nunc penes Patricios, nunc vero apud plebem, prout cujuſque ordinis vires in civilibus factionibus magis valerent. Sed advertas velim, quæ mala, quot quantæque calamitates ex his obortæ: id enim agebant Patricii, ut a plebe extorta per civiles motus eriperent. Contra plebs viribus omnibus nitebatur, novas ſemper inſidias ad defatigandos Patricios excogitando, ne partos honores amitteret.

Sed abs re hic non erit pernoſſe, cur plebs antequam honorum omnium particeps fieret, non adeo frequentes exciverit motus, quemadmodum ſane quum par facta fuit Patriciis. Siquidem ex hoc tempore adeo quies publica turbata, ut nonniſi uni imperio delato potuerit publica ſalus reparari. Hujus profecto rei rationem prodit nobis Ariſtote-

les

Digitized by Google

les (a), cujus verba hic excribere placet. *Mutantur*, inquit, *Reſpublicæ etiam quum Civitatis partes, quæ contrariæ eſſe videntur inter ſe, coæquantur, ut divites & Populus: media vero pars eſt exigua, vel nulla. Nam ſi alterutra pars longe excellat, reliqua adverſus eam, quæ aperte ſit potentior, non ſolet periclitari.* Quæ ſane veriſſima ſunt: nam ordinum æquatio, per quam omnes ſunt pares, id efficit, ut alius alii parere detrectet; unde ſane civiles motus erumpunt: plebs enim in honorum jure Patriciis æquata, haud facile in officio contineri poſſet. Quanto igitur ſapientius ſe geſſit Romulus, qui Rempublicam ita inſtituit, ut Patricii longe plebem antecellerent, neu tamen exercerent Magiſtratus, niſi per Populi ſuffragia in comitia coeuntis, ut hoc ſtatuto inter utroſque temperamento, rebus novandis occaſio non eſſet? Atque hinc intelligimus, cur Cicero, aliique ſummi viri in Romana Republica optaverint, ut medius ordo, ſcilicet Equitum, aliquanto eveheretur: erat enim hoc remedium præſentiſſimum, ut inter Patricios, ac plebejos frenum quoddam injiceretur, ne contra Reipublicæ formam potentiores novas res molirentur. Sed redeamus in viam.

Jam plebs æquato rerum omnium jure, Patriciorum voluntatibus obſecundare indigne ferebat. Sed quum nihil valeant honores, ſi abſint vires, fortunarumque copia præſto non ſit, hinc animum intendit, ut partis honoribus ex Patriciorum bonis tandem diteſceret: qua de re vulgatam legem agrariam toto conatu adniſa eſt rogari, juſtitiæ æquitatiſve commento ingenioſe quidem objecto: obtendebat enim par æquumque non eſſe, tot agrorum jugera viribus ſuis, laboribuſque Reipublicæ parta unis tantum Patriciis deferri. Sed videns Senatus legem hanc malorum eſſe fœcundiſſimam ſegetem, quot deinceps experientia rerum magiſtra perdocuit, ne per ſeditioſos Tribunos rogaretur, impedivit: ſed per Licinium potius Stolonem cavit, ne quis plus quingentis jugeribus agri poſſideret. Lex autem hæc quamvis aliquantulum plebis furorem potuiſſet lenire, parum tamen profuit, quum ipſe Sto-

(a) *Lib. V. cap. IV. Politic.*

Digitized by Google

Stolo ejus criminis reus factus fuerit, simulata licet filii emancipatione, ut legi suæ fraudem faceret. Ex quo sane ratio proditur quantum jus valeat, quum præsto sit potentia, quæ possit illud subvertere.

Mirum autem est, quot turbas lex hæc in Romana Republica exciverit. Tribuni enim ut plebem sibi allicerent, sæpè eam rogare nisi sunt; neque deerant ex Patriciis, qui sane novitatum cupidi, quo plebis gratiam inirent, eidem faverent. Sed satis pervulgatæ sunt Gracchorum seditiones, Tiberii scilicet & Caji. Et quidem Tiberius, ut cum bona utriusque gratia res componeretur, rogavit, ut lex agraria valeret in posterum, nulla habita de ante actis ratione. Sed ne id quidem Patriciis adlibuit, qui legem hanc de medio tolli omnino exoptabant. Hinc Tiberius factus summopere Senatui invisus, ut Patriciorum insidias evaderet, magis magisque plebis gratiam sibi captare curavit: quapropter leges rogavit ad labefactandam Aristocratiam appositissimas.

Jussit igitur stipendia militaria brevius contrahi, atque ad dirimendas controversias tot ex Equestri Ordine legi Judices, quot ex Senatoribus erant; atque ex omnium Magistratuum sententiis ad Populum provocari. Vide hinc ad effringendam unius ordinis potentiam, quantum valeat, medium ordinem quadam vi pollere. His perlatis legibus, quæ Patriciis non parum detrahebant, Tribunus plebis per illorum fraudes interfectus fuit, & quidem coram ipsa plebe, quæ adeo eum prosequebatur. Successit ei Cajus, qui non solum superiores leges repetitis rogationibus tulit, sed & nova capita adjecit, quibus eorumdem auctoritas labefactaretur; nempe ut omnes habitatores Latii Cives Romani essent; utque Civitate Romana potirentur Latinorum coloniæ, quarum quæ jus suffragiorum in Magistratibus creandis non haberent, in rogandis tamen legibus suffragarentur. Atque hoc, ut plebis in comitiis suffragia augeret, cujus profecto gratia Latium ultra Alpes extendit, quo plures essent illi, quos veluti hostes in comitiis contra Patricios armaret. Demum jussit a Senatu judicia ad Equestrem ordinem transferri, hanc obtendens caussam, quod tunc temporis Patres innumeris ob-

Digitized by Google

voluti criminibus, alii peculatus, alii reputandarum, ambitus demum alii, potissimum rei id in judiciis suis agebant, ut indulgentissime sibi invicem parcerent. Ad id apposite Cottæ, & Acilii exempla in medium afferebat: hi enim ingentibus criminibus convicti, judiciali tandem pœna ab iis soluti per Urbem discurrebant. Quibus sane a Cajo peractis, supremaque potestate ad Populum translata, mirum quantam apud eum gratiam iniverit. Sed hac eadem de causa miserè occubuit. Nec tamen duorum Gracchorum cruenta cædes civilibus seditionibus modum imposuit; quæ profecto adeo deinceps percrebuerunt, ut per Marii & Syllæ, Cæsaris & Pompei, Octavii atque Antonii discordias funditus res Romana perierit, nec nisi sub eodem Octavio demum in novam formam revixerit.

His præmonitis, atque ex historiæ monumentis depromptis, opportunum jam esset novum Augusti regimen, eique respondentem jurisprudentiam auspicari. Sed quum nondum illius caussæ ex iis, quæ dicta sunt, satis exploratæ perspectæque sint, eas ante omnia pressius pertingere satius duxi. Duo igitur in his Prolegominis pervestiganda supersunt, scilicet Monarchiæ Romanæ initia, atque ejusdem caussas: quibus profecto expositis, in proclivi erit Augusti in Republica gerenda rationem, ejusque leges recens conditas intelligere, quando principiis perspectis, facili negotio ad consequentias devenitur. Sed quum initia Romanæ Monarchiæ a Sylla primum, a Julio Cæsare deinde repetantur, ab his orationem instituere operæ pretium duco.

CA-

Digitized by Google

CAPUT I.

De Romanæ Monarchiæ primordiis.

§. I.

De Rerumpublicarum converſionibus.

HUmillima quæque, & minima ſi forte contingat, ut a priori ſtatu alio tranſeant, id ſane neque per ſe fit, neque uno eodemque temporis momento. Et quidem cauſſæ præeant opus eſt, quibus ea paullatim deficiant, ac veluti per gradus contabeſcant, ut in novam deinde formam convertantur, aliamque prorſus induant ſpeciem. Quod quum ita natura artificioſa omnium matre comparatum ſit, idem profecto ſub Cornelio Sylla contigiſſe in Romana Republica ſtatuendum eſt. Quum enim is neglecta veteri Ariſtocratia, & Democratia, Monarchici Regiminis fundamenta prior jecerit, idque deinceps Cæſar, & Octavius confirmarint, a cauſſis ſuis id profectum pro certo affirmo, nec caſu quodam, aut temere accidiſſe exiſtimandum. Has ego cauſſas Romanæ Monarchiæ rimari quum ſtatuerim, abs re haud puto fore, ſi, antequam intima ejus adyta ineamus, de Rerumpublicarum vicibus, ac mutationibus verba faciamus.

Mutantur Civitates, atque in alias, aliaſque regiminis formas dilabuntur vel interna, vel externa vi: illa quidem propter civium ſeditiones, hac vero ob hoſtes, qui rerum potiti imperium, quod magis viſum, in victos exercent. Quod ſpectat civiles ſeditiones, in memoriam revocandum eſt, tres eſſe cujuſque Civitatis ordines: alii enim ditiſſimi ſunt, alii proletarii, ſive capite cenſi, alii demum, qui medium inter hos obtinent locum. Itaque in civilibus motibus inſpiciendum eſt, quinam ordo ſeditionem faciat, quibuſque ex cauſſis ad res novas impellatur: alii enim alia de cauſſa nova moliuntur. Sed ut enucleatius res pernoſcatur, variæ Rempublicarum formæ diſtinguendæ ſunt. Imperium, ut alibi dictum eſt, vel Ariſtocraticum eſt, nempe paucorum, &

Digitized by Google

optimatum ; vel Democraticum , ſive Civitatis in comitiis coeuntis ; vel Monarchicum, ſi ſumma rerum unus potiatur. Ad hæc Democratia ipſa duplex eſt, moderata, & popularis: in priori quidem generis & cenſus in publicis honoribus ratio habetur ; in altera vero omnia promiſcue ſe habent, atque ex æquo omnes participes fiunt regiminis.

Jam vero ſi Democratia ſit moderata, Patricius, & plebejus uterque novis rebus ſtudet, alius ut fiat mere popularis, alius vero, ut in Ariſtocratiam dilabatur: iidem hoc agunt in Ariſtocratia, nempe ut Democratia fiat plebejus, Patricius autem, & dives vel ut in ſua forma maneat, vel in Monarchiam vertatur. Attamen quum hæc omnia luculentiſſime explicaverit Ariſtotiles (a), a quo majori luce illuſtrantur, ejus verba tranſcribenda ſunt ; ait enim : *Primum autem exiſtimare oportet multas initio Reipublicæ adminiſtrandæ formas extitiſſe, quum inter omnes quidem conveniat id quod juſtum, idque quod proportione æquale eſt, eſſe ſpectandum. Sed ab hoc aberrant, quemadmodum & prius dictum eſt. Democratia enim orta ex eo eſt, quod qui quævis re pares eſſent, ſe ſimpliciter pares eſſe exiſtimarent. Nam quia ſimiliter liberi ſunt ſe ſimpliciter æquales eſſe putant: Oligarchia autem ex eo nata eſt, quod qui ſunt una aliqua re inæquales, ſe omnino inæquales eſſe putant. Quia enim copiis rei familiaris alios ſuperant iccirco ſe ſimpliciter inæquales eſſe autumant ; inde fit ut illi quidem proinde ac ſi ſint æquales omnia æqualia ſibi tribui æquum eſſe cenſeant ; ii proinde quaſi ſint inæquales ſuperiora omnia habere ſtudeant. Nam quod ſuperat inæquale eſt. Habent igitur omnes hæ Reipublicæ adminiſtrandæ formæ aliquid juris, ſed ſimpliciter pravæ ſunt, & propter hanc cauſſam quum utrique non pro ſua exiſtimatione, ſuaque opinione Reipublicæ adminiſtrationis ſunt participes ſeditiones inter eos commoventur.*

Ex quibus verbis proditæ jam tibi ſunt mutandorum imperiorum rationes ; idque ex ipſamet eorum natura patet. Quum enim, ut dictum, in democratia moderata ratio eadem ſit Civium libertatis, & æqualitatis, non ſine tamen quodam eo-

(a) *Lib. V. Politic. cap. I.*

Digitized by Google

eorum discrimine in honoribus, atque judiciis, ex hoc ipso sæpe seditio oritur, quum Patricius, & dives superior in rebus quibusdam, in ceteris omnibus superior etiam haberi cupiat; contra plebejus par in ceteris, æque liber in omnibus esse velit. Hinc sane ille ad aristocratiam Rempublicam verti, hic autem ad democratiam popularem delabi student. Huc propemodum laudati auctoris sententia recidit, quæ profecto digna tanto viro est. Nam in Romana Republica a Romulo usque, qui in ea democratiam moderatam instituit, quot quantasque seditiones plebs & Patricii exciverunt? Hi quidem propter magistratus, quos gerebant, plebem sibi æqualem adspernabantur, ac proinde aristocratiam anhelabant, nihilo vero minus plebejus obstrepebat, honores, & commoda unis Patriciis cedere indigne ferens; se vero militiæ laboribus fessum, vulneribusque confectum hisce omnibus privari. Hæ sunt civilium discordiarum in democratia moderata causæ. Videamus modo eas, quæ Aristocratiam obturbant. Hanc sane totam ratio generis, census, & virtutis constituit: quare quo majori quis divitiarum copia affluit, eo magis ceteris dominari studet, ut Crassi, Luculli, Pompeji, & Cæsaris testantur exempla. Immo vero si quis ob diuturnos honores, ob bella confecta, hostesque debellatos, ceteros antecellat, is eo se dignitatis evectum intuens, alios sibi pares indignatur, & aristocratiam aversatus, Monarchiam affectat, uti factum a Sylla, Cæsare, ac demum ab Antonio, & Octavio legimus.

Indicatis qui seditiones movent, opportunum est causas perquirere unde illæ oriuntur; quod ejusdem Philosophi verbis explicandum putavi (a): *Ergo* (inquit ille) *quemadmodum affecti quidam sint, qui seditiones movent, expositum est: de quibus autem rebus seditiones moveant, sunt quæstus, & honos, bisque contraria. Etenim aut ignominiam, aut damnum fugientes vel suum, vel amicorum, seditiones in Civitatibus movent.* Itaque plebs in democratia moderata quietem publicam turbat, vel ob honores, quibus unos Patricios exornatos videt, vel ob bonorum copiam paucos tantum sequentem, vel ad suam

(a) *Lib. V. Polit. cap. 2.*

Digitized by Google

ſuam inopiam fugiendam : quæ ſane quum cauſſæ ſint ad rem, de qua agimus, appoſitiſſimæ, ſedulo expendendæ ſunt, ſimulque excogitanda remedia, quibus adhibitis poſſit Civitas contra ſeditionum morbum muniri. Rem igitur ſtudioſius perſequamur. Diximus ſupra, Rempublicam democraticam ſitam eſſe potiſſimum in bonorum æqualitate inter cives; & merito quidem : nam quum in hac civilis regiminis forma præ oculis maxime habeatur civium æqualitas, nemo ſane æquo animo feret, paucos divitiis affluere, alios vero ſumma egeſtate laborare. Hæc quidem fortunarum copia quemadmodum illis frequens occaſio eſt evertendi Civitatis regimen, ita indigentia hos ad res novas impellit, ſi non divitum odio, ſaltem ut per Civitatis mutationem paupertatem effugiant. Hinc quamplurima diſſidia Romæ oborta ſunt, propter nimias Patriciorum divitias. Ac ceteris omiſſis, tot tantæque acerrimæ diſſentiones ob legem agrariam, & uſurarum remiſſionem excitatæ. Nempe ut remediis his adhibitis æqualitas illa, Patriciorum aviditate ſublata, aliquo modo repararetur. Hinc per legem Voconiam rogatum, ut ne filia quidem unigena heres ex aſſe eſſet. Hinc per legem Cinciam *de donis & muneribus* prohibitum, quominus quis quæcumque vellet donaret. Erant quidem hæc omnia remedia præſentiſſima, ut dixi, ad amiſſam æqualitatem Civitati reſtituendam : quare conſultiſſime addidit Ariſtoteles, ne in democratica Civitate copia fieret teſtandi, niſi in favorem filiorum, ne cui ex hæreditate nimia bonorum copia obveniet, quod bonorum æqualitatem inter Cives infringeret. Caveant hinc viri politici, ut in democratia id ſaltem plebs habeat, quo paupertatem effugiat. Itaque initio hujus regiminis ſic bona dividenda ſunt, ut prohibeatur, ne ea quis alienet, ut Romæ, Athenis, Spartæ, & Judææ, apud quos democratia viguit. Quod ſi temporis progreſſu prior hæc bonorum diſtributio diſſolvatur, ad novam profecto deveniendum, ut in iiſdem Civitatibus factitatum advertimus. Sin vero adeo plebs aucta ſit, ut tantæ multitudini priora bona non ſufficiant, neque ſuppetant alia, quibus alantur egentiſſimi quique ; in colonias deducantur : atque ita vitam inertem fugien-

Digitized by Google

gientes, agrorum cultura, & paſtu pecorum ſe ſuſtentent. Sed porro pergamus.

Turbas etiam excitat plebs, ſi ſoli Patricii gerant Magiſtratus: qua de re conſultiſſimum in regimine ariſtocratico, vel Democratico erit, ſi in honoribus non unius generis, ſed cenſus etiam ratio habeatur, quum ita & plebejo ſpes injiciatur ad honores perveniendi, ſi forte fortuna aliquando diteſcat. Neque id etiam parum proderit, ſi Patriciorum ordo ampliſſimis honoribus ornatus, idem ingentium tributorum onera toleret, plebs vero quam minime gravetur. Sic enim viciſſim re compenſata, æquo animo plebeji Patriciorum honores ferent, quum ad vitæ commoda magis, quam ad exoptandos magiſtratus plebs rapiatur. Quod ſane fecit Servius, ſummo judicio inventa nova Populi diviſione per claſſes, & centurias, ut nos in ejus hiſtoria prodidimus. Quid ſi cum ſummis honoribus ingentes ſumptus neceſſariique conjungantur? Eos certe, quorum tam immodica impendia aſſeclæ ſunt, averſabitur plebs, nec umquam exoptabit. Atqui hæc ratio eſt, cur apparatiſſimis muneribus Magiſtratus Romani fulgerent, nempe ut non ſolum plebejorum animi magnificorum ludorum oblectatione conciliarentur, ſed etiam immodicas horum expenſas videntes, honores ipſos a ſe ultro averterent. Hinc repetitis rogationibus vetitum, lucrum in Magiſtratu quæri, prædia in Provinciis, dum adminiſtrantur, emere, fœnori ibidem pecuniam dare, vel mercaturam quamcumque facere. Hinc tot leges de repetundis, de peculatu, de ambitu, ab ipſo Senatu conſtitutæ: ſcilicet ut perſuaſum plebi eſſet, Patricios in honoribus longe a divitiarum cupiditate abeſſe. Sed omnium ſapientiſſimum Romuli conſilium fuit, quo cautum ne ullo fungerentur honore Patricii, niſi per Populi ſuffragium in comitiis, ut hac facta æquatione, ordines in concordiam coirent, plebs nempe æquo animo ferret honoribus privari, quum ſuffragii jure potiretur.

Immutari etiam ſolet civile regimen, ſi ex Civium ordinibus, alter alterum ob res feliciter geſtas longe ſuperet. Sic Italiam Annibale oppugnante, Patricii in Urbe dominabantur, plebs autem jacebat. Pulſo autem Annibale, confecto-

Digitized by Google

ctoque per plebis cædes & vulnera atrociſſimo bello, hæc victoria elata incepit paullatim inſurgere, agros poſcere, honores appetere, ac totam ad ſe Rempublicam convertere: qua de re ne plebs palmis deinceps intumeſceret, atque ita Rempublicam turbaret, inſtitutum eſt, ut externa maxime auxilia in exercitu eſſent. Sed nova h inc mala exorta ſunt: ete nim devictorum hoſtium victoria cui bono militi extero erat? Hinc ſane viris politicis perſuaſum eſt, ex hoc potiſſimum, quod milites exteri aſciſcerentur, Chartaginem interiiſſe. Quod ſi Senatus, publicumque Conſilium juverit, qui ſtrenue, feliciterque ſe in Republica geſſerit, is profecto Democraticam formam in Ariſtocratiam invertere conabitur. Sic Athenis factum, ubi quum Themiſtocles, Senatu Areopagitico juvante, Perſas feliciter perfuderit debellaritque, hac parta victoria, major vis, & firmitas Ariſtocratiæ acceſſit. Atque hac de cauſſa monent viri docti, ut, ſi forte fiat, ut alter ex Ordinibus in Republica, ob res proſpere geſtas, inter ceteros emineat, ſtatim ad æqualem auctoritatem ordo medius attollatur: ita enim veluti libramento quodam intercedente, neque plebs, neque Senatus novis rebus ſtudere videbuntur. Hinc Romæ quum advertiſſent Gracchi Senatum in dies magis magiſque vi, atque auctoritate creſcere, Equites medios ad judiciarios honores extulerunt, & plebis ſuffragia, data Latinis Civitate, quammaxime auxerunt. Ecce tibi cur Cicero ſemper ſtuduerit, ut Equites Ordini Senatorio concordia conjunctiſſimi eſſent: nam tunc procul a Rebuſpublicis, vel Democraticis, vel Ariſtocraticis ſeditiones ſunt, quum medii Ordinis dignitas augeſcit. Itaque adniſus eſt Cicero, ut *multitudinem cum Principibus, Equeſtrem Ordinem cum Senatu conjungeret*. Additque: *Neque ulla vis tanta reperitur, quæ conjunctionem veſtram, Equitumque Romanorum, tantamque conſpirationem bonorum omnium perfringere poſſit* (a).

Sed ſicuti in Democratia, ut monui, frequentes turbæ contingunt, novarumque rerum metus ſuboritur, ſi alter ex ordinibus alteros excellat: ita ſane ad Ariſtocratiam ipſam in-

(a) *In Catil.* 4. 10.

Digitized by Google

invertendam plurimum valet, quum eorum, penes quos eſt imperium, unus aſſurgat, ceteroſque bonorum copia auctoritateque civili, vel militari ſuperet. Hinc Athenis, aliiſque in Rebuspublicis Democraticis, atque Ariſtocraticis receptus Oſtraciſmus eſt, ne ſi quis majori auctoritate polleret, ſtatum Reipublicæ perverteret. Hinc Romæ inſtitutum, ne uni plura ſimul imperia mandarentur, neve civile, vel militare munus ad longum tempus daretur, ne ſcilicet, qui plurium, & diuturna Magiſtratuum geſtione imperando aſſuevit, aliis deinde parere indigne ferret. Ex quo nam tempore ſummam Pompejus poteſtatem affectavit? Certe poſtquam diutinis, ac non intermiſſis honoribus functus eſt, maxime vero ubi in mare, qua late patet, imperium adverſus piratas datum. Non ne Cæſar poſt longum imperium Proconſulare, pervenit tandem ad ſupremum auctoritatis faſtigium? Jure igitur merito in bene conſtituta Ariſtocratia, vel Democratia nullus Magiſtratus perpetuus eſt: & ſi quando ſummam rerum uni demandari neceſſe ſit, ea intra perbreve temporis ſpatium coercetur. Sic Romæ nonniſi per annum conſulare imperium dabatur, & ad Dictaturam gerendam ſemeſtre tempus ſtatutum.

§. II.

De Mario, & Sylla.

PRoditis jam viciſſitudinum Rerumpublicarnm cauſſis, ad aperienda nunc Romanæ Monarchiæ primordia per hiſtoriam Marii & Syllæ, Cæſaris & Pompei, Auguſti demum & Antonii accedamus. Si enim ſingulæ quæque res ex ſuis cauſſis gignuntur, atque his præcognitis facile illæ compertæ exploratæque fient; hinc ſane lector intelliget, cur a Mario, & Sylla Monarchiæ Romanæ repetenda ſint initia. Et quidem quum ſub his Reipublicæ ſtatus maxime turbatus eſſet, eo adducta res eſt, ut imperium Romanum omnino corrueret, niſi in novam formam per maximam mutationem converteretur. Inter enim tam infenſas, infeſtaſ-

Digitized by Google

que Patriciorum, plebisque discordias, sæpe quidem veteratores subdolique ingenii homines in medium prodibant, qui scenæ fervientes, his aut illis pro tempore studentes, sibi, ut dici solet, canebant, summamque rerum affectabant. Quamvis enim plebs, cui adeo cordi erat libertas, tam stulta non esset, nec Patres tam bardi, ut non viderent *tot honores uni collatos, immodicasque potestates concreditas animum cujusque extollere atque corrumpere*; seditiones tamen illæ sæpius erumpentes Romanorum animos eo ferebant, *ut essent illis persimiles, qui tempestate jactantur: eodem enim modo uni, ac alii susque deque & in omnes partes arripiuntur, ac si quid eos vel minimum fefellerit, prorsus submerguntur* (a).

Itaque semper quidam cives infesti potentioribus, infirmioribus opem præstare assolebant. Sed eosdem deinde, postquam ad invidiæ gradum evexissent, odio prosequebantur: & quamquam factionum duces sæpe extincti jacerent, semper tamen ex iis nova monstra pullulabant, quæ iterum atque iterum quietem publicam labefactabant. Hinc increscentibus in dies turbis cædibusque, ac Civitate calamitatibus pene deperdita, ad supremum tandem excidium avertendum, necesse fuit summam dominationem uni concredi, *qui cuncta discordiis civilibus fessa sub nomine Principis accipiendo, imperium componeret*.

Cajum Marium in suburbio Arpinensi natum scripsit Plutarchus: qui quum parentes haberet admodum pauperes, non potuit sane in Urbem commigrare, ut moribus iis ab ineunte ætate institueretur, qui viro politico, & ad Rempublicam accedenti pares essent. Sed adulta tandem ætate Romam profectus, licet rusticitatem illam suam a se excutere non potuerit; subdit tamen idem Plutarchus, ex moribus suis eam nactum vitæ consuetudinem, quæ bellandi arti, & antiquæ Romanorum parsimoniæ, ac vivendi frugalitati satis conveniret. Prima is contra Celtiberos, sub Scipione Africano Numantiam expugnante, meruit stipendia: quumque hoc in bello strenue se gessisset, ejus vires Scipio in dies validiores

(a) *Dion lib.* 38.

Digitized by Google

res expertus, ſummopere eum amabat, occaſioneſque undique commendandi captabat, quo majori ſemper animo ad virtutem incenderetur. Hinc interrogatus Scipio, qui nam Dux poſt ſui fata Romanos regeret, reſpondit, Marium fore. Quod ſane Scipionis effatum, veluti vox quædam emiſſa cælitus, ad ſpem maximarum rerum Marium extulit: quapropter ſatius duxit ad Rempublicam accedere, quam continuis, ac non intermiſſis ſtipendiis bellis adeſſe. Petiit igitur, obtinuitque favente Marcello plebis Tribunatum: ſed dum Tribunus erat, totus in hoc fuit, ut plebem foveret, rebuſque novis ſibi alliceret, quo majorem nanciſceretur dominationem. Id enim tunc in more erat, ut inter turbas callidi, atque ambitioſi homines vel Senatum, vel plebem colerent, prout cujuſque partes magis vigerent, ad imperium ſibi conciliandum. Itaque Marius quum videret plebem tunc temporis viribus Patricios ſuperare, illius auram ſibi captare viribus omnibus adniſus eſt, maxime vero legibus illis perlatis, quæ Senatus magis magiſque imminuerent poteſtatem.

Igitur ante omnia legem illam rogavit, qua comitia ex centuriatis Tributa fierent, ut ſcilicet Senatus, & Patriciorum auctoritatem funditus everteret, vireſque novæ plebi adderentur. Sed quum per hanc immutationem plebs in rebus maximis dirimendis ſemper ſuperior diſcederet, quippe cujus ſuffragia patriciorum, ac divitum numerum ſuperaret, ea lex merito a Senatu rejecta fuit. Tum Marius Senatum ingreſſus, ac Conſulem Cottam diſſentientem in carcerem rapi jubens, tantum metum ceteris injecit, ut voti tandem campos fieret. Quod ſane audax facinus, ſicuti plebis gratiam maximam, ita odium ſummum Patrum ei peperit: quod ut partim ſaltem leniret, roganti alii Tribuno, ut plebi frumentum gratis tribueretur, acerrime in Senatus gratiam adverſatus eſt, ut videretur non partium, ſed Reipublicæ utilitatis eſſe propugnator. Poſt Tribunatum creatus fuit Ædilis, deinde Prætor: quo munere functus, forte ulteriorem Hiſpaniam obtinuit, quam quidem latronibus refertam repurgavit. Romam reverſus adhuc in Republica verſari ſtudebat, ſed is erat, cui nec eloquentiæ vis, nec facultatum

Digitized by Google

copia, per quæ ad civilia munera aditus erat, præſto erant. At vero Romani antiquam ejus vivendi rationem, atque in laboribus bellicis patientiam, atque ſtrenuitatem admirantes, & præ his miram illam morum dexteritatem, quæ plebis ſtudia callide fovebat, auctoritate eum, atque honoribus cumularunt. Ex quo profecto factum eſt, ut ingentibus deinde affluens divitiis, quietem publicam modis omnibus interturbaret.

Quum Cælius Metellus juſſus eſſet bello Jugurtham perſequi, Marium ſibi in Africam legatum adduxit. Marius autem occaſionem nactus nomini ſuo gloriam parandi, omnibus in rebus præclarum ſui ſpectaculum præbuit. Nullum eum deterruit diſcrimen, nullus labor, ut hoſtem vinceret, defatigavit: patientia, frugalitate cum militibus certavit, eosque adeo ſibi devinxit, ut plaudentibus iisdem magni Imperatoris famam fuerit aſſequutus. His geſtis, eoque nomine elatus, Romam ſe contulit ad petendum Conſulatum; cujus per plebis favorem compos factus, Imperator adverſus Jugurtham miſſus eſt. Quod ſane adeo Metellum afflixit, ut is per Turpilium exercitum traderet, graviter queſtus, quod poſt improbos a ſe exantlatos in eo bello labores, omnem Marius præriperet fructum. Sed haud diu perſtitit querimoniæ cauſſa, quum in Marium aſſequutus ſit Sylla, quod Marius ipſe in Metellum conatus fuerat. Jugurtha enim, fractis opibus ſuis, ad Boccum Mauritaniæ Regem confugit; qui deinde veritus, ne Romana in ſe verterentur arma, eum prodidit, Syllæque, qui tunc erat Marii quæſtor, honoris cauſa tradidit, quippe cui maxima familiaritate junctus erat, quum ab eo quamplurimis beneficiis eo in bello affectus eſſet. Tradito igitur Syllæ Jugurtha, ab eo deinde ad Marium perductus eſt, & tanto illi honori id habitum eſt, ut Bocchi Regis effigiem ſibi Jugurtham tradentis fieri, ut gloriam rei tam præclare geſtæ Mario eriperet, curaverit. Ex quo ſane ea huic adverſus Syllam creata eſt invidia, ut in partes diſciſſis civibus, acerba excitata fuerint inter eosdem diſſidia, quæ Rempublicam maximopere vexarunt.

Sed exorto in tempore Teutonorum, Cimbrorumque bel-

Digitized by Google

bello, aliquantulum indignatio ac ſtudia deferbuerunt. Hæc enim Barbarorum colluvies nunquam antea viſa, agrorum ſuorum ſterilitatis, & ſqualloris pertæſa, atque huc illuc, ut felicius cælum ſuſpiraret, pervagata, tandem pulcherrimam Italiam, ut ejus potiretur, furioſe invaſit. Hinc Romani eo derepente metu incuſſi, ut Rempublicam cito interituram exiſtimarint. Indicto itaque bello, Marium Conſulem crearunt. Sed mirum profecto quantam is in hoc bello virtutem oſtentarit. Ea enim animi præſtantia periculis omnibus ſe objecit, ea prudentia aciem inſtruebat, ſic demum ſapienter cuncta moderatus eſt, ut hoſtes proſtraverit, profligaveritque, adeo ut illi omni amiſſa ſpe, ab Italia tandem fugerint, atque ad priſtinas ſedes remeaverint. Meum non eſt hic ſingula quæquæ Marii geſta exponere, ſed ea tantum curſim perſtringere, quæ ad leges Romanorum intelligendas faciunt. Quare porro pergamus. Altero Conſulatu victoriis elatus Marius, quo plebem magis ſibi alliceret, dictitare ſolebat, nihil ſibi jucundius, quam Senatus potentiam minuere; atque huc tantum per honores ſibi collatos animum intendere. Sed Cimbrici adhuc belli perſtante metu, ad quintum pervenerat Conſulatum, & nihilominus ſextum petebat ambiebatque, cujus ut fieret compos, omnibus illis peregrinis atque exteris, quos milites aſciverat, jus Civitatis dedit, in ſpeciem remunerationis, & officiorum in Rempublicam viciſſitudinem; ſed revera ut multitudo hæc ſuffragia ſibi augeret. Hinc de Civitate hac tam large contra jus exteris donata accuſatus, fertur dixiſſe: *Armatus ut leges vogitem?* Verum hic præter rem non eſt Romanorum imperitiam admirari, quos ſane ſæpius iterato Conſulatus honore, ac nulla fere intermiſſione, Marium exornare pertæſum haud fuit. Fuerat quidem & Valerius Corvinus iterum Conſul. Sed inter priorem, & alterum Conſulatum quadraginta quinque interceſſerant anni. At vero Marius, vix duobus elapſis annis, ad ſecundum, nec ulla deinde facta intercapedine, ad ſextum Conſulatum pervenit. Quod ſane contra Rempublicam eſſe nemo non videt: nam qui diu cum poteſtate & imperio fuit, ad privatam vitam, atque otium ignobile haud facile remigrabit. Sed hiſtoriam proſequamur.

Dum

Dum Marius sextum Consulatum gerebat, quo magis in diem plebis gratiam aucuparetur, per seditiosum Tribunum Saturninum, qui cæde Numii Tribunatum per vim extorserat, legem Agrariam, civilium motuum segetem fœcundissimam, rogandam curavit. Sed ut nova semper Senatum inter & plebem discordiarum semina jactaret, auctor ante omnia fuit Saturnino, ut cogeret Patres ad jurandum in eam legem, quam populus jusserit. Cui tamen, licet is primus fuerit, qui, doloso quamvis in Senatu obstiterit, vix tamen agraria in comitiis lata, idem præ omnibus studiosissime assensus est, scilicet eorum oblitus, quæ in Senatu paullo ante adnisus fuerat, quum dolum & mendacium, dum e re sua esset, virtutem magis, quam vitium putaret. Itaque lege per vim & metum perlata, non obsistente Senatu, ne civilis seditio oriretur, Metellus unus inventus est, vir satis probus, & vetustæ libertatis tenacissimus, qui in eam renuit jurare, & quamquam enixe a Patribus urgeretur, ut tempori, & loco, seu potius necessitati inserviret, numquam tamen ejus mentem a proposito dimovere potuerunt; adeo ut aqua tandem, & igni a Populo interdictus fuerit. Metellus igitur, qua pollebat prudentia, morumque honestate, ratus si obniteretur, Rempublicam periclitaturam, æquo animo in exilium profectus est, pollicitus se Romam rediturum, quum civilibus defessa malis, aliquando quiesceret; sin minus, præstare sibi abesse, quam in Urbe tot civilibus quassata motibus versari. Num autem tot inter discordiarum fluctus diu res Romana perstare poterat? Certe quidem acerrimæ istæ Senatum inter & plebem dissentiones eo rem adducebant, ut undique vexata, nusquam sospes, nisi in Monarchiam, veluti tutissimum portum, paratumque perfugium, se reciperet.

§. III.

De Cornelio Sylla.

Vidimus Marium per plebis gratiam ad dignitatis auctoritatisque fastigium evectum: videamus nunc Syllam fa-

Digitized by Google

favore Patriciorum honoribus omnibus cumulatum, adeo ut Marii potentiam æmulatus sit, ac tamdem infregerit. Lucius Cornelius Sylla licet patricii Consulariſque generis eſſet, quum inter ejus majores Rufus Conſul fuiſſet, a pauperrimis tamen parentibus ortus eſt, unde objectum illud, nequaquam bene moratum dicendum, quando bonorum paternorum inops tot bona divitiaſque coacervaſſet. Sed hanc hujus familiæ paupertatis cauſſam vetuſti Scriptores tradidere, quod nempe Rufus Conſul ejectus a Senatu fuerit, quia lege obſiſtente, decem libras argenti concavi poſſideret, ex quo ſane eo inopiæ pervenit, ut uſque ad Syllam ejus progenies egentiſſima eſſet. Sed Sylla hæres deinde a pellice Nicopoli relictus, atque ab Avia materna ea ſibi bona paravit, quæ ſatis eſſent, ut ad civiles honores accederet. Hinc quæſtor datus Mario in bello Jugurtino tot tantiſque beneficiis Boccum ſibi devinxit, ut ei magis quam Mario, ut ſuperius diximus, Jugurtham tradiderit. Sed poſtquam in Capitolio, dum Marius triumphum ageret, inter viginti quatuor ſtatuas poſita illa fuit, quæ Boccum præferebat Jugurtham hoſtem Syllæ tradentem, adeo inter eum, & Marium acerbum infeſtumque odium incenſum eſt, ut ab eo uſque tempore in civile bellum erupiſſent, niſi Cimbrica arma, de quibus dictum eſt, & Socialis tumultus, de quo nunc dicendum eſt, eos deterruiſſet.

Hoc bellum illud eſt, quod Marii nomen, tot ſuperatis ante hoſtibus, imminuit. Syllæ vero mire auxit, quod ſane juvat animadvertere. Marius annis laboribuſque confectus nihil hoc in bello, quod virtute ſua dignum eſſet, adniſus eſt. Metuens enim, ne res ante præclare geſtas, partamque ſibi gloriam in diſcrimen poneret, potius ſe defendendo, quam hoſtes feriendo pugnabat, oſtenditque per id veriſſimum eſſe, Virtutem bellicam vigore pariter ac viribus indigere. Contra Sylla juvenili æſtu impellente, nullum exhorreſcebat periculum, labori nulli parcebat, ut hoſtes profligaret. Res ei feliciter ceſſit: hoſtem enim debellavit proſtravitque. Ex quo profecto factum eſt, ut victoria hæc non Mario, qui Conſul erat, ſed Syllæ ejus legato vulgo referreretur accepta.

Lau-

Digitized by Google

Laudibus his incenſus ad petendos Magiſtratus acceſſit. Sed prætoram petens voti compos minime factus plebe in Marii gratiam ex adverſo obnitente; vidit igitur ſe non niſi ſenatu favente poſſe in Republica dignitate creſcere. Quare quid mirum, ſi Populi deinceps minuere potentiam, ſenatuſque auctoritatem jam afflictam attollere pro virili conatus fuerit? Itaque animi tunc indignationem arte diſſimulans, atque aptius in tempus differens, ita ſe gerebat, ut ſecum ipſe diſcors videretur: rapere enim multa, largiri plura, honoribus afficere indignos, violenter agere, colere quorumcumque indigeret opera, ludibrio habere ſupplices, levibuſque ex cauſis aliquando mulctare, rurſus acerbiſſimas injurias æquo animo ferre, maximis criminibus indulgentiam largiri ſolebat, ut dubitaveris ſane contemptoris ne an aſſentatoris præferret ingenium: quod ſatis evincitur ex duobus, quæ inſignia quidem in hoc ſociali bello acciderunt. Saxis Albinum Prætorium virum milites in exercitu ſuo interemerunt, is autem tantam injuriam diſſimulans cauſſatus alacres ſpiritus, quibus in bello ſui mire æſtuabant; ſubditque veniam indulgentiſſime daturum, ſi majori deinceps ſtrenuitate pugnarent. Deinde quum Nonius, & Servius a ſe Populo maxime commendati repulſam in comitiis retuliſſent, exclamavit ſe gloriari, quod Populus in ferendis ſuffragiis neminem timeret. Vide hominis vaferrimi calliditatem, ejuſdem ingenii varietatem ad captandum per miras artes dominatum ſi ſors arrideret. Sed cetera perſequamur, quæ inſtituto noſtro magis apta ſunt.

Exorto jam bello Mitridatico, uterque Marius, & Sylla imperium anhelabant, videbant enim non ſolum nominis præclaram famam ex hoc bello, ſi res feliciter ceſſiſſet, ſibi conciliaturos, ſed opes potiſſimum ingentes inde allaturos, quibus per plebis militumque favorem ad ſupremam in Republica poteſtatem aſſurgerent. Attamen quia Marius majori vi pollebat per blanditias plebem perque metum ſenatum adegit, ut belli hujus imperium ſibi mandaretur. Hac de cauſa Sylla maximopere indignatus Nola, ubi morabatur, diſceſſit, militeſque ſuos in urbem immiſit. Hinc Marius urbem cædibus,

ca-

Digitized by Google

calamitatibuſque implet, Syllæ bona diripit, domum comburit, ejuſque amicos prope omnes interficit. Ex adverſo non minora mala Syllani milites, poſtquam Urbem advenere, in Marium, ejuſque aſſeclas intulerunt. Ex quo ſane peſtifero bello civili tot cædes undique percrebuere, tot incendia, ut extrema pati Urbs videretur. Sed a Sylla fortuna fuit: is enim Marium vicit, ejuſque factionem oppreſſit. Itaque aqua, & igni Marius interdictus, ut mortem effugeret confeſtim ab Urbe diſceſſit. Interim Syllæ in Mithridatem imperium demandatum; cujus cauſſa quum ab Urbe proficiſceretur, e re ſua duxit Conſulem creare, qui plebi bene eſſet acceptus, ut ejus in ſe odium aliquantulum leniret, atque ab amore Marii averteret. Cinna igitur viro maxime populari, Conſule creato, eum jurejurando adegit, ne rebus ſuis obeſſet. Sed improborum hominum quam dubia fides ſit, experientia rerum magiſtra ſatis perdocet. Statim enim ac Sylla ab Urbe diſceſſit, Conſul rebus magis ſuis, quam alienis ſtudere viſus eſt. Quare Marius cum eodem veluti fœdus ſanciens, milites ſuos ei tradidit, unde civilis diſcordia denuo exarſit. Videns igitur Sylla auctoritatem ſuam tot laboribus partam, ſi diutius ab Urbe abeſſet, per Cinnam afflictum iri, bellum Mithridaticum, percuſſo fœdere, componere ſatius duxit, quam armorum vi Regem illum profligare. Quare quam is Romam rediret, ſat conſtat, quot cædes perpetraverit, quantoque furore civium bona diripuerit. Inventa illa crudeliſſima Proſcriptione, nulli mortalium pepercit, neque parentibus, neque filiis, neque hoſpitibus, aut amicis. Quumque horum malorum haud eſſet finis, neque proſcriptorum numerus determinaretur, cuidam roganti, ut publicæ calamitati modus imponeretur, hæc reſpondiſſe fertur: *Se proſcribere quos memoria tenuiſſe contigit; eos vero, quos in præſentia delet oblivio, denuo proſcripturum.* Hinc quum in ipſam Urbem quotidie novo ſemper furore inſæviret, Plebi, Senatui, omnibuſque metum ſummum injiciens, ab iiſdem Dictaturam illam extorſit, qua tamdiu ſane uteretur, donec priſtinam quietem repararet. His igitur de hiſtoria Marii, & Syllæ delibatis, iiſque potius, quæ inſtituto tantum meo inſerviunt, enarratis,

Digitized by Google

ad eorumdem leges, suo cujusque regimini accomodatas, explicandas accedamus.

§. IV.

De legibus Marii, & Syllæ.

EX descripta jam Marii, & Syllæ historia compertum arbitror, quod regimen uterque, suis quisque rebus accomodatum, statuere voluerit. Et quidem quum Marius plebe favente, auctoritatem nactus esset, illam regiminis formam in Rempublicam inducere studuit, quæ magis ad plebis gratiam sibi captandam apta esset, nempe Democratiam mere popularem. Hinc Senatus imminuta potestate, eas rogavit leges, quæ Aristocratiam everterent. Ex adverso Sylla, quum nulla sibi spes in plebe esset, cujus studium omne erga Marium erat, e re sua existimavit Senatum colere, ejusque per Marii conatum imminutam dignitatem reparare, ut ejus gratia hujusmodi beneficiis parta rebus consuleret suis. Itaque Aristocraticam denuo formam instaurare, adeoque leges ei respondentes condere omnes suos nervos intendit. Sed præter hæc quum omnia frustra essent, nisi tranquillitas adeo turbata restitueretur; hac de causa jura etiam illa dedit, quibus Urbis securitas deinde sarcta tecta foret; de quibus omnibus singulatim agendum est.

Satis perdocuerat a prisca memoria usus, Tribunos plebis dissentiones omnes in Republica excitasse, eosque semper nova molitos. Sane Aristoteles (*a*) Magistratus istiusmodi, qui Romæ Tribuni, alibi vocabantur Demagogi, pestes ait fuisse Civitatum, quippe qui nil aliud pensi habebant, quam dolose plebem ad novas res adducere, *Partim quidem eos, qui bona habent privatim, calumniantes, conspirare eos faciunt (communis namque metus & inimicissimos conciliat) partim vero plebem in eos publice incitantes . . . nam alias quidem, ut gratificentur, Principes injuria afficiendo concitant, vel bonis æquandis,*

(a) *Lib. V. polit. cap. V.*

Digitized by Google

Ais, vel mercede muneribus publicis instituenda ex vectigalibus: alias vero ut divitum bona publicare possint calumniando. Quæ profecto omnia mala satis experta fuit Romana Respublica; quum ii præsertim, qui ad summum imperium adspirabant, quos inter fuit Marius, per has illecebras, Tribunis faventibus, plebem in Patricios incitarent.

Consultissime igitur Sylla ad infringendam Tribunorum potestatem legem tulit, ne Tribunis jus legum ferendarum esset, neve iisdem fas esset concionari ad Populum. Insuper eorum vetuit Intercessiones, impetravitque, ne ii Tribunatu defuncti civile munus capesserent, aut Senatores essent (*a*). Itaque Sylla Tribuniciam potestatem ad suam originem revocavit, nempe ad arcendam a plebe injuriam, abrogatis iis omnibus, quæ a Patribus, seditionibus ingravescentibus, olim per vim extorserant. Qua de re Cicero sic Syllam commendat (*b*): *Vehementer se probare Syllam, qui Tribunis plebis sua lege injuriæ faciendæ potestatem ademerit, auxilii ferendi reliquerit.* En igitur Senatui auctoritatem, cum imperio jam a plebe usurpato, restitutam. Ex adverso videre est Tribuniciam potestatem omnino labefactatam: nam quum Tribunis jus ademptum esset ferendi leges, concionandi ad Populum, intercessionibus utendi, procul sane metus erat, ne concionibus suis, scitisque turbas cierent, regimenque Urbis inverterent: prohibito autem quominus Tribunus nova dignitate exornaretur, factum est, ut contemptui esset hic Magistratus, nèc quis majorum gentium eum optaret. Itaque Tribuni quum neque genere, neque auctoritate pollerent, qui novas res moliri poterant?

Quinetiam ad summam illam Populi potentiam infringendam legem condidit, ne mancipiis jus Civitatis amplius esset, utque iisdem adimerentur agri, quod testatur Cicero (*c*). Nam, ut viris politicis visum, nil magis ad movendas seditiones, atque ad plebis augendam potestatem in suf-

(a) *Flor. lib. 3. Appian. lib. 1. de bello civil.*
(b) *De legib. lib. 3. cap. 9.*
(c) *Pro domo sua cap. 33.*

Digitized by Google

fragiis est, quam exteris Civitatis jus dare. Et quidem quum fieri nequeat, ut leges peculiares alicujus Civitatis ceteris omnibus congruant, quæ sane moribus ingenioque cujusque gentis aptæ esse debent; hinc eædem omnibus communes in dissentionem, & tumultus profecto erumpent. Hac de causa tunc præsertim in Romana Republica increbuisse motus legimus, quum Italiæ Civitas Romana data est. Neutiquam enim Romanæ gentis leges, ejusque politia poterat moribus totius Italiæ accomodari. Hinc, ut diximus, suscitatæ sunt discordiæ, perque eas audacia plebis grassata est, auctaque potentia, quæ per dissentiones sane augescit. Hinc ii, qui dominandi cupiditate flagrabant, toti erant in exteris civitate donandis: nihil enim facilius est, quam bonorum copia suffragia novorum Civium, eorumque a Republica plerumque dissentientium captare. Itaque Sylla Civitatem a Mario municipiis datam adimendo, suffragiorum numerum plebi ademit, illiusque potentiam minuendo, pristinam Senatui auctoritatem restituit.

His accedunt binæ illæ ejusdem leges, quibus omnino pene concidit plebis potestas. Altera quidem, qua creandorum Sacerdotum jus a Populo ad eorumdem, ut olim, collegia transtulit; altera vero qua judicia ab Ordine Equestri denuo Senatui reddita sunt. Et quidem neminem præterit, quantam vim apud Romanos Religio ad regimen civile haberet. Quum enim nulla apud eos res, nisi auspicato, fieret, mirum est quantum Romæ Sacerdotes possent; quippe qui de Cælo servando facta omnia infecta ad libidinem faciebant. Hinc sane contentiones illæ acerrimæ inter plebem, & patres, ut sacrorum potestatis & ipsa particeps fieret. Neque minoris pretii erant publica Judicia, idque sane mirifice ostendit prima Prætorum institutio. Etenim quum plebs a Patribus conatibus omnibus Consulatum tandem extorsisset, nempe ut Consulum Patricius alter, alter vero plebejus esset; nihil illis ad reparandam Senatus afflictam auctoritatem præsentius visum est, quam ex Patriciorum ordine Prætorem creari, qui, quod olim Consulum munus erat, jus redderet. Hinc Sempronius Graccus, quum plebis vellet augere auctoritatem, hoc sane ad

rem

Digitized by Google

rem appositissimum existimavit, judicia scilicet a Senatu ad ordinem Equestrem transferre. Quo quidem per Grachorum seditiones constituto, adnisi deinde Patres, ut saltem ex Senatorio ordine æque, ac Equestri judices legerentur. Quare Drusi Tribuni gratiam ineuntes, legem hanc per eumdem rogari obtinuerunt, ut ex æquo judicia penes *Senatum*, *& Equestrem Ordinem essent; ex Equestri Ordine trecenti ad Senatorum numerum adderentur; singulique Senatores sibi quemquam Senatorem Equitem legerent, atque ex his omnibus in posterum decuriæ Judicum legerentur* (*a*). Igitur quum Sylla judicia restituisset Patribus, apparet profecto Populi potestati maxime detractum, Senatusque auctoritatem per eumdem mire auctam.

Ex quibus omnibus ratio proditur, cur bene multæ a Sylla de judiciorum ordine leges latæ sint; quis nempe, quaque ætate judex esse possit; quinam vel contendentium alteri infensus, vel sanguine junctus, vel beneficiis obstrictus, ut suspectus habeatur, judicandique potestate cadat: ne scilicet judicia, quæ publicæ tantum tranquillitati inserviunt, privati commercium evadant. Palam etiam hinc fiet, qua de causa Quæstiones perpetuas constituerit, nempe de parricidiis, de sicariis, de falso, aliisque. Quum enim, ut diximus, judicia ab Ordine Equestri Senatui restituisset, par æquumque eidem visum, illorum formam præscribere, ordinemque statuere, ut in omnibus sapienter se gessisse videretur. Sed de Quæstionibus perpetuis diligentius est inquirendum, quum ex interpretibus pernoverim neminem, qui earumdem causas vestigare curaverit, cur nempe Sylla, vetusto more abrogato, quo ad plectendum criminis reum Populus judicem quæstionis creabat, voluerit his quæstionibus dirimendis proprios peculiaresque quolibet anno Prætores constitui. Est enimvero id aliquantulum obscurum, nisi ex vetusta Romanorum judiciorum ratione aliqua, quæ hic opus sunt, repetamus.

Reges olim de criminibus cognovisse, compertum est omnibus; iisque exactis, ad Consules ea judicia translata docet

(a) *Appian. lib. 1.*

Digitized by Google

cet Livius, qui Brutum Consulem filii perduellionem judicasse scribit. Sed sub Valerio Poplicola consuetudo alia invecta est. Quum enim is legem illam de provocatione ad populum adversus magistratus tulisset, factum deinde, ut publicis quæstionibus præessent, quos Populus præesse juberet; eosque, quia rerum capitalium causis creabantur, appellatos *Quæstores parricidii* Festus tradit. Hinc patrato crimine, usus fori erat, ut per Senatus decretum Tribuni de eo ad Populum referrent, hac formula a Livio nobis tradita (a): *Velitis, jubeatis, quæratur quæ pecunia capta, ablata, coacta ab Rege Antiocho est, quique sub ejus imperio fuerunt: quod ejus in publicum relatum non est, uti de ea re Ser. Sulpicius Prætor Urbanus ad Senatum referat; quem eam rem Senatus velit quærere de iis, qui Prætores nunc sunt?* Itaque plebe suffragante vel Dictatori, vel Consuli, vel Prætori mandabatur a Senatu, ut de crimine jus diceret. Ex quo sane patet, cur jus animadvertendi in facinorosos homines *merum imperium* appellatum sit: non enim id ex vi ordinariæ potestatis exercebatur, neque cum jurisdictione conjunctum est; quum Magistratui, cui jam ordinaria potestas concessa erat, pro tempore mandaretur. Huic Quæsitori, sive Dictator, sive Consul, sive Prætor esset, Judices assidebant, qui initio ex ordine Senatorio legebantur, deinde ex Equestri lege Sempronia, postmodum vero ex tribus ordinibus, nempe Senatorio, Equestri, & Plebejo, ex lege Plautia Silvana. Porro autem Sylla quum Equestrem, ac Plebejum a judiciis submovisset, id quoque e re sua existimavit, vetustam consuetudinem de criminibus vindicandis immutare, tum ut istiusmodi judiciis soli Patricii præessent, tum etiam ne antiquæ libertatis, cujus gratia in criminibus ex Poplicolæ institutione ad Populum provocabatur, maneret vestigium. Itaque ille quum instituisset quæstiones perpetuas, certos nempe Prætores, qui de criminibus judicarent; opus amplius non erat referri ad Populum, ut Quæstores infligendæ pœnæ darentur. Hæc profecto causa fuit perpetuarum quæstionum, quum uno eodemque tem-

(a) *Lib. 38. cap. 34.*

Digitized by Google

tempore, anno ſcilicet ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſecundo utraque lex perlata ſit, & de judiciis, & de quæſtionibus perpetuis, quæ adeo ſe invicem amplectuntur, ut altera ſine altera cohærere nequeat.

Poſteaquam Sylla plebis labefactavit auctoritatem, bona etiam illius imminuere ſtuduit. Quare leges agrarias abrogavit, invexitque peſſimum illud proſcriptionis exemplum, quo in vitam, ac libertatem civium debaccharetur: qua de cauſſa exclamavit Parterculus (*a*): *Primus ille, & utinam ultimus exemplum proſcriptionis invenit.* Sic enim plebe & poteſtate, & bonis exuta, minime deinceps eamdem adſurgere ratus eſt. His peractis, animadvertit, ex nimia auctoritate in Senatum collata, facile poſſe quem caput attollere, & Principatum intercipere, quem ipſe ſibi parare ſtudebat: pervulgatum quippe Politicorum hominum effatum eſt, non adeo Ariſtocratiam extollendam, ut ratio nulla plebis, vel medii ordinis habeatur; quum ex hoc facile fiat, ut vel plebs ob contemptum ſeditiones cieat, quibus Reſpublica ex Ariſtocratia in Democratiam concidat; vel Patrum quis dignitate, & ſuperbia elatus Monarchiam affectet. Quapropter merito hæc ſcripſit Ariſtoteles (*b*): *Multæ Oligarchiæ ab iis, qui in Republica indigne ferant, ſunt everſæ, ea quoque de cauſſa, quod nimis eſſent heriles, ut Oligarchia Gnidia, & Chia.* Quæ ſane cauſſa fuit, quapropter & inſequentes leges Sylla condiderit.

Majeſtatis crimine teneri voluit, ſi quis injuſſu Populi, aut Senatus exercitum duceret, ſuaque ſponte bellum gereret: ſatis enim ipſe expertus erat, ſe poteſtatem nactum, quia injuſſu Senatus exercitum contra Marium habuerat. Cavit etiam, *Ne quis Præturam, neque Conſulatum ante Præturam, neve eumdem Magiſtratum, niſi interjecto decennio gereret* (*c*). Nam viderat diuturnos honores, ſine intermiſſione uni concreditos, magnam vim habere ad ſupremum dominatum, ut procul dubio in Mario contigit. Demum ſtatuit, ut ii, quibus

(a) 2. 28.
(b) *Politic. lib. V. cap. 6.*
(c) *Appian. lib. 1.*

Digitized by Google

bus poſt Magiſtratum ex S. C. imperium eſſet prorogatum, illud non minori jure, quam proconſulari, donec in Urbem revertiſſent, tenerent, etſi lex curiata non eſſet lata; utque Magiſtratibus triginta dies ad decedendum e Provincia præſtituti eſſent (*a*). Atque hæ ſunt Syllæ leges, ne ex Patriciis quis ad dominatum ſupremum in illa tam effreni Ariſtocratia aſſurgeret.

Itaque conciſa Populi potentia, Senatuſque reparata priſtina auctoritate, reliquum erat, ut publicæ quieti tot tantiſque turbis vexatæ tamdem conſuleret. Primum omnium, ut ſupra diximus, quæſtiones perpetuas de maleficiis inſtituit, quas meum non eſt exponere, quum id vulgo ab interpretibus ſatis peractum ſit, quos conſule. Nolim tamen prætermittere, non ideo has quæſtiones fuiſſe a Sylla inſtitutas, quaſi antea iſtiuſmodi flagitia pœnarum effugerent ſeveritatem; ſed quia Urbe dudum civilibus diſcordiis turbata, atque foro per triennium ſub Cinna ſilente, criminum licentia eo increbuerat, ut jus prope obliteratum videretur. En quæ de his Cicero ſcripſit (*b*): *Lex Cornelia teſtamentaria, nummaria, ceteræ complures, in quibus non jus aliquod novum in Populum conſtituitur, ſed ſancitur, ut quod ſemper malum facinus fuerit, ejus quæſtio ad Prætorem pertineret ex certo tempore.* Velim etiam advertas, pœnam legis Corneliæ, ſive Majeſtatis, ſive de parricidiis, ſive de falſo, interdictionem aqua, & igni fuiſſe, idque attendendum, ne in errorem quem inducat Tribonianus, affirmans, hoc genus criminum *eſſe amiſſionem animæ, & memoriæ damnationem*. Et quidem hoc erat in more Principibus, ut in antiquis legibus inſtaurandis priſca pœna ſervaretur; & ſi quando aſperiori ſententia opus eſſet, eam ſic adjicerent, quaſi ab ipſamet vetuſta lege irrogatam.

Syllanarum legum expoſitioni finem facere ſtatueram: ſed quoniam in facinoroſorum crimina incidimus, & locus inſignis de torquendis reis hic occurrit, de eo quædam brevi diſſerere non pigebit, maxime vero, quia ab hodierno fori uſu

(a) *Cicer. lib. 1. epiſ. 9.*
(b) *In Verrem.*

Digitized by Google

uſu ſævities iſthæc adhuc non exulat. Iſtiuſmodi per tormenta quæſtionem, ad veritatem in criminibus eruendam, a Sylla primum inventam, nos minime ſinit dubitare Cicero. Hic enim quum in oratione pro C. Rabirio eam memoret, quæ ſane fuit anno ſexcenteſimo nonageſimo habita, antequam ſcilicet Cæſar ad ſupremum poteſtatis faſtigium attolleretur; manifeſte docet, non aliunde tam immanis probationis originem, quam a Cornelio Sylla repetendam. Præ omnibus pernoſſe noſtra refert, an torquendi reos conſuetudo æquus modus ſit, atque, ut jactant, compendiarius ad veritatem indagandam. Sane ſi noſtri Pragmatici hiſtoriæ Romanæ rudimenta ſaltem primoribus labris deguſtaſſent, vix, aut ne vix quidem tormenta aptum veſtigandæ veritatis modum credidiſſent, quum inde ſatis intelligerent, a quo illa inventa fuerint, & quorſum intenta.

Videamus, quæſo, quid de iis Cicero in oratione pro Sylla ſentiat (a). *Quæſtiones* (ait) *nobis ſervorum, ac tormenta accuſator minitatur: in quibus quamquam nil periculi ſuſpicamur, tamen illa tormenta gubernat dolor, moderatur natura, cujuſque tum animi, tum corporis, regit quæſitor, flectit libido, corrumpit ſpes, infirmat metus; ut in tot rerum anguſtiis nihil veritati loci relinquatur*. Quid quæras amplius? Sed ne putes eum ſic loquutum, ut cauſſæ inſerviret, ex his advertas, quam peſſime Sylla de libertate Romana meritus ſit. Vetitum etenim ab uſque Valerio Poplicola, ne cives verberarentur; juſque præcipuum civis erat, ut eſſet immunis a verberibus: quod ſi morte naturali, vel civili puniendus reus eſſet, fingebant, priuſquam pœna infligeretur, ſervum pœnæ eſſe, ut in eum non tamquam civem, ſed veluti ſervum pœna caderet. Vide igitur hominis ingenium, qui Cives uti ſervos habuit; ex adverſo milites, qui forte ab hoſtibus caperentur, quum revera ſervi eſſent, liberos finxit, perlata lege, ut eorundem teſtamenta rata eſſent, quaſi ſi mortui Romæ fuiſſent, antequam in hoſtium manus incidiſſent. Sane militari opera indigebat Sylla, cujus ope in dominatione eſſet. Prodita igitur

(a) *Cap.* 28.

Digitized by Google

ratione fictionis legis Corneliæ, porro rem perſequamur.

Præ omnibus rationibus ex ipſa re petitis, propemodum eſt iniquus æque, ac fallax veritatis inquirendæ modus Quæſtio. Et quidem, quod ſpectat ejus iniquitatem, abhorret prorſus a naturali æquitate, quemquam cruciari antequam conſtet nocentem eſſe: quum plerumque judex torqueri reum jubeat, quando non adhuc ei exploratum eſt, an ille reus ſit, nec ne. At vero Pragmatici ipſi uno ore fatentur omnes, *In pœnalibus probationes luce ipſa meridiana clariores. eſſe debere*. Qui ergo hic pœna infligitur, quum adhuc, an peccatum ſit, neſcitur? Si autem tentamenti levitatem inſpiciamus, quem latet, gladiatoriam corporis firmitatem maxime inter tormenta ipſa ad mendacium prodeſſe, infirmitatem autem obeſſe veritati? Cur ad inquirendam veritatem modus adhibetur, qui non tam in poteſtate Judicis, quam carnificis ſit? Non ne is etiam, ſpectante judice, omnibus illudens omnia pervertit, & pecuniæ inſerviens, eos quidem, unde nihil ſperat, acerbe cruciat, cum aliis vero, a quibus lucelli aliquid expectat, mitius agit? Ad hæc poſtquam inter tormentorum cruciatus confitentem reum peregeris, perſuaſum ne tibi erit, nocentem damnaſſe? Anceps profecto adhuc eſt, an crimen patraverit, qui verberum, & cruciamentorum metu confeſſus fuerit. Videas hinc quam parce prudentes Judices quæſtionibus per tormenta uti debeant, quando & per ſe parum æquæ ſunt, & eruendæ veritatis fallaciſſimæ cenſeantur rationes. Unde jure merito ſic ait Cicero: *Miſera eſt ignominia judiciorum publicorum, miſera multatio bonorum, miſerum exilium: ſed tamen in omni calamitate retinetur aliquod veſtigium libertatis: mors denique ſi proponatur, in libertate moriamur: carnifex vero, & obductio capitis, & nomen ipſum crucis abſit non modo a corpore civium Romanorum, ſed etiam a cogitatione, oculis, auribus. Harum enim omnium rerum non ſolum eventus, atque perpeſſio, ſed etiam conditio, expectatio, menſio ipſa denique indigna cive Romano, atque homine libero eſt.*

§. II.

Digitized by Google

CAPUT II.

De progreſſu Romanæ Monarchiæ.

§. I.

De Pompejo Craſſo, & Cæſar.

JUre merito Ixionis fabulam Poetæ inanis vanæque gloriæ cupidis aptarunt. Nam ſicut ille Junonis inflammatus amore, dum eam amplecti putaret, vacuam nubem ſub Junonis imaginem apprehendit, unde monſtra Centauri orta ſunt; ita & illi, qui futilem gloriam, externamque honorum ſpeciem, quaſi virtutis imaginem, perſequuntur, nihil ſincerum, nihil virtute dignum, nihil ſibi conſentiens nanciſcuntur; ſed affectibus variis involuti, modo has, modo illas turbas ſectantes, in eumdem incidunt ſcopulum, ad quem Sophoclis bubulci offendiſſe ingemebant, ſic dicentes:

Nam his ſervimus nos, domini ſimus licet.
Eſtque auſcultare neceſſe vel ſilentibus.

Itaque in gerenda Republica, qui publico bono minus conſulunt, ſed ſibi ſtudentes, quo ſpecioſam ſibi dominationem pariant, ambitu, largitionibus, prehenſationibuſque gratiam captant, multorum fiunt ſervi, licet nomine tenus glorioſis titulis ornentur. Sed non ita vir probus ad rempublicam accedit: is enim non intus ſibi, ut dici ſolet, canens, ſed omnia ad communem intendens utilitatem, ex honoribus eam gloriam comparare ſtudet, quatenus per eamdem majorem fidem, & auctoritatem ad res gerendas nanciſcatur. At quorſum hæc tam alto repetita principio? Scilicet ut oſtendam, Duumviros illos Reipublicæ vultures, Cæſarem inquam, & Pompejum, qui tanta aviditate Rempublicam Romanam appetiverant, quum ſibi magis conſuluiſſent, quam publicæ utilitati, non veram ſolidamque gloriam aſſequutos, ſed ignominiam potius, ac infamiam tuliſſe: atque hac extorta dominatione, Republica quaque verſus dilacerata, ignominioſam ſibi tandem mortem comparaſſe. Atque id eſt, de quo mox dicendum.

Marianis opibus fractis, plebis potentia imminuta, Se-

Digitized by Google

natuſque auctoritate adaucta, fore ſperabat Sylla, ut procul in poſterum a Republica eſsent motus civiles. Sed contra accidit: vix enim is è vivis eſt ſublatus, quum turbæ, diſcordiæque recrudeſcere viſæ ſunt; atque adeo increbuerunt, ut publica quies non niſi ſub Auguſto tamdem reſtituta fuerit. Et quidem quum Sylla Dictaturam perpetuam arripuiſſet, licet deinde ea ſe abdicaſset, peſſimum tamen reliquit exemplum, quo poſse Rempublicam unius dominatui ſubjici, experientia perſpectum eſt. Hinc alii deinceps alia via graſsati, eo magis, quod per Ariſtocratiam ab eodem inſtitutam facilior ad dominationem pateret acceſsus: atque huc rem adduxere, ut ad publicam quietem comparandam, Monarchia tandem omnibus in voto eſset. Tantum igitur abeſt ut Syllæ conſilia Reipublicæ proſpexerint, ut campum magis novis & acerbioribus diſſidiis, per formam a ſe inſtitutam, aperuerit.

Duo erant Syllæ hoſtes acerrimi, Marius junior alter, alter vero Papirius Carbo. Sed Marius poſt varias clades acceptas, fugam ex Italia arripuit, reſque ſuas videns deturbatas, quamplurium adoleſcentium Romanorum ſanguine ad placandos patris manes crudeliter effuſo, ſeipſum tandem interemit. Papirius vero in Siciliam fugiens, atque a Pompejo victus, occiſus eſt, ejuſque caput abſciſſum ad Syllam miſſum. Quod ſane adeo acceptum fuit ei, ut ampliſſimis deinde beneficiis Pompejum cumulare maxime adniſſus fuerit. Ecce tibi, unde Pompeji magni potentia exorta fuerit. Sed juvat hic videre, quas ille rationes inierit, quamque inſtiterit ſemitam, ut ad ſupremum prope dominatum aſſurgeret: quod quidem quum minime explicari poſſit, niſi rem per cauſſas ſuas expendendo, det lector veniam, ut de his nonnulla diſſeramus.

Quum Sylla triſtis exempli per Dictaturam perpetuam auctor fuerit, poſt ejus mortem non defuere, qui eumdem imitari modis omnibus exoptarint. Marcus Lepidus Conſul toto conatu adniſus eſt, Marianam factionem propemodum labefactatam, in plebis gratiam denuo ſuſcitare. Sed quum ejus collega Catulus tum cauſſa ſervandæ Reipublicæ, tum maxime memor, quod pater ejus Marii juſſu interfectus fue-

Digitized by Google

fuerat, ſtrenue obſtetiſſet, nova deinde diſſidia, quæ miſere infeliciterque Urbem dilacerarunt, orta ſunt. Auxerunt ea Piraticum bellum, & Sertorii defectio in Hiſpaniis, qui maximo ſtudio, ac mira ſtrenuitate partes Marianas ſuſtinebat. Sed quum adverſus eum injuſſu Senatus ſe contuliſſet Perpenna, deficientibus militibus ſe Sertorio dare coactus eſt: quare adjecto ſibi Perpennæ exercitu, mirum quantum Sertorii vires increbuerint.

Adeo autem id exterruit Senatum, ut a Pompejo ſalutem expoſceret. Itaque eum Imperatorem legendum cenſuit, cujus ductu, atque auſpiciis bellum cum contra Piratas, tum adverſum Sertorium, cujus militarem peritiam, ſtrenuumque robur ſat ſuperque pernoverat, ſuſciperetur. Profectus igitur eſt ad Sertorii vires infringendas Pompejus, atque in Hiſpaniis tanta ſe animi præſentia geſſit, ut inter tot fortunæ viciſſitudines, modo victus, modo victor, tandem poſt improbos exantlatos labores, Sertorium debellarit. Hoc confecto bello, rediit Romam, ubi contra Piratas accepit imperium, & tantum quidem, ut ex Senatoribus quidam obſtiterint, veriti ne tyrannidem ea auctoritate elatus appeteret. Enimvero jus ei, toto qua late patet mari, ad Herculis uſque columnas, atque in terra per quadringenta ſtadia, datum eſt. Utque quotquot milites vellet, ad bellum cogeret, pecuniamque, quantam cenſeret opus eſſe, acciperet, neque ejus Senatui rationem reddere teneretur. Quod profecto ampliſſimum imperium Catulo, merito inviſum, ne via ad ſupremam dominationem pateret: quapropter in Senatu, *Non debere*, inquit, *uni alicui viro tot imperia, unum ex alio, committi; quod & leges hoc prohibent, & experientia deprehenſum eſt, rem eam eſſe periculoſiſſimam. Neque enim Mario alia cauſſa fuit, cur talem ſe ſe gereret, quam quod brevi admodum temporis ſpatio tot bellorum adminiſtratio ei credita ſit, Conſulatus ſexies intra pauciſſimos annos mandatus eſt: neque Syllæ quam quod poſteaquam multis annis abſque ulla intercapedine exercitibus præfuiſſet, Dictator poſtea, ac deinde Conſul creatus fuit. Ea quippe eſt natura animorum humanorum, ut non juvenes modo, verum etiam ætate provectiores, poſtquam multum temporis*

in

in poteſtate tranſegerint, patriis moribus haud quaquam ſibi vivendum ducant (*a*). Sed incaſſum id querelarum, quum imperium hoc infinitum Pompejo per Populum, qui eum ſummopere amabat, demandatum tandem fuerit. Ex quibus apparet ut ſenſim, ac veluti per quoſdam gradus Romana Reſpublica ad Monarchiam delabatur.

Sed & alii uno prope, eodemque tempore in Rempublicam inſurrexerunt, furens ſcilicet Catilina, & ſeditioſus Rullus Tribunus plebis: qui quamvis ambo eodem intenderent, alius tamen alia graſſabatur via. Catilina enim aperta conjuratione ſe protulit, Rullus autem per tranſverſos veluti cuniculos, per largitionum lenocinia ſibi plebem ad evertendum Civitatis imperium trahebat. Itaque hic legem agrariam, ſeditionum omnium latiſſimum campum, rogavit, nempe ut egentibus ex plebe ea prædia diſtribuerentur, quæ in Conſulatu Syllæ, & Quincti Pompeii parta fuerant Reipublicæ; atque ad id peragendum decem ſtatuerentur Cives, quibus ob rei curam & laborem daretur pecunia ex publicis vectigalibus redacta, quæ penes publicanos adhuc exiſtens, non dum ad Reipublicæ ærarium illata erat: ex quorum tamen numero Pompejus, uti abſens, arceretur, ſed revera quia metuebat, ne per hanc partitionem plebi jucundiſſimam, gratiam ejus ſui nominis dignitate ſibi captaret. Addiderat legi, ut decemviri aſſignandis agris, colonias etiam ſine Senatus auctoritate deducere quas vellent, poſſent. Sed inter eos principem ſe conſtituit, quo facilius ipſe ad ſupremum dominatum, quem adſpirabat vehementer, graſſaretur. Quantum autem duæ iſtæ Reipublicæ partes Senatum vexarint, dici vix poteſt. Catilina enim ingentem adoleſcentium nobilium catervam, tam pacis, quam belli artibus clarorum ſibi illexerat; Rullus autem plebem maxime ob rerum anguſtias, in quas ob Syllanas proſcriptiones inciderat, afflictam ad res novas induxerat. Sed Cicero ſumma, qua valebat, prudentia, atque eloquentia, utrumque mire evertit.

Sed quid? Dum ſeditio aliqua ſedabatur, aliæ, atque aliæ ſtatim, veluti monſtruoſa exectæ hydræ capita, in ſummam

(a) *Dio Caſii lib. 36.*

Digitized by Google

mam Civitatis perniciem oboriebantur; adeo turbata ac perversa cuncta erant in Repub.. Alii enim honores omnes civiles, militaresque sine intermissione, tamquam hereditario jure, sibi vindicabant; Consulatumque vicissim, ac munera bellica per Provincias sibi deferebant: alii militum gratiam tum largitionibus, tum disciplinæ militaris remissione & indulgentia aucupabantur: alii demum infinita pecunia sibi, vel iis, quos ad honores attollere e re sua existimabant, populi suffragia coëmebant. Ceteri vero, qui veluti derelicti carebant honoribus, huc illuc discurrebant, plebem in Magistratus, tamquam eos, qui per omne nefas honores omnes sibi abriperent, concitantes, ut hac via & ii ad imperium eveherentur. Has inter tempestates fluctuante Republ. Cives boni libertatisque studiosi, Cicero, Cato, Catulus, aliique extremum excidium videntes, querebantur in paucorum numero magistratus versari, ægreque ferebant immensas eorumdem divitias, quibus exercitus sibi alliciebant; indignabantur demum, potentiores Civitatis non intermissos gerere magistratus. Sed frustra ejulatus isti: siquidem ad occasum jam vergebat Romana libertas. Redeamus igitur in viam.

Maxima Pompejus pollebat auctoritate. Quum enim Imperator, antequam prope miles esset, lectus fuerit, mirum quantam ex tot devictis hostibus gloriam sibi paraverit. Is felix semper in rebus gerendis, omnes tres terrarum partes Reipub. subjecit: Carbonem, & Cinnam, antiquos Marii socios in Italia, Sertoriumque virum strenuum in Hispania profligavit, Domitium in Africa devicit, in Asia demum Mithridatem, & Tygranem, quos per tot annos fortissimi quique Romanorum superare non poterant, brevi prostravit. Post tot igitur, tantaque feliciter confecta bella, ea gloria clarus, quæ vix Cœlo capi posse videtur, in Urbem rediit. Hic autem quum tot triumphis, quot oræ terrarum erant, esset ornatus, videre est, quam vitæ consuetudinem servaverit. Perraro domo prodibat: si quando vero palam efferebatur, is erat Civium obsequentium comitatus, ut inter plaudentium turbas Principis incessus videretur. Itaque honoribus his elatus contemnebat omnes, neminemque sibi parem patiebatur. Jam

vero,

Digitized by Google

vero, obſecundante licet univerſa fere Civitate, non paucos tamen inter Cives ipſos nactus eſt inimicos, quorum ſane princeps ibat Juljus Cæſar, quem ſane, ſi ceteros ſperneret, parem virtute renuere non debebat.

Cajus Julius Cæſar ex gente nobiliſſima ortum duxit. Nulli hic & civilibus rationibus, & militari ſtrenuitate, & animi præſentia, erat ſecundus, adeo ut per ea maxime libertati Romanæ periculum creaverit. Syllæ, & Marii exemplum imitatus, omnia huc referebat, ut Imperium Romanum ſibi uni ſubjiceret. Sed conſilium ſuum iis artibus, eaque animi ſolertia obtegebat, ut non niſi clanculum & furtim ad Principatus dignitatem obrepſerit. Sylla defuncto, ad Rempub. primum acceſſit, ac Ædilis factus incepit honores gerere. In hoc autem munere, quantam in ſpectaculorum magnificentia pecuniam profuderit, ut plebis gratiam captaret, mirabile quidem eſt: id enim in animum induxerat ſuum, plebem colere quam maxime, cujus favore ad poteſtatis faſtigium perveniret. Hinc recte Syllam ornatiſſimis viris pro Cæſare deprecantibus, reſpondiſſe ſcripſit Tranquillus: *Vincerent, ac ſibi haberent, dummodo ſcirent, eum, quem incolumen tantopere cuperent, quandoque optimatium partibus, quas ſecum ſimul defendiſſent, exitio futurum: nam Cæſari multos Marios ineſſe*. Neque Cæſaris in ſolam plebem ſtudium fuit: unicuique enim, ſive Patricius, ſive plebejus eſſet, indulgebat, dummodo e re ſua cenſeret: *Libertos inſuper, ſervuloſque cujuſque, prout domino, patronove gratus quis eſſet, colebat*. Maxime vero, ut diximus, plebem ſibi devincere nitebatur; utque ſua dominandi cupiditas lateret, hanc offam objecit, ideo ſe Marianas, Cinnanaſque partes jam dejectas revocare, quod neceſſitudo impelleret, quum Marius ſibi patruus, Cinna gener fuiſſet. Hinc ſane ut plebi illuderet, quum eſſet Ædilis, atque ædificia pro munere curaret, Marii ſimulacrum ab elegantioribus artificibus faciendum, idque publice in excelſo ponendum voluit. Quare accuſatus tanta ſe geſſit dexteritate, ut fuerit tandem a Judicibus abſolutus. Parta autem ex hoc non minima plebis gratia, ad alia mentem convertens, legem rogavit, qua a Sylla proſcripti in Urbem re-

Digitized by Google

redirent, avitorumque bonorum ſucceſſio eiſdem, nulla legum Syllanarum habita ratione, utpote a Tyranno latarum, deferretur. Quæ ſane res quum benevolentiam maximam ei conciliaſſet, civiumque numerum, qui ſibi ſuffragarentur, auxiſſet, non dici poteſt, quantum profuerit ad Senatus auctoritatem, quam in dies creſcentem ſentiebat, infirmandam. Sed ad reliqua pergamus.

Ædilis honore perfunctus, Præturam geſſit, atque in Hiſpaniam miſſus; ubi quum mira celeritate hoſtes ſuperaſſet, ingentemque pecuniæ vim cepiſſet, eam Romæ bene de ſe meritis profuſiſſime largitus eſt. Verum qua ſolertia pollebat, proſpiciens non tutum ſibi præſidium plebem eſſe (adhuc enim erat luctuoſum Gracchorum exemplum, qui ante ejuſdem plebis, quam maxime colebat, oculos interfecti fuerant) & Senatus ſtudia ſibi captare tandem adniſus eſt. Erat autem ampliſſimus ordo duas in partes diviſus, quarum alterius princeps erat Pompejus, qui ſane auctoritate ceteros antecellebat, alterius vero Craſſus, qui præ civibus omnibus divitiis affluebat. Cæſar igitur ita ſe geſſit, ut data occaſione, modo huic, modo illi blandiretur. Utriuſque jam gratia inita, Conſulatum obtinuit, quo in munere quomodo rebus conſuluerit ſuis, animadvertendum eſt. Licet collega ejus foret Bibulus, omnia tamen ipſe unus expediebat, *ut nonnulli urbanorum, quum quid per iocum teſtandi gratia ſignarent, non Cæſare, & Bibulo, ſed Julio, & Cæſare Coſſ. actum ſcriberent*. Itaque quum Rempublicam pro ſuo arbitrio adminiſtraret, quo Populi voluntatem ſibi ad futuram majeſtatem, quo tendebat, alliceret, *Campum Stellatem majoribus conſecratum, agrumque Campanum ad ſubſidia Reip. vectigalem relictum, diviſit extra ſortem, ac viginti millibus Civium, quibus terni, pluresque liberi eſſent. Publicanos remiſſionem petentes, tertia mercedum parte relevavit, ac ne in locatione novorum vectigalium immoderatius licerentur, propalam monuit. Cetera item, quæ cuique libuiſſent, dilargitus eſt, contradicente nullo*. Vide hominis ſolertiam: is enim per agrorum diſtributionem plebis favorem aucupatur; per mercedem publicanis remiſſam, eorum gratiam init; ceteriſque bona profundendo, omnium

Digitized by Google

benevolentiam ad Principatum captandum contrahit, quum & plebs, & publicani maxime contra Senatum, si quando is votis suis non responderet, valerent.

Hinc profecto Senatus, cum Pompejum, & Crassum, tum Cæsarem ipsum ægre ferebat, quum summa rerum penes eos esset, ac pro se quisque ad communem libertatem evertendam intenderent. Sed præ aliis omnibus Cæsari infensus erat: Crassus enim potentia sua fortunarum copiam inhiabat; Pompejus hostium devictorum, Regnorumque Romanæ Reipub. sua virtute subjectorum memor, externam honorum speciem appetebat. Cæsar vero majora intentans, ad supremam consiliis suis dominationem adspirabat. Sed eo tandem per conquisitam Crassi, Pompejique amicitiam pervenit, ut eorum partes, iisdem minime advertentibus, ad se mirifice traxerit. Itaque omnibus fere Patribus Cæsari faventibus, id demum curatum est, ut Pompejus, & Crassus a Populi benevolentia averterentur, ipseque unus in ejus sinu gestaretur. Quod ut assequeretur, miro artificio usus est. Quum enim vulgo pernotum esset, quanta Senatus indignatione legem suam agrariam prosequeretur, vulgo induxit, ut crederent, Pompeji, & Crassi opera, qui Optimatium Principes erant, id accidisse. Quare quamvis deinde ii legi ferendæ assensi fuerint, uni tamen Cæsari Populus eam acceptam retulit, illosque in posterum, ut commodis suis invidentes, aversatus est. Sed ut vulgi magis animos sibi confirmaret Cæsar, rogavit etiam, ut insequentes Consules in legem jurarent: parum enim imperium suum curaturam plebem ratus, si lex illa abrogaretur, qua adeo sibi eam devinxerat. Post Consulatum imperium Cæsari per quinquennium in Galliam, & in Illyricum datum est. Crassus vero in Syriam missus, provinciam opibus affluentem, atque a se exoptatam, & Pompejo utraque Hispania demandata: quam sane, ne a luxu Urbis, qui ejus strenuitatem maxime labefactavit, averteretur, per legatos gubernandam voluit. Ecce tibi Terrarum Orbem, totumque Romanum Imperium tres in partes, atque a tribus Reipub. pestibus misere dilaceratum. Et quamquam Cato, & Tullius leges patrias obtestando vehemen-

Digitized by Google

menter obloquuti fuerint, ſurdis tamen auribus cecinerunt; imo hic Cæſaris juſſu per Clodium Tribunum proſcriptus, ille vero in carcerem conjectus. Itaque ſilentibus omnibus, Conſules ad Provincias ſibi quiſque decretas perrexere. Sed Craſſo quidem in Syria infeliciſſime res ceſſit, quum ibi miſere perierit; Cæſari vero ſumma erat in Gallia poteſtas, atque imperium. *Immo Reges, atque Provincias per Terrarum Orbem alliciebat, aliis captivorum millia dono offerens, aliis citra Senatus, Populique auctoritatem, quo vellent, & quoties vellent, auxilia ſubmittens, ſuperque Italiæ, Galliarumque & Hiſpaniarum, Aſiæ quoque, & Græciæ potentiſſimas Urbes præcipuis operibus exornans: donec attonitis jam omnibus, & quorſum illa tenderent reputantibus, M. Claudius Marcellus Coſ. edicto præfatus de ſumma ſe Reipub. acturum, retulit ad Senatum, ut ei ſuccederetur ante tempus.*

Sed hæc indigna quamvis ſint, parcendum tamen homini inanis gloriæ cupido, atque inſolentis potentiæ ſuæ oſtentatori. At vero videamus nunc ea, quæ flagitiorum plena ſunt, & ſempiternam ei inflixerunt turpitudinem. Quum is præ mentis acie ſupremam dominationem haberet, præterea nihil, frequens illud in ore habebat, in jus humanum divinumque non peccandum, præter Regni cauſſam: quo ſane effato nihil ſceleſtius. Haud igitur mirandum, ſi ſceleribus omnibus, ac nefariis facinoribus eum obvolutum in hiſtoria legamus. Is bella per fas, perque nefas indicebat, fœdera ſanctiſſima violabat, bellum infeſtiſſimum Patriæ, bonis omnibus abnuentibus, faciebat, omnia venalia habebat: Provincias depeculari, ſanctiora ærária diripere, templa Deorum expilare non verebatur. Quid? nullum ſibi rerum diſcrimen, nihil prohibitum, cuncta miſcebat, modo regnandi cupiditati inſerviret. Fruſtra bonorum Civium quærelæ erant, fruſtra Provincialium in Senatu lacrymæ. *Nam ad ſecuritatem poſteri temporis in magno negotio habuit, obligare ſemper annuos Magiſtratus, & e competitoribus non alios adjuvare, aut ad honorem pati pervenire, quam qui pepigiſſent propugnaturos abſentiam ſuam. Ceterum omnibus circa eum, atque etiam parte magna Senatus gratuito, aut levi fœnore obſtrictis, ex reliquo quo-*

Digitized by Google

que ordinum genere vel invitato, vel ſponte ad ſe commeantes uberrimo congiario proſequebatur; libertos inſuper, ſervuloſque cujuſque, prout domino, patronoque gratus quis eſſet. Tum reotum, aut obæratorum, aut prodigæ juventutis ſubſidium unicum, at promptiſſimum erat: niſi quos gravior criminum, vel inopiæ, luxuriæque vis urgeret, quam ut ſubveniri poſſet a ſe. His plane palam bello civili opus eſſe dicebat. Hinc tam profuſæ ejus in omnes homines largitiones rem eo adduxerunt, ut Plebs, Senatus, Equites, ceterique omnes Cæſaris ſcelera, ut militares virtutes extollerent, deque iis gratias Marti agerent. En qua via Cæſar ad Monarchiam graſſabatur.

Igitur quum Cæſar in Gallia verſaretur, Pompejus admonitus, ut Reipublicæ conſuleret, neu pateretur, ut libertas Romana peſſum iret, adjuvante Senatu, apud quem haud parum valebat, manibus, pedibuſque illius opes infringere conatus eſt. Sed vires ſuas Cæſar ſuperiores ſentiens, tum ob plebis favorem, tum propter ingentem militum numerum, cuncta adverſæ partis ſtudia parvi pendebat. Itaque bifariam diſciſſa Civitate, adeo acerbæ exarſere diſcordiæ, ut Imperium univerſum ad Octavium uſque miſere labaſceret. Sed hac furente tempeſtate, atque anarchia omnia turbante, quidam fuerunt, qui ad Monarchiam confugiendum putabant; alii Pompejum Dictatorem dicendum. Quod ſane quum ageretur, vehementer Cato obniſus eſt. Nunquam enim Dictaturam ſemel ſibi traditam depoſuiſſet Pompejus, quam non ut remedium conſtituendæ Reipublicæ, ſed laborum ſuorum præmium cenſuiſſet. Hinc res tranſacta eſt, ut præ Dictatura Pompejus Conſulatum ſine collega acciperet, ut ad ſui arbitrium omnia expediret, neque jus eſſet contra ejus facta, ſive ad Populum, ſive ad Senatum provocare. Quæ ſane manifeſtæ Monarchiæ primordia.

At vero Cæſar hoc eodem tempore Conſulatum petiit: ſed per Senatum, imo potius per Pompejum uti a comitiis abſens rejectus fuit. Sed quorſum repulſa iſthæc? Solertiſſimo cuique haud fuit obſcurum, hoc agere Pompejum, ut per tranſverſos cuniculos Cæſar, dimiſſo exercitu, inermis ad petendum Conſulatum Romam properaret. Quapropter ſatius ille duxit

xit Conſulatu carere, quam exercitus imperium deponere. At Pompejus obſirmatum ejus animum, conſiliumque cognoſcens propalam per Senatum juſſit, Cæſarem legiones dimittere, hac prætenta cauſſa, ut in Syriam, ubi per ſummum Reipublicæ dedecus Craſſus fuerat interemptus, mitterentur. Nolente autem Cæſare Senatus decreto parere, cenſuerunt Patres, aut exercitum a Cæſare dimittendum, aut hoſtem Patriæ judicandum. Quâmvis vero Equites, quamvis publicani, & plebs triſte hoc decretum a Senatu deprecati fuerint, in caſſum tamen omnia. Apertum igitur Cæſarem inter, & Pompejum bellum exortum: in quo quidem æquior Pompejus videbatur, quippe qui patriæ ſervandæ cauſſam præſeferebat; iniquior vero Cæſar, qui libertatem evertere conabatur: nam revera uterque ad ſupremam poteſtatem animo intendebat. Tandem vero poſt varios caſus, ancipiteſque rerum vices, Reſpub. infeliciter eorum ambitione dilacerata, ac Pompejus in campis Pharſalicis ſuperatus profligatuſque a Cæſare fuit, tandemque Theodoto Grammatico conſulente, in Ægypto, quo veluti in aſylum confugerat, interfectus. Cæſari vero tanti hoſtis victor, partibus adverſis profligatis, Romam inter ſuorum plauſus rediit. Hæc de Pompejo, & Cæſare, ceteris omiſſis, perſtringere duxi, quantum ſcilicet inſtituto meo, quod in legibus explicandis verſatur, inſervirent.

Jam Pompejum periiſſe Romani vix crediderunt, antequam Syllæ annulum ei datum cernerent. Tunc vero compertam exploratamque Pompeji necem habentes, *Aperte Pompejo conviciis exagitato, Cæſarem laudarunt; ac quæcumque excogitare ad honores ejus potuere, decreverunt. Qua in re magnum erat inter primos Urbis homines certamen, invicem ſe adulando Cæſare ſuperare laborantium: magnaque a Populo ſuffragia contentione ferebantur . . . Tunc igitur poteſtatem Cæſari dedere (non quod is eam non ſibi ipſi paraſſet, ſed ut jam nunc ſecundum leges agere videri poſſet) de Pompejanis ſuo arbitrio ſtatuendi: deinde ut belli paciſque Dominus in omnes homines eſſet, etſi neque ad Senatum, neque ad Populum de iis retuliſſet . . . Sed hoc ipſum quoque jam ante Cæſari aderat tantis copiis inſtructo, quique bella quidem, quæ geſſerat omnia, fere*

Digitized by Google

re ſuo judicio confecerat. Cum vero Romani, ut adhuc Cives, ſuique juris eſſe viderentur, hæc Cæſari decernebant, quæ vel invitis ipſis obtinere poterat: Quippe hoc etiam accepit, ut quinque continuis annis Conſulatum gereret: ut Dictator non ad ſemeſtre tantum ſpatium, ſed in integrum annum diceretur: ad hæc Tribuniciam poteſtatem per omnem ſuam vitam haberet. Hæc Dio Caſſius (*a*); ex quibus habes primordia Monarchiæ Romanæ firmiora quidem in Cæſare, quam in Sylla, & Mario: habes etiam cauſſas, quapropter Reſpublica ad Monarchiam jam delapſa fuerit. Ceterum Cæſar de imperio jam ſecurus exercitum ultro dimiſit, renuentibus quamquam amicis, ne id ſibi periculo eſſet, quod ſane accidit: ſtatim enim conjuratio a Bruto, & Caſſio ad ejus perniciem inita fuit, quæ mortem tandem in frequenti Senatu idibus Martiis ei intulit.

§. II.

De legibus Pompeji.

QUum hoc in opere eam propoſiti rationem mihi conſtituerim, ut ex hiſtoriæ penu leges depromam, æquum nunc eſt, ut, geſtis a Pompejo, & Cæſare rebus brevi enarratis, ad eorumdem leges exponendas accedam, ex forma nempe regiminis, quam e re ſua inſtituere illi exiſtimarunt. Verum quum leges Cæſaris propemodum eædem ſint, atque illæ, quas pertulit Auguſtus, opportunius in præſentia omittere, ac quum de Auguſtalibus ſermo erit, eas referre ratus ſum. Itaque nunc tandem Pompeji leges tradendas puto.

Semitam, quam tenendam Pompejus ad ſummos honores, quos anhelabat, inſtituit, hanc fuiſſe conſtat, plebis ſcilicet poteſtatem ſummopere a Sylla imminutam reparandi. Etenim quum tunc temporis ea eſſet conditio Reipublicæ, ut qui ceteris majori vi polleret, is facile ad auctoritatis faſtigium perveniret; nihil ad hoc opportunius exiſtimavit, quam plebem colere, eamque ſibi beneficiis aſtringere. Quum enim in Senatu & alii eſſent, cum ob diuturnos Magiſtratus clariſſimi, tum bonorum copia refertiſſimi, difficil-

(a) *Lib. 36.*

Digitized by Google

ficillimum ſane erat ab eo ordine aſſequi, ut, poſthabitis ceteris, ſibi daret imperium; id vel maxime, quod quum Equeſtris ordinis is eſſet, fieri ægre poſſe videbatur, ut per Senatum ad ſummos honores attolleretur. Quum igitur his de cauſſis Pompejus rebus ſuis ſtudendo, beneficiis maximis plebem ſibi allicere incepiſſet, facilis erit ſuarum legum expoſitio.

Quum Sylla augendæ Ariſtocratiæ, atque ex adverſo Democratiæ minuendæ operam ſtrenuam navaſſet, nil validius ad plebis potentiam labefactandam exiſtimavit, quam Tribunorum poteſtatem intra anguſtiſſimos cancellos arctare. Hinc tulit ne Tribuni jus haberent concionandi, leges rogandi, alioſque poſt Tribunatum honores habendi. Contra vero Pompejus, quum plebis potentiam inſtaurare niteretur, ab abrogandis Syllæ legibus exordiendum putavit. Itaque Tribunis eam reſtituit auctoritatem, quam olim plebs per ſeditiones ante Syllam a Patribus vi extorſerat. Quare appoſite Paterculus ait (*a*): *Hoc Conſulatu Pompejus Tribunitiam poteſtatem reſtituit, cujus imaginem Sylla ſine re reliquerat*. Reparata aliquatenus Tribunicia poteſtate, in hoc plebs tota fuit, ut jus omne priſtinum Tribuni recuperarent, quod eis Sylla abſtulerat: hinc primo fuit Tribunis jus honorum reſtitutum, deinde etiam judicia conceſſa fuerunt Equitibus, flagitioſa Verris Prætura id ſuadente. Et quidem plebs ſæpe querebatur de judiciorum nundinatione tum, quum penes ſolos Optimates jus eſſet: ſed id Verris Prætura maxime comprobavit, de quo hæc Tullius (*b*): *Ut nemo tam ruſticanus homo Romam ex uno municipio vadimonii cauſſa venerit, quin ſciret, jura omnia Prætoris Urbani, nutu, arbitrioque Chelidonis meretriculæ gubernari*. Peracto Prætoræ anno, fuit quidem is accuſatus, ſed Judicum nequitia abſolutus. Hinc plebs concitata, judicia ſemper venalia fore, ſi penes Patres eſſent, inclamabat, quum æque ii ſceleribus involuti, ſibi mutuo omni tempore parcerent. Sed tandem auctore Pompejo, iterum Equites ad jus dicendum deſcenderunt, ita tamen ut

par

(a) 2. 30.
(b) *In Ver.* 5. 13.

Digitized by Google

par esset Senatorum, & Equitum numerus. Sic enim Paterculus (*a*): *Per idem tempus Cotta judicandi munus, quod Gracchus ereptum Senatui ad Equites, Sylla ab illis ad Senatum transtulerat, æqualiter inter utrumque ordinem partitus est.* Sed quamvis judicia denuo ad Equites delapsa essent; Prætura tamen penes unos optimates manebat, quod sane non sine invidia erat. Etenim hi, quum per edicta jus, ut rebus suis videbatur accomodatius, supplerent, corrigerentque, facili negotio nobilibus assentabantur, juraque plebis intervertebant. Hinc lex a Cornelio Tribuno rogata de edicto perpetuo, nempe ut fas Prætori non esset intra annum illud immutare; de quo sic Dio (*b*): *Ita & hanc legem Cornelius perfecit, & alteram hujusmodi. Prætores solebant jura ea, secundum quæ judicaturi essent, scripta edere. Neque enim Prætores id jus, quod ad contractus dirigendos positum erat, observabant, neque id unquam fecerunt, neque scripto juri steterunt, sed sæpe numero ea variaverant, crebroque per gratiam, & odium certorum hominum, veluti fieri assolet, multa gerebantur. Igitur rogationem tulit, ut & statim a principio Prætores prædicerent quo jure essent usuri, & deinde nequaquam ab eo deflecterent.*

Neque prætermittenda est lex theatralis, perlata ab Othone Tribuno plebis, ut Equites a reliquis secreti in quatuordecim gradibus Orchestæ proximis spectarent. Quum enim potestatem hoc tempore judicandi Equites denuo accepissent, par æquumque visum, hunc honorem eis ad dignitatis ornamentum conferri. Quæ sane lex invisa quamvis Patribus, jucunda tamen plebi fuit. Nihil enim, ut supra diximus, ad Aristocratiam temperandam præsentius, quam medium ordinem ad honores extollere. Sed quo penitius lex hæc intelligatur, operæ pretium duco rem ab origine sua, strictim licet, repetere. Initio Reipublicæ ad Scipionem usque Africanum nulla distinctio in Theatris, ceterisque spectaculis inter Senatores, Equites ac Populum erat: in Republica enim, ubi democratice vivitur, tale discrimen invisum habetur. Scipio

(a) 2. 32.
(b) *Lib.* 36.

Digitized by Google

pio omnium primus distinctas Senatoribus Sedes concessit: Quod sane quum seditiones suscitasset, adeo Scipionem id turbavit, ut scripserit Tullius (a): *P. Africanus ille superior ut dicitur, non solum a sapientissimis hominibus, qui tum erant, verum etiam a seipso sæpe accusatus est, quod quum Consul esset . . . passus esset tum primum a populari confessu Senatoria subsellia separari . . . quæ res avertit vulgi animum, & favorem Scipionis vehementer quassavit* (b). Itaque plebs, favente Pompejo, ad pristinam auctoritatem, honoresque restituta, Optimatum potentiam modis omnibus imminuere conata est. Ut autem adversus Patriciorum solertiam se muniret, duabus id præstitit legibus, nempe Cincia de donis, & muneribus, atque illa adversus ambitum propter honores & judicia. A primordiis usque Reipublicæ receptum erat, ne quis ob caussam orandam, pecuniam acciperet: jusserat enim Romulus Patricios gratuito plebem defendere, ut mutuum inter utrosque necessitudinis intercederet officium, invidiaque procul esset; munuscula tantum quædam statis temporibus, veluti grati animi indicia permittens elargiri. At vero Patriciorum avaritia, ac cupidine quadam in plebem dominandi factum deinceps est, ut saluberrimum hoc alioquin institutum sensim exoleseceret, plebsque illorum fieret stipendiaria. Nam quum nemini olim præter Patricios jus profiteri liceret, ii operam suam nonnisi multa pecunia locare inceperunt, ut & ita miseræ plebis bona tandem obligurirent. Hinc lex Cincia, a Cincio nempe Tribuno rogata, tum ad tantam Patriciorum auctoritatem contrahendam, tum ad plebis inopiam sublevandam, libertatemque sartam tectam custodiendam. En quomodo de ea loquutus sit Livius (c): *Quid legem Cinciam de donis & muneribus, nisi quia vectigalis plebs esse Senatui cœperat?*

Adversus ambitum lege Cornelia, sive Calpurnia Equestri ordini, plebique consultum est. Quum enim suffragia turpi-

(a) *Pro Cornel. I. Frag. ex Asconio lib.* 1. 39. 54.
(b) *Val. Max.* 2. 4.
(c) 34. 4.

Digitized by Google

ter coëmi cœptum esset, fiebat hinc, ut ex Patriciis ii haberent Magistratus, qui majus argenti pondus elargiri possent, Equites vero honoribus omnibus carerent. Qua de caussa per hanc Tribunorum rogationem severissimæ pœnæ adversus ambitus reos, Judicumque in jure reddendo avaritiam statutæ sunt; nempe ut pecunia captandis suffragiis data omnino restitueretur, utque istiusmodi criminis reus multam pecuniariam etiam solveret, & in posterum nullum jus haberet Magistratus petendi, amisso etiam honore in Senatu sedendi: quare scripsit Tullius sic (*a*): *Erat severissima scripta Calpurnia*. Licet deinde linita fuerit a Senatu hac abjecta caussa: *Quod si supplicia essent extrema, neque accusatores reorum, neque qui eos condemnarent facile reperiri posse. Ubi vere mediocres pœnæ propositæ essent, ibi & frequentes accusationes fieri, neque a damnando reo judices deterreri:* Ut ait Dio (*b*).

Hæ sunt Pompeji Magni leges, consiliis ejus omnino respondentes, quas si cum Syllanis comparabimus, videbimus quidem adversa fronte pugnantes, pro diversis nempe itineribus, per quæ Principatum appetebant. Et quidem Marius quum in animum induxisset suum, Populo favente, ad summam rerum pervenire, leges meditatus est summopere populares, quæque optimatibus adversarentur. Tribunorum enim potestatem, quantum potuit, extulit, Comitia ex centuriatis in curiata convertit, legemque agrariam seditionum civilium segetem ac materiam fœcundissimam, non semel rogavit. Contra Sylla quum minime posset per plebem, quæ summo amore Marium prosequebatur, ad supremum dominatum pervenire, optimatium partibus sese totum mancipavit. Itaque Tribunorum potestatem imminuit, legem agrariam abrogavit, jus Civitatis Italis a Mario datum infirmavit, ac libertatem demum civilem, invectis per tormenta Civium quæstionibus, adversus Poplicolæ instituta sustulit. Demum vero Pompejus, quum nihil sibi sperandum, nisi ex Populi studio videret, partes Marii jam dejectas restituere cur-

(a) *Pro Murena* 23.
(b) *Cap.* 36.

Digitized by Google

curavit, legesque modo expositas, quæ plebis genio obsequerentur, rogavit. Atque ex his, quod sæpe innuimus, inspicere licet, juris civilis scientiam imperviam prorsus esse, nisi & legislatoris ingenium introspiciamus, & Reipub. forma ex historia depromatur.

CAPUT III. ET ULTIMUM.

De Monarchia Romana.

§. UNICUS.

De Octaviano Augusto, Antonio, & Lepido.

VIdimus hucusque quantum Marius, Sylla, Cinna, Pompejus, & Cæsar, sub obtentu Reipublicæ libertatis servandæ, adlaboraverint, ut ad Imperii fastigium assurgerent. Sed *non Cinnæ, non Syllæ longa dominatio: & Pompeji, Crassique potentia cito in Cæsarem; Lepidi, atque Antonii arma in Augustum cessere. Qui cuncta discordiis civilibus fessa, sub nomine Principis imperium accepit.* Quod sane quibus studiis, quibusque artibus effectum, nunc annuentibus Superis sumus exposituri.

Interfecto Cæsare, tantum abfuit, ut ad libertatem pristinam rediret Respublica, ut motus potius civiles validius increbuerint: alii enim illius dominationem probantes, per ejusdem vestigia ad eumdem principatum properabant, quos inter Principem locum tenebat Antonius, honoribus quidem, auctoritate, bonorumque copia ceteros antecellens. Is enim Cæsaris cædem simulans ulciscì, imperio potiri vafre conabatur: alii vero ex adverso insurgentes optimates libertatisque vetustæ memores, rem ad pristinum restituere conabantur. Sic discissa Civitate, turbata cuncta, confusaque erant, nec quam quisque partem sectaretur, facile dignosci poterat; sui quisque animi sententiam familiaribus ipsis, & necessariis aperire verebatur. Hinc Senatus anceps quam causam susciperet, medium iter tenere censuit, ut scilicet Cæsaris acta firma es-

Digitized by Google

ſent, nec tamen de ejus nece ulciſcenda ageretur. Sed hoc ſecum ipſe pugnabat: nam ſi leges Cæſaris abrogare fas haud erat, ejus mors, utpote non tyranni, ſed legitimi Principis, quando leges condendi jus fuit, ulciſcenda erat.

Ad hæc de Cæſaris funere, deque ejus teſtamento evulgando, quod Piſoni ſervandum tradiderat, actum. Sed & hic diſſentio oborta: timebant enim Cæſaris interfectores a plebe, ne ex aſpectu cadaveris tot ictibus dilaniati adverſus ſe facile inſurgeret: at vero flagitantibus Piſone, atque Antonio, Senatus tandem funeri, ſupremiſque laudationibus aſſenſus eſt, lectæque coram Populo ſupremæ tabulæ, ubi Octavii adoptionem, eumdemque heredem ex aſſe ſcripſerat. Hic autem occaſionem nactus Antonius, ut plebem in hoſtes Cæſaris infenſam, ex confixi cadaveris conſpectu, magis magiſque incitaret, ejus amorem, beneficiaque Populo collata ad cælum extulit. Sed quorſum is iſtiuſmodi verba jactaverit, Senatus ſatis intellexit, nimirum ut plebem in Patres, conjuratosque omnes impelleret. Quare videns jam detectam animi ſui ſententiam, vaferrimus, ut quantum poſſet, quod in ſinu fovebat, occuleret, admonuit Patres, plebemque, ut Sexti Pompeji ex Hiſpania reditum decernerent, quo quies publica tutior eſſet. Obſtupuit Senatus, quum videretur Antonius uno eodemque tempore Patres inter, & Plebem medio eſſe ingenio, nec ſibi ipſe concors: nam Sexti Pompeji reditum ad Urbem poſtulare idem erat ac Cæſaris damnare memoriam, quam alioqui præclaris laudibus exornabat. Quumque addidiſſet non ſolum Pompejum ad Urbem redire debere, ſed eidem paterna bona a Cæſare ablata reſtituenda, ſuſpicatus quidem Senatus fuit, Antonium forte ad effugiendam invidiam affectati Regni pœnituiſſe; alii vero putarunt Antonium mutaſſe propoſitum Cæſaris mortem vindicandi, quum jam ſenſiſſet, odium ſibi ex hoc ſummum obventurum, Octavium autem utilitatem omnem percepturum. Sed conjurati ſat ſuperque mores Antonii internoſcentes, ſatius putarunt ſe conferre ad Provincias, ibique militaribus præſidiis ſe munire, quam Romæ morari fidem præſtantes Antonio. Qua de re M. Brutus in Inſulam Cretam profectus

eſt,

Digitized by Google

eſt, Caſſius ſe contulit in Africam, Trebonius in Aſiam, & Decimus Brutus in Galliam Ciſalpinam, ibique ſuas quiſque vires, novos delectus habendo, & fœdera cum Reipublicæ ſociis ineundo, adeo adauxere, ut cuique hoſti poſſent obviam ire.

Interea Octavius, qui in Cæſaris gentem adoptatus fuerat, ſtatim Apollonia, ubi literis operam dabat, Romam perrexit; ſuamque a Prætore adoptionem ex vetuſto more probari poſtulavit. Id autem admirati omnes ſunt: nam Cæſaris heres quum eſſet, ejusdem profecto cædem ulciſci adverſus Senatus decretum, atque in interfectores ſævire, quod periculoſæ plenum opus aleæ erat, debebat. At ille qua præſtabat prudentia, ſolertiſſime in omnibus ſe geſſit. Ad hæc omnes fere amici objectabant nomine tenus ſe Dictatoris fore heredem: adeo enim conjurati viribus valebant, quibus, clanculum licet, Senatus favebat; ea item Antonii erat auctoritas, quippe qui Conſul erat, ſuorumque germanorum Prætor alter, alter vero Tribunus plebis, ut ad ſummam rerum poteſtatem Octavium perventurum, vulgo deſperarent. Verum contra omnium expectationem, adeo feliciter ſors arriſit Octavio, ut devicto Antonio, exuto Lepido, profligatis conjuratis, Optimates, Equites, Plebemque Romanam in concordiam adduceret, omneſque ſibi beneficiis obſtringeret; atque adeo publicam ſic tandiu, tot factionibus interturbatam tranquillitatem rebus reſtituit.

Atque hæc ex hiſtoria Octavii excerpſiſſe, ſatis inſtituto noſtro erit: cetera enim libens omiſi, quæ ad philologos magis, quam legum interpretes ſpectant. Itaque ex his, quæ narrata ſunt, mente percipi poteſt, quibus legibus uti debuit Octavius, quæ temporibus ſuis reſponderent. Et quidem jam inde a primordiis Urbis quot ſeditionum, diſcordiarumque procellis jactata fuerit Reſpublica, jam expoſuimus: quæ profecto quamquam a Senatu ſæpe conſiliis ſuis ſedarentur, ſtatim tamen Tribunorum plebis furore recrudeſcere videbantur: ut Conſulare imperium, Patriciorumque auctoritatem everterent, comitia Centuriata in Curiata, vel Tributa converti furioſe poſtulaverunt: & res ex voto ſucceſſit: honores

Digitized by Google

nores civiles, ſacros, & militares exoptarunt; horum quoque plebs particeps facta fuit. Sed quum deinde vidiſſent, Magiſtratus, honoreſque omnes elangueſcere, quum ad eorum Majeſtatem ſervandam opes deeſſent; hinc in ditiorum bona irruentes, tot leges agrarias per eos, qui plebis deliramenta ad ſuum Principatum curabant, rogarunt. Quid Marius, quid Sylla, quid Pompejus fecerint, ut rerum potirentur, jam vidimus. Sed quum in Sylla ob Dictaturam perpetuam, atque in Pompejo ob imperium Conſulare tam longe lateque concreditum, exorta fuit Monarchia; & ceteros iisdem rationibus communem libertatem evertendi cupido inceſſit; hinc Cæſar, Craſſus, Antonius, & Lepidus inter ſe de Monarchia contendentes, miſere Rempublicam dilacerarunt, in eam, veluti in prædam hoſtilem furioſe irrumpentes. Itaque ut vela colligamus, confuſa, perturbataque omnia tunc erant: nam plebs effrenem optabat Democratiam, Senatus Ariſtocratiam incolumem efflagitabat: ex optimatibus vero, qui majori vi pollerent, ad Monarchiam adſpirabant.

Sed ad morbum tam deſperatum ſanandum nulla profecto ſalubrior medicina poterat adhiberi, ſi a Monarchia diſceſſeris. Ipſe Cicero libertatis antiquæ tenaciſsimus, quum omnia ad occaſum properantia circumſpexiſſet, ſæpe dixit, non poſſe amplius ſervari Rempublicam, niſi inſtituta Monarchia. Verum quam arduum opus hoc eſſet, quotque in diſcriminibus poſitum, Cæſaris interitus ſatis oſtendebat. Nullum quidem remedium Civitati ſupererat, quam eamdem regi, & gubernari ab uno: ſed id erat Civium ingenium, ut nec mala ſua ferre poſſent, nec eos, qui ex calamitatibus eripere pollicebantur. Ægrotis profecto illis ſimillimi videbantur, qui & morborum indignantur, & ſalutis remedia reſpuunt. Talis erat Romanæ Reipublicæ ſtatus, quum Auguſtus accepit Imperium. Sed tanta hic uſus eſt in Monarchica Reipublicæ forma conſtituenda prudentia, ut jure merito Scriptores nobis tradiderint, tantam ei ad inſtaurandam Urbem fuiſſe ſapientiam, quantam Romulus adhibuit ad condendam. Itaque ne procax illa libertas, quæ ævo ſuo efferveſcebat, partem aliquam deperire videretur, maximopere ſtu-

Digitized by Google

ſtuduit, atque interim Populum aliis atque aliis deludens modis ſenſim Rempublicam in novam formam convertebat. Regis, aut Dictatoris nomen aufugit, quum revera, & ſine provocatione eſſet, & cuncta ſibi obedirent: inviſos titulos reſpuens poteſtatem Regiam ſub nomine Principis, Senatus, Pontificis M., Tribuni plebis, Proconſuliſque exercebat. Quæ ſane vocabula quum libertati Romanæ congruerent, ſimulabat profecto ſuam ſe poteſtatem nonniſi Populi juſſu gerere, ut eo delinimento Senatum, plebemque capiens, interim divina, humanaque omnia arbitrio ſuo moderaretur.

Age vero quum jus civile reſpondere debeat regimini, & Octavius formam Monarchicam induxiſſet, quæ tamen in ſpeciem popularis videretur, leges profecto ejus hujuſmodi eſſe debebant, ut vetuſtam libertatem præſeferrent. Enimvero quum nihil ægrius homines ferant, quam legum, quibus ab incunabulis innutriti ſunt, mutationem, profecto ingentes in Populo concitat motus novus Princeps, ſi vetuſto jure immutato, Monarchicas de repente leges protuliſſet. Ita igitur ſe geſſit Octavius, ut ſimulacris manentibus veterum legum, omnia tamen ſuis Conſtitutionibus ſenſim pedetentimque fierent nova. Et quidem juris Monarchici eſt, ut quæ Summi Imperii ſunt ad unum ſpectent, nempe jus indicendi bellum, ferendi leges, imperandi tributa, creandi Magiſtratus, fœdera percutiendi, denique in bona, vitamque Civium poteſtas.

Sed cuncta, quæ individua in Auguſto eſſe debebant, ſingula in ſingulos diſpertita inveniebantur. Nam Prætor adjuvandi, ſupplendi, corrigendique juris civilis gratia inſtitutus, ad id pervenerat poteſtatis, ut leges civiles arbitrio ſuo per diverſorum vocabulorum technas figeret, atque refigeret. Idem ab Ædile factitatum. Jus legum ferendarum, belli indicendi, fœderis percutiendi ad Populum in comitiis ſpectabat. Unuſquiſque paterfamilias domi ſuæ princeps erat, & jure vitæ, & necis in omnes, qui poteſtati ejus ſubjiciebantur, utebatur. Idem in Civitate erat veluti ſacroſanctus, a cujus capite & tergo leges Valeria, & Porcia virgas, atque omne ſupplicium amovebant. Jus indicendi Tributa

buta Senatui erat, iſque Proconſulare Imperium, licet Populo ſuffragante, Optimatibus tamen arbitrio ſuo demandabat. Quibus in rebus omnibus, aliiſque id genus Auguſtus vi auctoritatis ſuæ nihil unquam immutavit. Conſules enim more majorum procedebant iisdem, atque olim Dignitatis ſuæ inſignibus conſpicui. Sublimes, uti antea de ſella, & Tribunali jus dicebant Prætores, & Ædiles. Quæſtorum etiam, Cenſorum, & Plebis Tribunorum audiebantur nomina, & inſignia conſpiciebantur: attamen hæc omnia inanes tantum ſpecies erant. *Veteris Reipublicæ, ac veſtigia morientis libertatis, quum omnes exuta æqualitate juſſa Principis adſpectarent.* Re igitur vera horum omnium poteſtas ad Octavium tranſierat, qui & Proconſul, & Plebis Tribunus, ac Cenſor erat. Itaque ne Magiſtratus ſuam imminutam quererentur poteſtatem, nova, ut fucum faceret, officia excogitavit, nomine tenus præ antiquis majora, veluti curam ærarii, ludorum, ſpectaculorum, orationum, & epiſtolarum in Senatu legendarum: ut quum nova hæc cupide inhiarent, vetera negligerent, ſoloque vocabulo Conſules, Prætores, Ædiles eſſent. Populum in comitiis de bello, & pace, in legibus jubendis, de imperio ſuffragium ferre, æquo animo patiebatur: ſed omnia hæc ſuo nutu pendebant, quum omnium voluntates annona, & congiariis antea ſibi illexiſſet. Si quando pro nova Reipub. forma, novas ferri leges opus eſſet, arcanis illis ſtudioſiſque verbis conſilia ſua occludebat, *ut nihil uſquam priſci & integri moris videretur immutatum.* Etenim jurisperitis ſibi annuentibus facultatem de jure reſpondendi dedit, verbo quidem, & ſimulatione, ut juris auctoritas major eſſet, re vero ipſa ut hi in forum ad res judicandas eam inducerent conſuetudinem, quæ Populi mores paullatim ad Monarchiam converteret, ac ſenſim ſcriptæ leges per confictas interpretationes, ſubdolaſque interpoſitas, tandem per ſeipſas omnino concideret. Hinc ſane data eisdem fuit ingens illa auctoritas, *ut ab eorum reſponſis Judices diſcedere minime poſſent*: nempe ut Judices non amplius Prætorum, Ædiliumque formulis, tamquam glebæ adſcripti, parerent; atque ita legislatoriam eorum poteſtatem everteret

Digitized by Google

teret. Sed præter hæc novo conatu contra vitia ſeculi, quibus Reſpublica, ob quotidianas præſertim ſeditiones erat involuta, conflictandum fuit, quum nihil aliud validius ſit ad vitiorum peſtem adaugendam, quam bellorum civilium furor. Quotidiana enim per urbem, & Provincias erant furta, rapinæ, adulteria, ſtupra, & cædes; eaque licentia increbuerat, ut corrumpere, & corrumpi tota civium vita eſſet: nulla jam amplius religio, nullum ſtudium liberis educandis, ſed ſimulatæ adoptiones, & nefanda venus promiſcua ubique. Immanis erat in honoribus ambitus, ſuffragiorum publicæ nundinationes, & judiciaria poteſtas locupletiorum libidini proſtabat. Morbo huic vitiorum medendo, quamnam medicinam Legislator noſter adhibendam exiſtimavit? Anne ultore ferro uſus eſt? Minime. Sed opulentiores tantum deportatione in inſulam plecti juſſit, ut ſimul & clementiæ daret exemplum, & opes ſceleratorum confluerent in ærarium, tot civilibus bellis exhauſtum. Sed ſatis hæc, quæ profecto, veluti fax quædam rebus iis, quas hoc in libro fuſius tractaturus ſum, præfulgeant.

Itaque Reipublicæ regimen ſub Octavio, qui priſtinam libertatem tutari ſimulatus, Monarchiam pedetentim conſtituit, referam; atque hic congruentes ejus leges exponam, inter quas non pigebit cenſere eas, quæ ſive ad matrimonii caſtitatem ſervandam, ſive ad impudicitiam vetandam, ſive ad honorum ambitum evertendum, ſive demum ad judiciorum ſanctitatem promovendum, fuerunt perlatæ. Poſt leges ſequuntur magiſtratus, & quidem tales, quales civili regimini reſponderent: ſi enim lex ſcripta Reipublicæ formæ conveniat opus eſt, quanto magis Magiſtratus, qui viva lex Populi ſunt? Hinc de novis magiſtratibus, per Octavium inſtitutis, verba faciam, deque recenti forma judiciorum, quæ ſub eiſdem invaluit. Itaque novata omnia in Republica Romana, ſub fictam priſtinæ libertatis imaginem, ex hiſtoriæ penu deprompta lectoris oculis ſubjiciam. Faxit Deus, ut rem, quam aggredior, feliciter abſolvam.

Digitized by Google

CAPUT I.

De Romana Republica ſub Imperio Octaviani Auguſti.

§. I.

De rationibus, & de forma regiminis inſtituta ab Auguſto.

DEmadem Oratorem, memoriæ proditum eſt, verſutum hominem, & callidum fuiſſe Athenis. Hic ut potentia & opibus creſceret, nihil e re ſua ſatius duxit, quam Macedonum, & Antipatri gratiam ſequi. Sæpe quum a ſe adverſus Patriæ dignitatem, ejuſque commoda deliberaretur, dictitare ſolitum tradunt, ſibi parcendum, quippe qui afflictæ, ac prope perditæ Civitatis reliquias regeret: quaſi dictum voluerit, calamitates publicas non pati, ut in Republica adminiſtranda ſecus ſe gereret: ſed ipſe revera ſceleſtus, improbuſque erat, qui peſſime res publicas moderando, ſibi ſerviebat, Civibuſque parabat interitum. Quorſum autem hæc præfatus ſim, quove intendantur, quivis per ſe intelligit. Sed minime tamen poſſum, quin quæſtionem illam, tam acriter inter viros politicos agitatam, perveſtigem, iiſne, qui ſuaviter proſpereque vivunt, an vero qui adverſa fortuna jactantur, tutius faciliuſque imperetur. Sane in utraque ſententia ſcopuli offenduntur, quos haud facile eſt ſuperare.

Nam gens illa, quæ ventis ſine intermiſſione perflatur ſecundis, facile quidem proſperitate ipſa tumeſcit; atque hinc labores faſtidiens ſenſim virtute ſua cadit, Principiſque juſſa contemnendo, ad interitum tandem feſtinat. Si vero procellis turbinibuſque urgeatur, vitamque ærumnis preſſam toleret, nulla medicina ad hæc mala avertenda probabitur. Ita a natura comparati ſumus, ut ſi quando calamitatibus vexemur, omnia in nobis iracundia efferveſcant, nullumque æquo animo patiamur medicamentum, niſi blandimentis quibuſdam, & aſſentationibus deliniamur. Itaque ii, qui calamitatibus obruuntur, nec mala ſua, in quæ inciderunt, nec vitiorum remedia ferre poſſunt. Sane mel natura ſua ſuaviſſimum

eſt,

Digitized by Google

est; ulceribus tamen salubriter admotum, acerbos dolores commovere comperimus; ita & infelicem salutares quamvis hortationes exasperant magis, incenduntque, nisi lenitate quadam non sine maxima prudentia condiantur; quemadmodum jucundum definivit Homerus, *quod menti facile assentitur*.

Quid igitur viro politico, tanta rerum difficultate, ut afflictæ Civitati occurrat, faciendum? Non solum mentis acie quid quassatæ Reipublicæ componendæ par sit, considerate circumscribere, sed qua comitate, & lenitate ad optatum finem perveniat, cura omni studere debet. Optime sibi actum erit, si quid civibus aliquando indulgeat, ut sibi devotos efficiat, nonnullaque, quibus oblectetur, ultro concedat; hac tamen de caussa, ut sibi tandem hac ratione illecti, ad graviora perducantur. Atque hic sane erit, a quo, desperatis rebus, integra omnia, ac felicia expectari poterunt. Sic enim Cives adversa fortuna jactati, blandimentis istis attracti, æquius profecto dicto audientes ei erunt, cui per vim metumque vix obtemperarent. Sed quam ardua res agatur, quis non videt? Hic profecto illa extrema simul jungenda sunt, quæ difficillime possunt inter se copulari, scilicet humanitas, & comitas cum severitate, atque majestate; quæ sane si forte fortuna in unum coalescant, nil majus, nil validius, ut alacri animo Cives jura Principis faceſſant, ejusque ad arbitrium nutumque se fingant. Licet enim ferinum quid aliquando hominum natura sapiat, non tamen adeo feritatem induit, ut eam exuere minime possit, modo beneficiis, gratique animi judiciis impetatur. Hæc sunt in caussa, quapropter Octavio tandem sors feliciter arriserit, ac perennem sibi pepererit Principatum, qui tot clades antea strageſque attulerat, Marioque, Pompejo, ac Cæsari paraverat interitum. Is enim non metus vi, non ense ultore, non truculento satellitum vultu, duxit sibi firmandum imperium, sed eos ad honores attollendo, qui ingenio, & virtute eminerent, militem beneficiis, Populum annona, & congiariis, cunctos denique dulcedine otii, & publicis oblectamentis alliciens, ita sapienter se gessit, ut omnia ad pristinam libertatem restituendam, incolumemque servandam composita viderentur.

Digitized by Google

Jam vero Octavius, Bruto, & Cassio cæsis, Triumviratus honore exuto Lepido, voluntariaque morte perempto Antonio, ab omni parte tutus in Principatu erat, quum ceteris extinctis, unus is ex Julianis partibus superstes esset. Itaque quum summam rerum haberet, sibique uni legiones omnes parerent, ut res feliciter succederet, nec ad ea mala illaberetur, in quæ Cæsar offenderat, satius duxit potestatem hanc tantam ad Populum referre auctorem, precariumque in se imperium jactare, quam in civilium turbarum scopulos incidere, ubi tot antea naufragium fecerant. Ne igitur libertatem communem, qua nihil Romanis optatius erat, mutatam Populus sentiret, utque Ordinibus cunctis blande assentaretur, titulos omnes, a quibus maxime metuendum erat, religiose aversatus, Regiam potestatem, quam suo jure vindicabat, magistratus nomine, tamquam a Populo ipso accepisset, exercebat. Sed ejusmodi hæc erant, quibus certe imperitæ plebi facile illudebat, nequaquam vero Senatui, aliisque, quibus ingenii vis esset. Quapropter ut & his imponeret, novas technas orditus est.

Sane in conversionibus Rerumpublicarum id agendum, ut ea regiminis forma instituatur, quam diu manere in votis sit omnibus. Quum autem in omni Civitate tres vulgo ordines distinguantur, Nobilium, Plebejorum, eorumque qui hos inter medii censentur, quumque aliud aliis ingenium sit; videamus quo se pacto gesserit Octavius, ut Respublica sua cunctis sine discrimine diu superstes optaretur. Quoniam Nobilis honores appetit, præterea nihil; plebs contra de honoribus parum sollicita, de quæstu vero, & lucello diligentissima est; præter hos socii, & fœderati populi sunt, qui unum anhelant, ut Reipublicæ honorum participes fiant; ita ille sapientissime rem instituit, ut voluntatibus omnium felicissime obsecundaret. Itaque Rempublicam regendam pro veteri more Senatui concredidit; optimatibus Magistratus petendos dedit, provinciasque administrandas demandavit; Equites, qui moribus & virtute ceteros anteirent, Senatores allegit; plebem vel agro colendo addixit, vel ad militiam vocavit, vel obæratam sublevavit; agricolæ nempe parans commoda, ut strenue

Digitized by Google

nue laboraret ; militi dona pollicitus , & ſtatam mercedem perſolvens, quo alacriori animo dura belli pericula ſubiret ; opem obæratis ferens, vel de ſuo , vel de ærario , inopibuſque ſuccurrens , ne a potentioribus premerentur : ſociis demum civiles militareſque honores tribuens, quique dignitate, & bonorum copia præſtarent, in Senatorum etiam ordinem , nedum Cives cooptans. Quinetiam ne Magiſtratuum Romanorum intemperantia provinciales vexarentur , legibus de peculatu , & de repetundis conſuluit. Judicibus mercedem , ſive ſalarium ex ærario ſolvendum ſtatuit, ne litigatores emungerent . Ad hæc comitiorum Populi libertatem, cum in legibus rogandis, tum in Magiſtratibus creandis , adeo cuſtodivit , *ut quoties Magiſtratuum comitiis intereſſet, tribus cum candidatis ſuis circuibat ; ſupplicabatque more ſolemni. Ferebat & ipſe ſuffragium in tribu, ut unus e Populo. Teſtem ſe in judiciis & interrogari, & refelli æquiſſimo animo patiebatur* (a).

Itaque quum Senatus eiſdem juribus , ac in veteri Republica frui videretur, Optimates ad Rempublicam regendam veluti ſocii adſciti eſſent ; Equites ad ampliſſimum ordinem adlegerentur, milites donis, plebs congiariis alliceretur, provinciales non amplius Magiſtratuum avaritiæ expoſiti, ad Reipublicæ adhuc honores vocarentur; quid mirum ſi nova hæc Reipublicæ forma diu feliciterque perſtiterit, quum omnium intereſſet incolumem ſervari ? Attamen quia omnia hæc ſic agebantur, ut Monarchiæ congruerent, legibuſque novis tandem aptarentur; *ideo paullatim inſurgere, munia Senatus, Magiſtratuum , legum in ſe trahere, nullo adverſante cœpit*. Atque ex reliquis optimatibus, qui ex proſcriptionibus ſuperſtites evaſerant , *illos opibus & honore extollere*, qui ſibi aſſentientes novum regimen optabant, *ut novis ex rebus aucti, tuta, & præſentia quam vetera , & periculoſa mallent*. Sed quum omnia hæc diligentiori examine , longiorique ſermone , ut Octaviani Cæſaris regimen penitius intueamur, ejuſque leges pernoſcamus, indigeant, ideo de his omnibus ſingulatim agendum .

§. II.

(a) *Sueton. in Octavio.*

Digitized by Google

§. II.

De Romano Senatu.

NOn mihi in animo eſt omnia Romani Senatus jura hic expendere: longum enim eſſet ea enarrare: illa tantum ſeligam, quæ inſtituto meo magis inſervient. De Senatu Romano hæc refert Polybius (*a*): *Primo quidem Senatus habet curam ærarii: nam & introituum, & expenſarum plenum penes eum eſt arbitrium: & deinde maleficia ac crimina per Italiam commiſſa, de quibus publicum judicium conſtitui oportebat, ut proditionis, conjurationis, veneficii, cædis, atque inſidiarum, ad Senatum relata.* Præterea ad Senatum ſpectabant legationes ad exteras gentes, vel ab iiſdem Romam miſsæ, Provincialiumque de Præſidum ſententiis appellationes. Sed hæc omnia, quæ libera Republica ad Senatum pertinebant, minime poterant cum Monarchia congruere, quum in hac nova imperii forma publicum ærarium, quo miles alitur, penes Principem eſse debeat; & legationes, nec non appellationes de Præſidum ſententiis uni deferri debeant, eique criminum vindicta ſervari. Quid Octavius? Cuncta ne una ſpongia delevit? Minime, ſed paullatim quidem, & clanculum, *veritus, ne ſi ſubito homines in alium deducere ſtatum cuperet, res ea ſibi parum eſſet ſucceſſura.*

Itaque Imperator, ut Senatum in ſuam redigeret poteſtatem, eodemque tempore Ordinem equeſtrem, plebemque obnoxiam ſibi faceret, utque judicia de Civium omnium moribus, gradu, opibuſque ad ſe transferret, ad Cenſuram animum appulit: eamque ſane non Cenſoris nomine, quod Romanis maxime inviſum, ſed Præfecti morum ſurripiens, non palam appetiit, ſed id ſubdole curavit, ut, ad conſtituendam Rempublicam, eamque ab vitiorum colluvie, quibus bellis civilibus furentibus, fœde deformata eſſet, purgandam, tanta poteſtas ultro demandaretur. Itaque hujus Magiſtratus compos factus, Senatum legit, in quem tum bene de ſe ſen-

(a) *Lib. VI.*

Digitized by Google

ſentientes cooptavit, tum ambiguæ fidei Patres, inviſoſque ex eodem movit. Aucto igitur Senatorio cenſu, honoris ſpecie, ſed revera, ut liberius ſibi arbitrium eſſet, plurimos ex Ordine Equeſtri Senatores adlegit; nec ſe ab ſociis, fœderatiſque gentibus, ſi qui forte, vel auctoritate, vel bonorum copia apud ſuos valerent, abſtinuit. Atque id ut a Provincialibus tutior eſſet, a quibus ſeditionum duces abeſſent. Quod ſane conſilium fuerat Mæcenatis, *Omnibus iis eſſe Civitatem dandam, ut hujus quoque participes, fideles nobis ſocii ſint, noſtram quaſi unicam Urbem ipſi quoque incolentes, eamque vere urbem, ſuas autem patrias, agros, & pagos putantes*. Quum autem Senatui ſingulos quoſque de ſe meritos, quique ſuæ dominationi firmandæ pares viderentur, adjeciſſet, ampliſsimum Patrum conſilium frequentius effecit, quemadmodum profecto Mæcenas admonuerat, cujus verba quum ſint appoſitiſſima, minime omittenda ſunt. Ait is: *In Senatoribus autem, Equitibuſque legendis, nihil anxius de numero, omnes quotquot tibi digni viſi fuerint, recipies. Quanto enim plures viri eximii tecum erunt, tanto facilius omnia, quæ facto uſus erit, perficies; ſubditoſque in hanc perſuaſionem adduces, quod eos non ſervorum, aut deterioris, quam Romani ſint, conditionis hominum loco habeas; ſed quum eis omnia noſtra bona, ac ipſum etiam imperium communices: ut ipſi etiam majori ſtudio in id, ad ſe quoque pertinens, tuendum incumbant*. Lecto Senatu, noviſque Patribus aucto, jura dedit de ætate, & de cenſu Senatorum. Ad hæc juſsit neminem eorum ſine ejus venia ab Italia proficiſci, ne ſcilicet a Principis oculis ſe avertentes, nova molirentur. Sanxit item, ut a nemine Senator, niſi a Senatore judicaretur, utque judicia de veteri more fierent, legationeſque, ut antea, ad Senatum adhuc pertinerent. Ecce tibi ampliſſimum ordinem Octavii poteſtati omnino obnoxium. Nec vero ſolertiſſimus Princeps minus Patres in hoc majeſtatis ſuæ faſtigio reveritus eſt. *Nam die Senatus numquam Patres niſi in Curia ſalutavit, & quidem ſedentes, ac nominatim ſingulos, nullo ſubmonente: & diſcedens eo modo ſedentibus ſingulis vale dicebat. Nec ideo libertas, aut contumacia fraudi cuiquam fuit: dicebat enim: Contradicerem tibi, ſi locum haberem*

Digitized by Google

rem... & licere oportere Senatoribus de Republica loqui. Sed quisnam ei contradiceret, quum omnes ejusdem censoriæ potestati perpetuo subderentur?

A Senatu transeamus ad Equites, quos sane non sine prudenti consilio & ipsos ingenti numero adauxit: nihil enim ad Aristocratiam deprimendam præsentius est, quam ordinem medium attollere. Præterea imperavit, ut judiciorum, quæ apud Senatum erant, participes Equites fierent, ærariique per provincias curam gererent, additis tamen a Principe, qui rationes sedulo acciperent, atque, si quid novi fieret, referrent. Non parum ex his Senatus auctoritas imminuta: tum enim ejus judicia cum Equitibus communicata, tum etiam ærarii cura, quod est Reipublicæ robur, a Senatu avulsa, atque ordini Equestri concredita. Denique duos ex his, ut Principis satellitibus præessent, legit; ut si quis forte eorum insidias strueret, ii explorarent, quibus potestas esset vitæ necisque, non modo in milites in Italia morantes, sed etiam in Cæsarianos, hoc est, qui in familia Principis erant, præter Centuriones, aliosque, qui Senatoriis Magistratibus subderentur. Quo facto, Ordinem Equestrem Octavius mirum est, quantum sibi obstrinxerit, ejusque fidem devinxerit. Videamus tandem, quo pacto se in hoc generali censu cum plebe gesserit. Id quidem Mœcenas Politicorum tunc temporis facile princeps, admonere solebat, ut ex plebe cujusque ingenium inspiceret, eosque qui efferatis moribus essent, ab iis, quos moratiores videbat, secerneret; atque illos maxime vero, si ætate, ac viribus pollerent, bellorum studio adduceret, *ut citra ullius injuriam alerentur, & reliqua pars sine periculo degeret*. Hos vero quippe mitioris indolis homines, agriculturæ, maritimæ negotiationi, aliisque pacis artibus dederet. Sic enim in Urbe omnia tuta fore, ejectis illis, a quibus turbæ, atque injuriæ timebantur. Jam provido consilio libenter assensus Octavius, pro cujusque moribus omnes, alios aliis artibus domi militiæque addixit. Ex quo factum est, ut intentis omnibus, quo suum quemque ingenium ferebat, hilarem plebs, quietamque vitam degeret, cunctaque in tranquillo essent. Atque hoc sane illud est, quod ante occupavimus, eam nem-

Digitized by Google

nempe Octavium in Monarchia sua Rempublicam instituisse, quam omnium interesset diu sospitem manere. Sed ad alia pergamus.

In recensenda plebe multos vidit ære alieno misere esse oppressos, atque eorum profecto nomina indulgentissime solvit: imo posteritati consulens legem per quam jucundam tulit, ut obærati deinceps, ne a creditoribus vexarentur, bona sua cedendo, liberarentur; de quo infra, quum de legibus Juliis, differemus. *Tanta denique comitate adeuntium desideria excipiens, ut quemdam joco corripuerit, quod sic sibi libellum porrigere dubitaret, quasi elephanti stipem . . . Plebem promiscuis salutationibus admittebat: quum ex veteri more Consules, aliosque magistratus salutare non cuique vulgo daretur. Dominus ne a liberis quidem suis passus est appellari*; ut Populum edoceret, quanto odio persequeretur dominatum. Eoque imperante, nemo aliis invidiæ erat: *Nam amicos suos magnos, & potentes voluit esse in Civitate, ut tamen pari jure essent, quo ceteri, legibusque judiciariis æque tenerentur.*

Quæ igitur Monarchico regimini nihil obstabant, ultro Populo dabat. Quid vero illa, quæ a primordiis usque Urbis penes eum erant, quæque adversa fronte cum nova Reipublicæ forma pugnabant? Num æquo animo belli indicendi, fœdusque feriendi jus, legum ferendarum, Magistratuumque creandorum arbitrium in populo ferre poterat? Sane Monarchia dissolvitur, si penes alios, præter Principem, hæc tanta potestas versetur. Sed in his ita se gessit prudentissimus Octavius, ut sensim a Populo cuncta auferret, nec alicujus invidia laboraret. Mansit quidem Populi potestas in Magistratibus per comitia creandis, sed non aliis profecto ab iis, quos Principes idem commendabat, qui tamen exoptare neminem sinebat, nisi meritissimum, ut propterea semper in commendatione sua adjiceret, si mereretur: ita enim Svetonius refert: *Nunquam filios suos Populo commendavit, ut non adjiceret, si merebuntur.* Leges licet præter comitia non paucas pertulerit, aliaque suo arbitrio sanxerit, *plura tamen etiam Populo promulgabat, ut is, si quid minus placeret, emendaret, hortatus omnes, ut si quid melius haberent, consulerent in medium.*

Digitized by Google

Sed non contentus ſuo cenſu Octavius, eumdem iteravit, & ſæpe quidem, donec Rempublicam pro ſua ſententia ordinaſſet, nempe ut Monarchiæ Civium mores congruerent. Quid enim proſunt leges novo regimini accomodatæ, ſi Civium mores ita comparati ſint, ut novam Civitatis formam faſtidiant? Quapropter jure merito Mæcenas monuit, *ut morum magiſtrum crearet, qui genera, facultates, moreſque Senatorum, & Equitum, adultorum juntu, ac puerilis ætatis, itemque mulierum, & familiæ totius examinet, ac procuret, eaque corrigat, quæ cum ſupplicio nondum digna ſunt, tamen neglecta multis ac magnis malis occaſionem præbent: de majoribus tamen ad te referat.* Quod profecto ſapientiſſimum conſilium fuit: nam Ariſtoteles inter præcepta politica & id commendavit (a) his verbis: *Quia autem propter privatas vitas res novas quærunt: inſtituendus eſt Magiſtratus aliquis, qui obſervet eos, qui Reipublicæ non vivant accomodate, in Democratia quidem ad Democratiam, in Oligarchia vero ad Oligarchiam, itemque in unaquaque Reipub. ad miniſtrandæ forma.*

Quapropter in omni Republica inſtitutus is Magiſtratus fuit. Sic Athenis in Civium vitam, mores, & artes in Areopago inquirebatur. Eratque etiam apud Græcos mulierum moribus præfectus certus conſtitutus. Hinc puerorum educatio Spartæ non cuique privato dabatur, nempe parentibus; ſed eorum diſciplina ad Rempublicam ipſam ſpectabat, ne ſcilicet civium vita, moreſque ab ipſius regiminis forma diſtarent. Qua de re merito Salluſtius, Livius, aliique Syllam, ac Lucullum accuſant, corrupiſſe eos Rempublicam Aſiana luxuria, illamque evertiſſe.

§. III.

De Tribunatu plebis, Pontificatu Maximo, ac Proconſulatu.

COnquirebat Octavius undique externas ſpecies, quibus Regiam poteſtatem obtegeret; imperiumque, quo uteba-

(a) *Lib. V. cap. 8.*

Digitized by Google

tebatur, non nisi a Populo sibi demandatum præferret. Hinc quum sub Censuræ nomine Senatum in suam redegisset potestatem, & ceterorum Civium mores, bona, atque famam per censum sibi subjecisset, quo nempe eorum vitam novo regimini accomodaret, par erat, ut jura aliorum Magistratuum sibi arriperet, quibus partes Summi Imperii singulatim divisas sibi uni subderet. Itaque Tribunatum, Pontificatum, imperiumque Proconsulare assumpsit, ut jura Populi divina, humanaque per hæc nomina suo arbitrio moderaretur, utque potissimum per imperium Proconsulare legiones per omnes Provincias in sua manu forent. Ne autem credas, aperte eum, atque auctoritate sua hos Magistratus occupasse: immo vero sic se gessit, ut Populus ultro daret, neque uno eodemque tempore, sed singulatim quidem, & prout occasio se offerret, ad Rempublicam scilicet sub nova regiminis forma componendam: quos sane acceptos subdula arte tamdiu in sua potestate retinebat, quousque Respublica tot fessa malis quiesceret. Hinc sæpe se iis abdicaturum simulate adjiciebat, Senatum deprecatus, ut a Reipublicæ curis eum tamdem exolveret. Sed istiusmodi non ex animo abdicationes nunquam Senatus probavit. Noverant omnes, id per Octavium agi, ut technis istis, fucum Populo faceret, Magistratusque illos nonnisi precario nomine geri obtruderet. Sed alii beneficiorum memoria obstricti, spe alii, atque expectatione sustentati, abnuebant, ejusque animi moderationem prædicabant. Ita nimirum omnia ei fausta cessere, qui toto vitæ curriculo subdolis his simulationibus cuncta divina, & humana sua in potestate habuit.

Licet Tribunicia potestas a modicis profecta initiis, tantum instituta fuerit, ut præsidium plebs nancisceretur contra vim potentiorum, tamen, præter hoc jus intercedendi, procedente tempore, per civiles motus tanta auctoritate cumulata est, ut Optimates, & Tribuni de summa rerum invicem certarent: jus enim Tribuno fuit Senatum convocandi, ejusque Decreta approbandi, vel rejiciendi, plebiscita rogandi, quæ in comitiis tributis perlata, plebem tantum antea tenebant, deinde vero lege Hortensia omnes cujusque ordinis ci-

Digitized by Google

ves. Hinc ejus poteſtas ad id faſtigium fuit evecta, ut Conſules ipſos poſſet in carcerem conjicere: quoque omni ſecuritate polleret, Sacroſanctus eſt declaratus, ut nempe qui ei injuriam intuliſſet, Diis cum bonis ſuis ſacer eſſet, hoc eſt impune a quocumque interfici poſſet, bonaque Cereri ſacrarentur.

Hanc tantam poteſtatem ſibi aſſumpſit Octavius, ut jus ferendi leges, habendi Senatum, ejuſque decretis, quum e re ſua non eſſet, obſiſtendi, nanciſceretur. Sed quum Tribunus e plebe creari deberet, ac Patricius Octavius eſſet, hac de cauſſa Tribuni rejecto nomine, poteſtatem tantum illius arripuit, ejuſque ſecuritatem accepit, qua adeo vitæ ſuæ, ac famæ conſuluit, ut ſacer eſſet, qui eum offendiſſet, quum in Tribuno Populum violaſſe, & Tribunum in Principe cenſeretur. Qua de re nil mirum ſi Octavius, & deinceps inſequentes Principes graves animadverſiones in vitam, & in bona ſibi infeſtorum, non a Regio jure, quod tunc Romæ exſulare ſimulabatur, ſed a Tribunicia poteſtate promanare jactarint. Itaque Octavius, quum per hanc ſubdolam rationem eorum omnium fuerit potitus, in quibus cardo Majeſtatis ineſſe putabatur, appoſite ſcripſit Tacitus, *Id ſummi faſtigii vocabulum reperiſſe, ne Regis, aut Dictatoris nomen adſumeret: & tamen appellatione aliqua cetera imperia præmineret.* Immo tanti Tribuniciam poteſtatem Principes æſtimarunt, ut annos ſuos a die, quo eam ſuſceperant, enumerari voluerint. Sed non hic prætermittendum eſt, Octavium ceteros Magiſtratus ad tempus, hanc autem perpetuo gerendam ſuſcepiſſe, quum per eam nemini de Regiæ poteſtatis ambitu ſuſpicari daretur, quando Tribunicius Magiſtratus popularis erat, atque ad plebem tuendam inſtitutus.

Urbanis his Magiſtratibus arreptis, Octavius Imperium quoque Proconſulare in omnes Provincias a Senatu ſibi demandari ſtuduit, non quidem quod eo careret, quum omnes jam Provinciæ ſuæ poteſtati inſervirent, ſed ut callide præferret, ex veteri Reipublicæ more Imperium ſuum referre acceptum Senatui. Nec ſane parvi pendenda eſt hæc dignitas: is enim, cujus in imperio erant Provinciæ, vim mi-

li-

Digitized by Google

litum in ſua manu habebat, per quam facillime profecto ad ſummi Imperii jura pervenire poterat. Quare Trajanus ut videretur ſibi deſignaſſe ſucceſſorem Neratium Priſcum, ſic eum alloquutus eſt: *Commendo tibi Provincias, ſi quid mihi fatale contigerit*. Provinciarum ſcilicet nomine ipſum Imperium reſpiciens, quum in illarum adminiſtratione potiſſimum, ut dixi, verteretur Principatus. Sed advertamus opus eſt, Octavium, ceteroſque Principes non dictos Proconſules, ſed imperium Proconſulare tenere, ut intelligeretur hoc imperium ſibi non in aliquas Provincias, ſicut ceteris Conſulibus ſolemne fuerat demandari, ſed collatum in omnes, quotquot Reipublicæ Romanæ ſubderentur. Erat igitur id cum univerſale, tum ſummum, & liberum, hoc eſt, tam in re civili, quam militari, ſine provocatione, quale Cn. Pompejus lege Gabinia in bello piratico acceperat. Sed quum ceteri Conſules extra pomœrium imperium hoc, ſublatis inſignibus, poſtquam Conſules, & Imperatores a Senatu dicti erant, expromerent; Octavius tamen ex S.C. intra ipſum pomœrium idem retinuit.

Ne autem tantum Imperium, uni collatum, eſſet invidiæ, & Reipublicæ libertatem peſſumdare videretur; ita Octavius ſcenam ſtruebat, ut minime antiquum regimen immutatum quis ſentiret, tantamque poteſtatem ſibi extra ordinem concreditam cenſeret. Itaque imperium illud armorum non evertendæ, ſed tuendæ Reipublicæ eſſe jactabat; idque in tanta dominationis magnitudine, & multitudine rerum gerendarum, quæ ſæpe fines ordinariorum Magiſtratuum excederet, neceſſarium: quum adeo omnia per bella civilia mixta, ac conturbata, ut ad extraordinariam poteſtatem, tamquam Reipublicæ dexteram, ſive ad compeſcendos populorum adhuc furentium motus, ſive ad improviſos ac ſubitos in Provinciis tumultus comprimendos, confugiendum fuerit. Ad hæc ne per hanc dignitatem clanculum videretur ſibi ad Dictaturam, adeo ex Cæſariano die Populo infeſtam, ſternere viam, imperium hoc a ſe non perpetuo gerendum obtrudebat, ſed ad quinquennium, aut ſi mallent, ad decennium habiturum: unde profecto orta ſunt decennalia, tam frequenter in hiſto-

ria

Digitized by Google

ria Principum commemorata. Quum enim facile iis esset, peracto decennio, novas Provincialium turbas, vel veteres nondum sedatas, populo objectare; quamvis eo se Magistratu dicis caussa abdicarent, quodammodo tamen inviti eumdem iterum susscipere a Senatu rogabantur. Atque ita profecto, decennale quamvis Imperium Ptoconsulare, toto vitæ cursu Principes præter invidiam gessisse leguntur. Sed ne putes unum Octavium totius Imperii curas sustinuisse, cunctaque arbitrio suo moderatum: aderat enim Senatus, Reipublicæ mens & ratio, ut antea; aderant Consules, Prætores, ceterique, per quos pro sua cujusque parte, ut supra diximus, res gerebantur more majorum. Sed hi quidem ab ejus nutu pendentes sua jussa expectabant; ille vero a Principis sui sententia discedere piaculum arbitrabatur: quare merito Tacitus, *Non Regno*, inquit, *neque Dictatura, sed Principis nomine constitutam Rempublicam*. Tantum quippe opus erat, ut quassatæ res ad pristinam tranquillitatem redirent.

Sed ad summam illam auctoritatem, quam intendebat, deerant adhunc non pauca, nempe Pontificatus Maximus, potestas Consularis, ac judiciaria demum dignitas, ad evertendum scilicet Prætoris, Ædiliumque Tribunal, qui sub æquitatis specie, novis vocabulis conquisitis, novisque compactis formulis, potestatem leges condendi arripuerant. Quæ sane cuncta ut sensim ad Octavium permeaverint, brevi videndum est. Jus, quod maxime jactabant Consules, id erat, nempe Senatum quoties vellent, habendi, ad eumque de quacumque re referendi. Potestatis hujus cupidus Octavius, ceterique deinceps Imperatores, sic se gesserunt, ut, dum etiam Consules non essent, tantam auctoritatem a Senatu ipso obtinerent. Qua de re legimus, tot Senatusconsulta habita per Octavium; quæ licet reipsa leges essent, ut SC. Vellejanum, aliaque, leges tamen non appellarent, ne viderentur potestatem legislatoriam sibi arripuisse. Itaque nomine tenus Senatus Consulta dictitabant, hoc est, a Senatu facta, se referentibus ex potestate a Patribus ipsis tradita.

Quod ut magis eluceſcat, animadvertendum est, Romulum postquam Urbem condidit, ejusque regimen Patribus,

po-

Digitized by Google

populique comitiis tribuit, Senatum instituisse, tantamque ei vim dedisse, ut in Reipublicæ administratione nil ratum foret, nisi Patrum accessisset auctoritas, sicuti apud veteres vestigia quædam vetustorum Senatus Consultorum adhuc supersunt. Verum hæc erant potius decreta quædam, quæ a Patribus sua auctoritate, absente Populo edebantur, quam jussiones, aut leges: nam ut pervulgatum est, leges ferri non poterant ex Romuli instituto, nisi in comitiis per universi Populi suffragia. Erant igitur Senatus Consulta decreta, quibus Patres auctores fiebant legum, quæ in comitiis rogari debebant. Sed hæc potestas deinde, Tribunis creatis, haud parum imminuta fuit. Hinc S. C. Plebiscitorum, atque legum perpetua quasi pugna. Quamquam autem explorati juris sit, Senatus Consulta legum nomine non veniisse; nolim tamen omnem iis vim detrahi, quæ sane pro temporibus aliis alia fuit. Sed quo primum tempore factum sit, ut veras leges Senatus ferret, haud mihi dubium est, quin ab Augusto repetendum censeam. Nam quum res, si ad pauciores pervenerint, facilius ad potestatem unius deducantur, cui sane expeditius est paucos superare, quam plurimos; sapientissimus Princeps magis e re sua putavit, Senatum leges perferre, quam universum in Comitiorum turbis populum; maxime vero, quod Patrum auctoritatem infringere facilius, quam Populi potestatem foret. Quæ profecto causa fuit, quare Tiberius populi comitia ad Senatum omnino transtulerit; nempe quo proclivius deinde in manus suas devenirent. Itaque jure merito dicendum, regimen Romanæ Reipublicæ a vi & potestate Regis ad Populum, a Populo deinde ad Senatum, a Senatu demum ad unum, nempe Octavium deveniisse.

Ne antem credas, illum per hæc Senatus Consulta omnino labefactasse comitia, ut leges nonnisi per Senatum conderentur; nam sic prudentissimus Imperator rem temperabat, ut modo suo arbitrio, modo per Senatus Consulta, modo vero per populi comitia cuncta gubernaret; ne uno eodemque tempore res omnes novaret, sed paullatim, ac veluti per gradus, populus novo regimini assuesceret. Sic enim scripsit Dio: *Comitia vero populi, etsi nihilominus habe-*

Digitized by Google

bebantur, tamen nihil præter voluntatem Augusti agebatur. Magistratus partim ipse designabat, alios Populo, plebique creandos permittebat, id modo curans, ne qui indigni per coitiones aut ambitum designarentur; & denuo non omnia suo arbitrio sanciebat, sed plura etiam populo promulgabat, ut is, si quid minus placeret, emendaret; ut ait etiam Tranquillus. Verum jam e memoria pene exciderat, quidnam illud Relationis jus de una re tantum Octavio datum præferret, quum passim apud Historiæ Augustæ Scriptores jus *tertiæ, quartæ, & quintæ Relationis* perlegamus Principibus datum. Sane jus referendi ad Senatum portio quædam Regiæ potestatis erat, quæ, Regibus ab Urbe exactis, ad Consules demigravit. Itaque Octavius, ne videretur Regiam potestatem ambire, ut, quum Consul haud esset, tamen de quibuscumque rebus, ut sibi liberet, ad Patres referret, arctam hanc sibi potestatem voluit concessam, nempe ut quum haberetur Senatus, nonnisi unam rem posset referre. En verba Dionis: *Et ei permisit de una re, quamcumque voluisset, quoties Senatus haberetur, relationem facere, quamvis Consul non esset.* Quæ sane pura puta versio est, non illa Xylandri, qui verbo *de una re* prætermisso in ejus locum substituit, *de quibuscumque rebus vellet* quod communi Historicorum traditioni adversatur. Licet enim firmata Monarchia legamus ceteris Imperatoribus datum jus *tertiæ relationis*, ut Probo, ut Pertinaci quartæ, & M. Antonino quintæ; supra vero hunc numerum non legimus. Igitur ut rem colligamns, Relationis jus, quod Octavio decretum, non liberum fuit, & vagum, sed de una tantum re, quamvis de tribus, quatuor, & quinque ceteris deinde permissum.

Sed ut a rerum civilium potestate, ad ingentem illam Sacrorum veniamus, postquam Octavius jura prope omnia humana sibi adscivit, nequaquam se ab omni parte tutum ratus est, nisi auctoritatem suam religione, qua humana cuncta mire proteguntur, muniviſſet. Enim vero in Reipublicæ administratione quantam vim tum apud Romanos, tum apud gentes omnes Religio haberet, nemo est quem lateat. Quum enim illi res divinas politiæ subjicerent, omniaque Religionis arcano obvolverent, mirandum non est,

tanti

Digitized by Google

tanti habitos Pontifices, Augures, ceteroſque Sacerdotes, ut ab ipſis ſalus publica pendere videretur. Hinc ſane Ariſtoteles in ſuis de Repub. libris Principem potiſſimum monet, ut religioſus ſit, vel ſaltim aliis appareat: *Atque videatur ſemper ea maxime curare, quæ ad Deos pertinent: nam & metuunt minus, ne quid injuſti accipiant a talibus, ſi eum, qui præeſt, religioſum eſſe, Deoſque curare exiſtiment, & minus inſidiantur, ut Deos habenti ſocios. Oportet autem non ſtulte, ſive inepte talem videri* (a).

Et quidem duo maxime ex religione Princeps conſequitur, benevolentiam Civium, & ſuimet ſecuritatem. Quum enim is pius ac religioſus audiat, haud facile Cives ſibi timebunt. Minus eorum fama, & fortunæ periclitabuntur: nequaquam enim putant impium in homines, qui Deum colit, religionemque profitetur. Quid porro ab inſidiis tutius homine religioſo? Nihil magis homines, natura ipſa ſuadente, verentur, quam vim in eum inferre, quem Divino patrocinio putant munitum. Hac de cauſſa ad ſuperſtitionem uſque veteres religionem coluiſſe legimus, nempe ut ejus metu Cives in officio continerent. Quæ non commentus eſt Numa per confictos illos cum Dea Ægeria congreſſus? Quæ Aruſpices, quæ Pontifices? Abſint tamen iſtiuſmodi ſubdolæ ſimulationes a Chriſtianorum Principum pectoribus, in quæ ſincerus rerum Divinarum amor inſidere debet, ceteraque præmia excitare, quæ Deus diligentibus ſe pollicitus eſt. Sed ut ad rem noſtram redeamus, habuit ſane in Romana Repub. maximum pondus ad regimen civile ſuperſtitioſa religio: quapropter hæc ſcripſit Tullius (b): *Maximum autem, & præſtantiſſimum in Republica jus eſt Augurum, & cum auctoritate conjunctum. Neque vero hoc, quia ſum ipſe augur, ita ſentio, ſed quia ſic exiſtimare nos eſt neceſſe. Quid enim majus eſt, ſi de jure quærimus, quam poſſe a ſummis Imperiis, & ſummis poteſtatibus comitiatus & Concilia vel inſtituta dimittere, vel habita reſcindere? Quid gravius, quam rem ſuſceptam dirimi, ſi unus*

(a) *Lib. V. polit. cap. XI.*
(b) *De legibus lib. 2.*

Digitized by Google

augur alio die dixerit? Quid magnificentius, quam posse decernere, ut Magistratu se abdicent Consules? Quid religiosius, quam cum Populo, cum plebe agendi jus, aut dare, aut non dare? Quid legem? si non jure rogata est, tollere? Vide ex his quale apud Romanos Reipublicæ arcanum fuerit religio. Quapropter quum ea apud illos, ceterasque gentes comitaretur Imperium, ac tam arcte civili regimini adhæresceret, non mirum si tam solliciti fuerint, ne quis religionem peregrinam adsciscceret, neve Deos ullos quis coleret, præter eos, quos Senatus censuisset. Ea ejusdem Tullii verba (a): *Ad Divos adeunto casto: pietatem adhibento: opes amovento. Qui secus faxit, Deus ipse vindex erit. Separatim nemo habessit Deos: neve novos, sed ne advenas, nisi publice adscitos, privatim colunto.* Si enim, ut vidimus, civili regimini religio serviebat, eamque instituerant, quæ ipsius regiminis formæ responderet, quis Reipublicæ mutationem non metueret, si quid novi religioni receptæ jam, usitatæque adjiceretur?

Sed videamus nunc, quo studio Octavius in re religiosa se gesserit. Vix profecto dici potest, quanta cura res sacras prosequutus sit. Ante omnia libros Sibyllinos, vetustate corrupros, denuo describi sumptibus suis jussit. Pontificum collegium recensuit: Vestales Virgines adeo veneratus est, ut palam dixerit, primam, quam haberet, filiam, Vestæ mancipaturum; quum turbata jam Republica, adeo prope elanguisset Sacerdotium hoc, ut Virgines sorte per Pontifices, & quidem invitis parentibus, legerentur. Pontificatum Maximum numquam sibi voluit arripere, nisi mortuo Lepido, quum fas non esset, vivente Pontifice Maximo, alium creari. Sacra Ægyptia prohibuit. Sed omittamus cetera, ne plus æquo longiores simus. Verum non possum, quin hic Mæcenatis præceptum exscribam. *Deos* (is ait) *quoque, semper & ubique ita cole, ut moribus patria est receptum, ad eumdemque cultum alios compelle: peregrinarum vero religionum auctores odio, & suppliciis prosequere; non modo Deorum gratia, quos, qui contemnit, haud dubie nihil quoque aliud magni faciet; sed*

(a) *De legibus lib.* 2.

sed propterea etiam, quod qui nova numina introducunt, multos ad usum peregrinarum legum pellicium: inde conjurationes, coitiones, & conciliabula existunt, minime unius Principatui commodæ res.

Itaque Octavius, quum per potestatem Censoriam, & Tribuniciam res humanas pene omnes moderaretur, per Pontificatum Maximum Divina quoque suæ potestati subdit, ut eas de rebus sacris perferret leges, eamque religionem præferret, vel peregrina numina vetando, vel ea instituendo, quæ regimini suo congruerent, sibi, suæque Reipublicæ consulerent. Et quidem tanti munus hoc Pontificatus fiebat, ut insequentes Imperatores, &, si superis placet, Christiani ipsi ad Gratianum usque, ad compescendos Ethnicorum, qui adhuc supererant, motus, etsi non ex animi sententia, simulate tamen susciperent. Non enim profligata omnino falsa Deorum Religione, periculum erat, ne si penes alios Pontificatus Maximus esset, per eos Civium animi averterentur. Atque hæc, meo quidem judicio, causa fuit, cur Christiani Imperatores Pontificatus maximi titulum sibi vindicarint, quamvis Tillemontius, & Jacobus Gothofredus in alia discesserint. Mitto hic de judiciaria potestate, quam & sibi assumpsit Octavius, loqui; quum de ea peculari capite mihi differendum sit. Alia modo percurramus.

Præter hos populares quidem Reipub. Magistratus, quibus Princeps noster ad Regiam Majestatem, qua per se fruebatur, obtegendam, ornatus est, magnifica sibi Augusti, & Patriæ Patris nomina indidit. Patris Patriæ nomen id præferebat, ut Cives admonerentur, Octavii Imperium paternum esse, seque ab eo, ut filios fausta omnia speraturos. Augusti autem appellatio venerationis, & honoris, non potestatis incrementum est. Etenim quum Populus Romuleo nomine nuncupare eum averet, omnino id respuit, ut & illud Dictatoris, quippe quod fatale nimis ejus patri fuerat, ac Regum nomenclatio Reipub. Romanæ invisa. Itaque Augustum potius se appellari sivit, quum ab eo nomine nihil timeret, quod venerationem potius, & reverentiam præferret, quam ullum novæ potestatis additamentum.

Digitized by Google

Vidimus jam Auguſtum, Magiſtratuum Romanæ Reipub. fere omnium poteſtatem exhauſiſſe: reliquum eſt, ut animum ad ſtudium vertamus, quo omnia, licet occultiſſime, ad Monarchiam converterit: & quamquam occupata quædam antea a nobis ſint, adhuc tamen non pauca ſuperſunt dicenda. Quum ex Cenſuræ munere, quam ſub nomine Præfecturæ morum exercuiſſe narravimus, ad eam vivendi normam redegiſſet Civium mores, ut novo regimini congrueret; Senatum etiam, ceteroſque ordines eodem cenſorio jure poteſtati ſuæ ſubdidit. Ex quo factum eſt, ut quas voluerit leges, tulerit, obvolutas tamen religionis cujusdam arcano, ne Monarchia pateret. Sed inter ceteras hanc tulit, *ne plus quam bis in menſe, legitimus Senatus ageretur, Kalendis, & Idibus* (a): quum Majeſtatis illius ampliſſimi conſeſſus non eſſet, frequenter convenire, niſi ſtatis temporibus. Quæ ſane honoris cauſa in cute erat, quum intus regnandi cupiditas foveretur. Non enim in mutata Reipub. forma par erat, ut Senatus crebro, & aſſidue haberetur. Ex jure vero illo referendi id conſequutus eſt, ut per Senatum quæcumque vellet, ſanciret. Nam licet Tranquillus aſſerat, *Eum ſententias de majori negotio, non more, atque ordine, ſed prout libuiſſet, prærogabat: ut perinde quiſque animum intenderet, ac ſi cenſendum magis, quam aſſentiendum eſſet*; quis tamen quæſo Principi referenti auſit obſiſtere? Quinimo ſatis docent hiſtorici, quantis plauſibus relationes Principum exceptæ fuerint. Auguſtus per orationem, quæ vellet Senatui exponebat, & ſecundum eam Senatus Conſultum fiebat; unde invaluit, ut orationes Principum apud Senatum pro legibus forent, quum nunquam Senatus Principum voluntati obluctaretur. Refert Tranquillus, Auguſtum *nonniſi meditata, & compoſita oratione in Senatu, ad milites uſque ad Populum loquutum*: ut quum Senatus a ſententia ſua minime diſcederet, Populuſque aſſentiret, parerentque milites, id non a metu potentiæ oboriri, ut per Tribunos, alioſque factitatum in vetuſta Reipublicæ libertate, ſed a ſuaſionis vi proficiſci oſtenderet.

Ve-

(a) *Sueton. in Octav.*

Digitized by Google

Verum ex quibus omnium maxime Senatus auctoritas afflicta fuerit, Præfectura Urbis fuit, ab Augusto instituta, & Imperium Proconsulare, per eumdem acceptum. Multa quidem de illa priori dicenda habeo, quum de Magistratibus ab Augusto institutis inferius verba faciam: interim tamen non prætermittendum est, Urbi Præfectum cognitionem habuisse criminum, quæ in Urbe, atque extra eam adusque octoginta & unum passuum millia patrabantur, quorum profecto quum antea animadversio ad Senatum pertineret, per hanc Augusti institutionem imminuta non parum est Patrum potestas. Neque res huc usque stetit, sed ulterius progressa est: nam provocationes si antea Provincialium a Præsidum sententiis ad Senatum interponerentur, deinde vero vel ad Præfectum, vel apud ipsum Principem deferebantur: atque hoc, ut infringeretur summum illud imperium, hoc est, illa potestas, qua Senatus in facinorosos antea fruebatur. Sic enim voluit Mæcenas, ut nemo *merum imperium ita obtineret, ut non ab eo provocari possit ad Principem.*

Sed si per Præfecturam Urbis Senatus majestas concidit, nequaquam vero Patriam, & Dominicam potestatem integram Augustus reliquit. Causam enim arripiens emendationis filiorum, morumque servilium, abstulit a patribus, dominisque inveteratum illud vitæ, necisque jus, voluitque, ut filiorum, servorumque criminum cognitio Præfecti esset, isque eorumdem mores inspectans, ad legum præscripta exigeret. Et quidem congruebat imperium id domesticum democratiæ, minime vero Monarchiæ, ubi jus hoc capitale uni tantum esse debet peculiare. Sed veniamus ad Proconsulare Imperium. Simulans Imperator eo sibi ad pacandas Provincias opus esse, factum est, ut unus is legionibus omnibus Romani Imperii imperaret. Hinc quum nulla prope Provincia esset, a qua non timerentur tumultus, omnia fere ubique versus Imperio Augusti suberant, Senatusque potestas adeo elanguit, ut paucis quibusdam, atque inopibus ei relictis Provinciis, non nisi umbra quædam veteris Senatus videretur. Sed ne forte Provinciis Senatoriis tumultuantibus, militaris potestas ad Senatum rediret, statuit, si una in iis seditio suboriretur,

se

Digitized by Google

ſe eaſdem accepturum, aliaſque pacatas viciſſim daturum, hanc ingenioſiſſimam prætendens rationem, ne Senatus bellicis curis implicaretur. En de hoc præclarum Tranquilli locum: *Provincias validiores, & quas annuis Magiſtratuum imperiis regi, nec facile, nec tutum erat, ipſe ſuſcepit, ceteras Proconſulibus ſorticio permiſit: & tamen nonnullas commutavit interdum: atque ea utroque genere pleraſque ſæpius adiit.* Sed operæ pretium eſt videre, quam ob rem Auguſtus inter Provincias Senatui traditas, Italiam adjecerit. Dion quidem enumerans Provincias inter Octavium, atque Antonium diviſas, hæc de Italia habet: *Italiam autem, eximiam ſemper in hujuſmodi rerum ſtatu fuiſſe, dicere nihil attinet, quum non de ea, ſed pro ejus ſalute certare ſe ii præſtulerint.* Igitur ſi conjectare liceat, Italiam Auguſtus Senatui reliquit, ut Terrarum Orbis imperium tenere ille videretur, quum eam Provinciam obtineret, ubi Romani Principatus ſedes erat. Sed revera ſimulationis hæc cauſſa fuit, quod in ea nullæ eſſent legiones, nihilque ex Senatus in eamdem imperio periculi timeretur, in qua omnia Principis oculis paterent.

Porro autem inter jura ſummi Imperii principem locum tenet jus vitæ, & necis; quod ſane per judiciariam poteſtatem exercetur. Habebat hoc Octavius in Cives Romanos, tamquam Tribunus, nempe in comitiis populi, ubi de maximis criminibus, veluti perduellione, agebatur; in Provinciis autem, uti Proconſul eodem jure profecto utebatur, ſed ut id, atque alia ex ſuo arbitrio moderaretur; contra vero ex Senatus videretur auctoritate manare, hoc ſolertiſſimo uſus eſt inſtituto. Jactavit ſe, ſenectute ingraveſcente, haud poſſe crebro Senatum adire ad ea decernenda, quæ Patribus auctoribus expediri fas erat: conſtituendum proinde ſibi Conſilium ex duobus, vel altero Conſule, ſi quando ipſe conſulatum gereret, & ex Magiſtratuum ſingulis, atque ex Patribus quindecim ſorte datis ad ſex menſes: ſic enim memoriæ prodit Tranquillus: *Sibique inſtituit conſilia ſortiri ſemeſtria, cum quibus de negotiis ad frequentem Senatum referendis ante tractaret.* Deinde vero per decennium publicæ adminiſtrationis cura ſibi delata, viginti petiit annuos Senatores ea

præ-

Digitized by Google

præditos poteſtate, ut quæ cum eiſdem decerneret, cum univerſo Senatu decreta viderentur. Tandem vero, ut decretis ſuis perpetuam firmitatem tribueret, Senatuſconſulto obtinuit, ut poteſtas omnis judicialis, & publica Senatus univerſi in ſuum conſilium translata exiſtimaretur, adeo ut rata eſſent conſilii hujus decreta, non ſecus, ac ſi in Curia facta eſſent. Atque huc revocanda ſunt hæc Pomponii verba: *Conſtituto Principe, datum ei jus eſſe, ut quod conſtituiſſet, ratum eſſet* (a).

Ne tamen putes, hoc conſtituto conſilio, omnem ſtatim Senatus auctoritatem concidiſſe: minora enim negotia, atque ea præſertim, quæ Principis Majeſtatem non offendebant, Senatui, ad priſtinæ dignitatis oſtentationem, relicta ſunt. Quantum autem Conſilii hujus commentum ad firmandam Monarchiam profuerit, infra videbimus, quum de conſuetudine fori Romani, ſub Auguſto invecta, verba faciemus, ea tantum nunc diſſerentes, quæ lucem iis, de quibus in præſenti agimus, adſpergunt. Quum Octavio Senatoria dignitas ita collata eſſet, ut Princeps Senatus audiret, primus omnium ſententiam rogabatur: quare in ſuo ipſo conſilio ſententiam ante omnes dicenti, num quis obniteretur? Cuncta igitur pro ſuo arbitrio regebat, omnia ſuæ voluntati parebant, quamvis poteſtatem omnibus, ſi liberet, contradicendi dicis cauſsa faceret. Ita enim eum admonebat Mæcenas: *Liberam dandi tibi ex animi ſui ſententia conſilii omnibus poteſtatem facies, propoſita ſecurinata. Nam & ſi cujus tibi ſermo probabitur, multum inde utilitatis ad te; & ſi non placebit, nihil incommodi redibit: quorum conſilium exiſtimabis ſequendum, eos collauda, atque honora: nam illorum inventis gloriam tibi paries; quorum vero rejicies, nequaquam eos, aut ignominia afficies, aut culpabis cum ad eorum tibi voluntatem, non ſucceſſum ejus, ſit reſpiciendum.*

Itaque ſuo in Senatu Auguſtus omnia divina, atque humana moderabatur: quum enim Pontifex Maximus eſſet, ſacra curabat; quum Princeps Senatus, quæ ad Senatum ſpectabant, decernebat; quum Proconſul, de Provinciis ſtatuebat; ob

(a) §. 2. *D. de orig. juris.*

Digitized by Google

ob Tribuniciam demum potestatem, quæ Populi erant, exercebat. Nec sane immutata videbatur vetus illa rerum gerendarum consuetudo, qua nihil ratum firmumque in Republica erat, cui Patrum non accessisset auctoritas. Ceterum hoc in Senatu non pauci aderant Jurisperiti, quibus ille de jure respondendi tribuerat facultatem, nempe ut Judices hos consulentes, ab eorumdem responsis discedere non possent. Quum autem ii multis nominibus Octavio essent obstricti, antiquas sane leges, conquisitis undique interpretationibus, ad novum regimen callide accomodabant, ut mores civium, ipso usu Monarchiæ, sensim assuescerent, eique adhærerent.

Non mirum igitur, si hoc consilium semel a Senatu Augusto concessum, Tiberius, atque insequentes Principes omni studio servare adnisi fuerint, scilicet ne, illo dimisso, judiciariam potestatem amitterent; maxime vero postquam Tiberius novis, ingentioribusque juribus locupletavit. Translatis enim Populi comitiis ad Curiam, atque a Curia ad ipsius Principis Senatum; judicia omnia, quæ Populi erant, præcipue perduellionis, & majestatis, & quæcumque negotia provocationis jure ad Populi comitia deferri solebant, ad Principis Senatum deciderunt, itaut ab hoc tempore Sacræ Cognitiones institutæ sint, quæ sive per Principum rescripta, aut mandata, sive per privilegia in Consultationibus, Appellationibus, Relationibusque, quæ apud Principis conciſtorium fiebant, exercebantur. Quin tanti Senatum hunc fecerunt Principes, ut quocumque eum secum adduxerint, vocaverintque Conciſtorium sacrum, quum ubicumque Princeps esset, ibi istiusmodi adessent Magistratus, majores, & primores Patrum, quos propterea & Consistorianos Comites nuncupabant. Demum singulari honore ornatos tanto amore prosequuti sunt, ut eosdem sæpe suos amicos appellarint, speciosisque cumularint titulis. Ex hucusque dictis vide quam ingenioſe Augustus sibi omnes summi Imperii partes, quæ antea in multos erant divisæ, in Senatum, & Populum, in Tribunos, Prætores, Ædiles, Consules, Censoresque, assumpserit, eo nempe quæsito colore, quod sibi mandatam a Populo potestatem exerceret, ne videretur communis libertas im-

Digitized by Google

immutata. Sed præcognita nova hac regiminis forma, operæ pretium est, ad leges explicandas nos accedere.

CAPUT II.

De Constitutionibus Cæsaris Octaviani Aug.

QUum leges civilis regiminis formam, Civium mores, temporis conditionem, Principisque ingenium sequantur, ut sæpius a nobis est inculcatum; æquum profecto fuit, ut antequam ad Jurisprudentiam Augustalem accederem, regimen Augusti depromerem, ejus ingenium investigarem, Romanæ Monarchiæ revolverem initia, civiumque mores exponerem. Quare omnibus his, qua brevitate potui, jam absolutis, ad leges interpretandas aggrediamur. Jam vero quum leges civili regimini aptæ esse debeant, ac civile regimen ab Augusto institutum Monarchicum esset, arcano quodam tamen involutum, ut pristina libertas Reipub. minime immutata videretur; procul dubio asserendum est, eam jurisprudentiam sub eodem invectam, quæ cum Monarchia faceret, & vetustam libertatem integre servatam simularet. Sic sane Julius quum, jam parta Dictatura, videret non ei congruere leges antiquas, novam juris compilationem excogitaverat: quare *statuisse* Tranquillus scripsit: *Jus civile ad certum modum redigere, atque ex immensa, diffusaque legum copia optima quæque, & necessaria in pauciſſimos conferre libros*. Sed quod morte præventus ille efficere minime potuit, Augustus absolvit, ea dando jura, *quibus pace, & Principe uterentur*. Ceterum advertendum est, Augusti leges Monarchico licet regimini accomodatæ fuerint, eas tamen fuisse, quæ non perfectæ Monarchiæ, sed orienti responderent: aliæ enim sunt leges, quæ adulto firmatoque jam Imperio conveniunt, aliæ vero quæ ejus orsis aptantur.

Colligas ex dictis, quam latum discrimen inter jus antiquum Romanæ Reipub. & novum sub Octaviano Augusto intercedat, non solum quod ad publicum Civitatis statum, sed etiam quoad rem privatam: nec secus profecto fieri potuit.

Digitized by Google

tuit. Si enim imperium olim inter Populum, & Senatum tributum erat, nunquam leges, quæ in hac forma regiminis latæ sunt, Monarchico imperio pares erant, in quo Summi Imperii partes uni tantum conceduntur: nec poterat cum Imperatoria Majestate jus illud perstare, quo Prætores, aliique Magistratus legum latores facti sunt. Etenim in Monarchia penes unum legis sanctio esse debet. Ad hæc, quum in Democratia legibus æque omnes pareant, leviores profecto pœnæ primum erant; contra vero in Monarchia, ubi alter quidem leges condit, alter vero iisdem sit obnoxius. Minime igitur incolumes sub Augusto servari poterant Reipub. Romanæ leges. Si autem privatorum instituta, & mores spectemus, haud secus disputandum: in Democratia quidem nihil obstat, quo minus patriam, & dominicam potestatem, jus vitæ, necisque in filios, & servos sequatur; in Monarchia vero nihil absurdius dici potest, quum unius Principis sit in Civium capita potestas: illic vivendi licentia laxior esse solet, hic vero minime, ubi non ad suum cujusque ingenium, sed ad inexorabilium legum præscripta mores conformandi. Ex quibus ratio intelligitur, quapropter novam Jurisprudentiam, quæ longe a veteri distaret, in rebus tum publicis, tum privatis, inveheret Augustus.

Sed quum frustra leges sint, nisi Civium mores vitiis depurgentur, ex quibus sæpe Urbes, & Imperia pereunt; ea propter Augustus & ad hanc partem manum admovit, ut emendatis moribus, aptior quisque promptiorque novis legibus suscipiendis fieret. Quibus autem malis laboraret tunc Romanum Imperium, fuse a nobis supra dictum est. Furentibus enim bellis civilibus, pudicitia labefactata, militaris disciplina collapsa, grassabatur ambitus, suffragia venditabantur, judiciorum integritas, pessumdata publica pecunia rapiebatur, socii concussionibus afflicti, Civibus securitas per proscriptiones adempta. Quid? Undique vis publica, vel privata, Urbs civibus orbata, publicum ærarium exhaustum, omnia flagitiis & sceleribus fœda. Igitur Augusti leges, quas pro eo ac potero aggredior exponendas, aliæ sunt ad firmandam Monarchiam, aliæ vero ad mores for-

formandos: ubi videbimus, quid ad impudicitiam per matrimonii caſtitatem evertendam, quid ad ſuffragiorum integritatem, judiciorumque ſanctitatem revocandam ſanxerit: videbimus ſingularem ejus prudentiam in corrupta nimis militum diſciplina reparanda, in Præſidibus a Provincialium vexationibus deterrendis, in potentiorum vi ab inopibus amovenda: quid demum ad Urbis ornatum, civiumque tutamen ſtatuerit; de quibus omnibus ſingulatim, atque ordine agendum. Quumque vel ſanctiſſimæ leges incaſſum ruant, niſi præſto ſint, qui ſedulam earum exequutioni operam navent; pergam deinceps ad Magiſtratus, quos Auguſtus inſtituit, qui novo invaleſcenti regimini congruerent; demum vero me ad uſum fori Romani, ſub Auguſto recens invectum, convertam, ubi admirabimur eam in litibus dirimendis inductam conſuetudinem, qua per rerum ipſarum uſum Civium mores Monarchiæ ſenſim aſſueſcerent.

§. UNICUS.

De Conſtitutionibus ad Urbis ornatum, & Conſervationem.

JAm ad juriſprudentiam Auguſtalem, ex locupletiſſimo hiſtoriæ penu depromendam, oratio mea pervenit. Imperator Auguſtus nil videbatur adverſus antiquam libertatem moliri, leges arbitrio ſuo condendo. Vulgo enim receptum erat, poſſe in Republica Magiſtratus, quæ vellent, edicere. Hinc frequentiſſima Prætorum, aliorumque Urbana edicta, quibus, veteribus abrogatis, nova prorſus obrogabantur. Quum igitur Auguſtus Magiſtratuum omnium vim, & poteſtatem ſibi arripuiſſet, a more inſtitutoque Majorum alienum non putavit, de omnibus per edicta leges ferre. Itaque veteri Magiſtratuum poteſtate uſus, juriſprudentiam ſibi convenientem paullatim inducere curavit. Sed ne rerum novarum nimis ſtudioſus videretur, non minori ſolertia ſe occultans, vetera revocare legibus ſuis dictitabat. Hinc Dio tradit ſæpe Populo commendaſſe, ne ab antiquis legibus deſciſcerent. *Primum leges firmiter retinete, neque quidquam in his mutate: nam*

quæ eadem ſemper manent, etſi ſint non nihil vitioſa, utiliora tamen ſunt his, quæ ſubinde, etiamſi in melius, innovantur. Etenim ſi eadem forma regiminis perſtante, ægre plerumque Cives rebus novis aſſueſcunt; quanto difficilius erit, mutata prorſus Republica nova inſtituta probari, novaſque leges æquo animo accipi? Quare prudentiſſime ſe geſſit Auguſtus, qui dum Monarchicæ Reipublicæ formam inſtituens, novis Conſtitutionibus munire nitebatur, veteres leges demortuas ad vitam revocare ſimulabat. Hæc igitur potiſsimum præ oculis, in Auguſtali juriſprudentia exponenda, habere debemus, nempe novata omnia eſſe, quamvis ſpecioſiſſima larva obvoluta, *ut nihil priſtini, & veteris juris immutatum videretur*: atque eas leges ab Auguſto perlatas, quæ non jam adultæ, ſed inoleſcenti adhuc Monarchiæ convenirent. Rem igitur his luculentiſſimis facibus, Deo auſpice, perſequamur.

Qua olim arte Græci, ceterarum omnium gentium ſolertiſſimi, in Repub. vel Ariſtocratica, vel Democratica in Monarchicam formam convertenda, uſi fuerint, viri politici ex vetuſtis monumentis adhuc ſuperſtitibus ſatis docent. Omnium primum pietatem erga Deos, Sacrorumque religionem ad ſuaſmet cupiditates detorquentes, templis ſedulo inſtaurandis, ſolemnibus ſacris inſtituendis, aliasque Deorum cæremonias præcipiendo, rerum Divinarum ſatagebant. Per hanc enim religioſi cultus ſimulationem, pietatis opinionem captabant, ab avaritiæ, ſævitiæque ſuſpicione declinabant, invidiam demum, atque inſidias a ſe avertebant. Et quidem tantam in iis Deorum venerationem ceteri omnes admirantes, ab omni vi, impetuque deterrebantur, metuentes nimirum, ne Deos ipſos, quibus cari erant, ſuarum injuriarum ultores haberent. Deinde ſe ad res humanas convertentes, ſingulari ſtudio curaque Civitatis commodis proſpiciebant, nempe ut procuratores magis ejus, cuſtodeſque viderentur, quam Principes: pecuniam publicam ita curabant, ut tamquam Civitatis diſpenſatores, populi utilitati, non ſibi ſtuderent, neve cui ſuſpicio eſſet, ſe publico ærario ad ſuas cupiditates uti, & parce ſobrieque vivebant, & publicarum rationum ſingulis quibuſque inſpiciendarum copiam faciebant. Hinc ſcripſit

He-

Digitized by Google

Herodianus Antoninum ſæpe hæc dicere ſolitum : *Siquidem in illa Urbe ſita eſt Imperii fortuna, nobis autem diſpenſatio tantum, atque adminiſtratio Principatus una vobiſcum poſita eſt.* Qui inter Cives præſtare videbantur, eos evehebant ad honores, ne majus quid in libero Populo, quam ſub Principatu ſeſe aſſequi poſſe ſperarent: pœnas quidem per alios poſcebant, præmia autem per ſe dabant. Divitibus præterea, & egenis æque placere nitebantur, illis quidem per conſervationem divitiarum, quarum amiſſio numquam eſt ſine periculo, his vero defenſionem ab injuriis potentiorum, quos a pauperiorum corporibus prohibere conabantur. Hæc, atque alia iſtiusmodi, quamvis Rerumpublicarum omnium conſervationi valde proſint, quum tamen earum forma mutatur, mirum quantum novo regimini ſerviant. Quibus ſane inſtructus conſiliis Auguſtus, vix narrari poteſt, quam præclare omnia geſſerit. Et quidem hæc Tranquillus memoriæ prodidit: *Ædes ſacras vetuſtate collapſas, aut incendio abſumptas refecit: eaſque, & ceteras opulentiſſimis donis adornavit. Sacerdotum & numerum, & dignitatem, ſed & commoda auxit, præcipue Veſtalium Virginum: cumque in demortuæ locum aliam capi oporteret, ambirentque multi, ne filias in ſortem darent; adjuravit, ſi cujuſquam Neptium ſuarum competeret ætas, oblaturum ſe fuiſſe eam.* Ex divinis rebus ad humanas deſcendens, pulcherrimis ædificiis Civitatem exornavit; integras per Provincias Urbes, vel vetuſtate collapſas, vel terræ motibus quaſſatas ex integro refecit, ut idem Tranquillus ſcripſerit, *ſe gloriatum marmoream relinquere Urbem, quam lateritiam accepiſſet.* Inter hæc omnia lex Quintia numeranda eſt de pœnis eorum, *qui rivulos, fiſtulas, Caſtella, lacus aquarum publicarum violarint, vel corruperint*, ut legitur apud Frontinum de Aquæ ductu, & Reineſium inſcript. 7. 10. quæ ſane lex quo majori luce adſpergatur, liceat mihi nonnulla hic præfari.

Ab Urbe condita per annos CCCCLI. non alius aquarum uſus Romanis fuit, niſi quas aut ex Tiberi, vel ex puteis, aut ex fontibus haurirent. Verum Civium numero in dies creſcente, ac laborante nimium Civitate aqua-

quarum penuria, aliunde deduci in Urbem aquam oportuit, cujus ſane tanta facta eſt copia, ut ſingulæ fere domus ſuos fontes habuerint. Itaque ex diverſis quidem locis, hujuſmodi peregrinæ aquæ, per tubulos in arcuatis fornicibus, intra mœnia derivabantur. Sed hæ in caſtellis primum colligebantur, ut inde a caſtellario certa menſura diſtributæ, in loca deſtinata effluerent. Caſtellum erat locus, qui aquam publicam excipiebat, eamdem deinde huc, & illuc emiſſurus: quique eam cuſtodiebat nomen ſortitus ex ipſo loco, Caſtellarius dictus eſt. Porro autem, non niſi in publicos uſus olim aqua erogabatur; legeque vetitum, ne quis privatus alio eam duceret, ſed uſui privato illa patebat, quæ ex lacu ipſo abundabat, excreſcebatque, quam caducam appellabant: atque hæc non in alium uſum, quam in balneorum, aut fullonicorum dabatur, cui proinde vectigal ſtatutum, quod in publicum pendebatur. Jus dandæ, vendendæque aquæ primum Conſulum, ac Cenſorum, poſtmodum Ædilium fuit. Sed Auguſtus curatorem inſtituit, abrogata in eam Cenſorum, Ædiliumque poteſtate. Aqua vendita, adeo contracta intelligebatur ejus emtio, ut neque heredem, neque alium quemvis poſſeſſorem ſequeretur: balneis tantum datum fuit, ut aqua conceſſa, ad quemvis poſſeſſorem tranſiret. Familiæ, quæ aquam curabant, duæ erant, alia publica, Cæſaris alia, cujus utriuſque erant vel villici, vel caſtellarii, vel curatores, vel ſilicarii, vel tectores, atque id genus opifices, qui toti erant in aquæ publicæ miniſterio, quibuſque certa merces ſtatuta, nempe ex reditu vectigalium ad jus aquarum pertinentium. Ex his ſatis intelligas, quantæ curæ fuerit Romanis aqua publica, & quam merito e re ſua putaverit Auguſtus eamdem ſeveriori ſanctione munire: pœnæ autem, quæ in hac lege occurrunt contra aquarum corruptores, acerbæ admodum ſunt, quas ſi pernoſſe cupias, videas præter laudatum Frontinum, Antonium Auguſtinum *de legibus*: nam ea utpote perlonga, libenter omittimus excribere. Rectius itaque ad alia pergemus.

Inter ea, quæ ſapientiſſimus ille Princeps, ad commodum Urbis Romanæ paravit, nihil ſane utilius Civibus fuit, quam inſti-

ſtitutum illud, quo Urbem diviſit in quatuordecim Regiones, ſive vicos, quibus ſingulis procuratores incendiorum conſtituit, iiſque Tribunos plebis, & Prætores præfecit. Etenim quum ſæpe ignis periculum quererentur Cives, ac frequenter tecta, ac ſuperbiſſima ædificia, ſive caſu, ſive hominum negligentia conflagraſſe ingemiſcerent; Imperator, ut incendiorum iſtiuſmodi malo occurreret, ſuos cuique Urbis regioni Magiſtratus inſtituit. At vero cur, quæſo, Curatoribus incendiorum Prætores, & Tribuni plebis præerant? Ex Auguſti ingenio repetenda eſt ratio: nempe ut nova hac poteſtate veterem eorum infringeret auctoritatem. Quum enim hæc cum nova Reipub. forma non bene cohæreret, ut paullatim antiqua dignitatis ſuæ jura obliviſcerentur, novum iis, atque honorificum ſuſtinendum munus impoſuit.

Quanta autem ejus cura fuerit, ut Civium inopiæ occurreret, videamus. *Nam & invecta Urbi Alexandrino triumpho regia gaza, tantam copiam nummariæ rei effecit, ut fœnore diminuto, plurimum agrorum pretio acceſſerit. Et poſtea quoties ex damnatorum bonis pecunia ſuperfluereț, uſum ejus gratuitum iis, qui cavere in duplum poſſent, ad certum tempus indulſit. Senatorum cenſum ampliavit: ac pro octingentorum millium, ſumma duodecies H. S. tanavit, ſupplevitque non habentibus. Congiaria Populo frequenter dedit . . . frumentum quoque in annonæ difficultatibus ſæpe leviſſimo, interdum nullo pretio viritim admenſus eſt, teſſeraſque nummarias duplicavit,* Ita Tranquillus in Octav. cap. 41., quæ continenter ex ſcripſiſſe non pœnitet: facile enim intellectu eſt, quam fuerit ſollicitus in totius Civitatis indigentia ſublevanda: etenim & minuendo fœnore, congiariiſque frequentibus plebi conſuluit, & cenſu Senatorio de ſuo ſupplendo, Patribus opitulatus eſt, & frumenti annonæque providentia omnibus ſtuduit, ut omnium ex hoc parta gratia diu feliciterque regnaret.

Attamen quia plerumque fit, ut ex rerum copia otium, & luxuries, Civitatum perniciés, oboriantur, hinc ſapientiſſimus ille Princeps ne tam effuſa ſua liberalitas Civium mores corrumperet, leges ſumptuarias condidit, quas nunc explicandas aggredimur. Ait laudatus Tranquillus eum

hac

Digitized by Google

hac ratione publicas frumentationes temperaſſe, *ut non minorem aratorum, ac negotiantium quam Populi rationem deduceret.* Non minus enim hi, quam illi Civitati ſunt perutiles, ſed nos rem propius attingendo, videamus quemnam modum in ſumtibus ſtatuerit. Sane Gellius (*a*) hæc nobis memoriæ prodidit: *Poſtremo lex Julia ad Populum pervenit, Cæſare Aug. imperante, qua pro feſtis quidem diebus ducenti finiuntur. Kalendis, Idibus, Nonis, & aliis quibuſdam feſtivis, trecenti: nuptiis autem & repotiis H. S. mille eſſe etiam dicit Capito Atejus edictum, Divi ne Auguſti, an Tiberii Cæſaris, non ſatis commemini) quo edicto per dierum varias ſollemnitates a ccc. H. S. ad uſque duo millia ſumptus cœnarum propagatus eſt, ut bis ſaltem finibus luſuriæ efferveſcentis æſtus coerceretur.* Cum Gellio conſentit Tranquillus ita: *Leges retractavit, & quaſdam ex integro ſanxit, ut ſumptuariam, & de adulteriis, & de pudicitia.* Hæc illi.

Sed hi tamen Scriptores, quem vivendi modum maxime Auguſtus præſcripſerit, haud tradunt: puto autem, ego admodum ſeverius hac in parte eum ſe geſsiſſe, cujus quidem ſententiæ ibidem cap. 40. auctor eſt ipſe Tranquillus, qui refert, etiam *habitum, veſtitumque priſtinum reducere ſtuduiſſe. Ac viſa quondam pro concione pullatorum turba, indignabundum clamitaſſe: En Romanos rerum dominos, gentemque togatam.* Ex quibus ſane facillime ut credam inducor, legem Auguſti ſumptuariam ſatis ſeveritatis habuiſſe, quum & habitum priſtinum reducere voluiſſet. Julius etiam quanto ſtudio frugalitatem, & temperantiam curaverit patet ex illo ejuſdem Svetonii in Julio cap. 43. *Legem præcipue ſumptuariam exercuit, diſpoſitis circa macellum cuſtodibus, qui obſonia contra vetitum retinerent, deportarentque, ad ſe ſubmiſſis non nunquam lictoribus, atque militibus: qui ſi cuſtodes fefelliſſent, jam appoſita e triclinio auferrent.*

Sed hic mihi videtur Julius non ſecum ipſe concors: nam idem auctor hæc de eo memorat: *Tum reorum, aut obæratorum, aut prodigæ juventutis ſubſidium unicum, ac promptiſ-*

ſi-

(a) *Lib. II. cap. 24.*

Digitized by Google

simum erat; nisi quos gravium criminum, vel inopiæ luxuriæque vis urgeret, quam ut subveniri posset a se; his plane palam bello civili opus esse dicebat. Hæc contraria inter se esse videntur, sumptibus etiam in re licita vetare, deinde vero data pecunia corruptos juvenum mores, ac effusiorem luxuriam juvare. Verum si tempora seperentur, nihil erit quod dissone Cæsarem se gessisse fatebimur: etenim quum nova molientibus maxime prosit populi cupiditatibus indulgere, neque usquam ejus voluntati obluctari, callidus ille vir nondum rerum potitus e re sua duxit luxurianti juventuti modis omnibus assentiri: at vero ubi imperium sibi constituerat, aliter rem transigendam censuit. Si enim ex nimio vivendi luxu egestas, furta, rapinæ, perjuria, aliaque sexcenta scelerum monstra, quæ publicam quietem interturbant, oboriri solent, optime sibi factum putavit legibus sumtuariis tanto malo occurrere. Advertit sane id Aristoteles, aliique, qui de rebus publicis constituendis scripserunt, quemadmodum frugales Cives publicum otium fovent, ita eosdem intemperantes interitum Civitatibus vel opulentissimis parare. Quibus profecto intellectis, discordes Cæsaris leges amice conjurant, quum antea quidem intemperantium voluntatibus obsecundarit, deinde vero voti compos factus, eorumdem luxui, atque illecebris obstiterit.

Quum igitur constitutæ jam Reipublicæ temperantia Civium valde prosit, nihil tamen ad eam proclivius, quam recta adolescentium institutio. Itaque optimi Principis munus esse dicebat Mæcenas, primam Civium ætatem disciplina potius informare, quam deinde in eosdem delinquentes animadvertere. *Id autem tu ita præstabis* (ait) *si non permittas omnia eos ex libitu agere, ac deinde delinquentes corrigas: sed si priusquam peccaverint quidquam, omnia eos doceas, quæ exercentes & tibi, & sibi ipsis majori sint usui: omnemque omnibus occasionem propter divitias, nobilitatem, aut aliam quamcunque præstantiam, vitæ per desidiam, & moliciem, aut prava studia duxendæ præcidas*. En quo spectant leges sumptuariæ, scilicet ut nimiā civium luxuries præcidatur, atque adolescentium maxime ætas ad temperantiam informetur. Quan-

to autem ſtudio id anniſus fuerit Auguſtus, tradit Tranquillus his verbis: *Rectores quoque ſolitus eſt apponere ætate parvis, ac mente lapſis, donec adoleſcerent, aut reſipiſcerent: ac plurimorum liberos & educavit ſimul cum ſuis, & inſtituit.* Quare apte quidem huic inſtituto legem Juliam, & Titiam juſſit perferri, qua ſtatutum ut Tutorem legitimum, vel teſtamentarium in Provinciis non habenti, tutor a Præſide daretur. Sane Attilio Regulo Tribuno rogante, ſtatutum erat, ut qui tutorem legitimum vel teſtamentarium non haberet, ei tutor a Prætore, majorique parte Tribunorum aſſignaretur. Verum lex hæc Romæ tantum valuit, nec niſi uſu in Sicilia recepta fuerat, præterea nuſquam gentium. Sed Auguſtus, ut univerſorum ſe curam habere ſignificaret, ad ceteras Provincias omnes protulit.

Vidimus hucuſque leges Auguſti, quibus Civitatis curam, Civiumque rectam inſtitutionem præſetulit: exponamus nunc eas, quæ Civitatis reſpiciunt ornatum, nominiſque Romani dignitatem. Hæ autem leges ſunt Fuſia Caninia, & Ælia Sentia, de quibus hæc Tranquillus (*a*): *Servos non contentus multis difficultatibus a libertate juſta removiſſe, quum & de numero, & de conditione, ac differentia eorum, qui manumitterentur curioſe caviſſet; hoc quoque adjecit, ne vinctus unquam, tortuſve quis, ullo libertatis genere Civitatem adipiſceretur.* Itaque per Fuſiam Caniniam ſervos in teſtamento manumittendi coercuit libertatem: in teſtamento inquam, ne deneges viventibus permiſſum fuiſſe, quos vellent, ſervos manumittere. Quum enim nimiam viventium liberalitatem in manu ſervis mittendis ipſa rei per ſe familiaris ratio, egeſtatiſque periculum moderaretur, non erat cur cavéndum cenſeret. Contra vero vulgatiſſimum eſt, quanto Romani deſiderio captarentur, ut morientium pileati ſervi funus proſequerentur: quapropter ut profuſæ huic facilitati occurreretur, lege opus fuit. Itaque quum in Romanorum pecunia ingens plerumque ſervorum numerus eſſet, ſæpe vix unus, aut alter erat, qui ex domini teſtamento libertatem, atque adeo Civitatem Romanam non adipiſceretur.

Qua

(a) *In octav. cap. 40.*

Digitized by Google

Qua de re offenſus Auguſtus, ne immani libertorum multitudine ſervili ſanguine Urbs pollueretur, manumittendi licentiam inhibendam cenſuit; atque imperavit, ut intra decem pars dimidia, intra triginta pars tertia, intra centum pars quarta, intra quingentos pars quinta, nempe centum libere manumitterentur, nec liceret eum numerum excedere, etſi plures quam quingenti ſervi poſſiderentur. Ex his perſpicue patet id, quod ſcripſit Vopiſcus in Tacito, quum ait: *Servos manumiſit intra centum, ne Caniniam tranſiſſe videretur.*

Item lege Ælia Sentia cautum, ne ſervi in crimine aliquo deprehenſi, deinde torti, aut ad ferrum dati, vel abjecti beſtiis, aut in publicam cuſtodiam detruſi, Civitatem, ejuſque jura obtinerent, ſed manumiſſi dedititiorum inſtar eſſent; ejuſdem nempe conditionis, atque ii, qui, abjectis armis, ſe ſuaque omnia in ditionem Populi Romani dediſſent: par enim dicebat Princeps ille prudentiſſimus eſſe, ut ab honeſtiſſima Civitate hominum flagitioſorum maculæ averterentur. Hac etiam ratione prohibuit, ne minor viginti annis dominus manumitteret, niſi in Urbe ad conſilium quinque Senatorum, totidemque Equitum probata cauſſa; in Provinciis vero apud conſilium viginti Recuperatorum, ſive Judicum: idemque jus erat, ſi ſervus triginta annorum minor manumitti a quocumque vellet. Etenim quum vaferrimi plerumque ſervi laſcivientium adoleſcentium luxuriem conſiliis ſuis foverent, eoſdemque, ſi probi forte eſſent, doloſe ad illecebras traherent; indignum ſane erat, ut nequam iſti homines Civitatem Romanam, quæ virtutis præmium eſſe debebat, per ſua flagitia conſequerentur; atque ita urbs pulcherrima nefariis Civibus fœdaretur. Itaque quum maximo pollere judicio deberet, qui novis Civibus Rempub. augere exoptaret, prohibitum eſt, quominus minor hic manumitteret, niſi cauſſa ad conſilium probata: quumque libertatis, Civitatiſque donum tantum eſſet, ut eo majus nihil haberetur; merito etiam præſcriptum, ut nemo minor annis triginta manumitti poſſet, nempe ut ea judicii vis in eo eſſet, qua tantum donum, ac beneficium ſibi datum intelligeret.

Attamen quia pollicitus ſum Principis hujus leges intus

etiam, atque in cute perſcrutari, rem penitius, ſi fieri poteſt, rimemur. Sane in coercendis manumiſſionibus id quidem ille præſeferebat, ut Romanam dignitatem ſervaret, ne tam ingenti barbarorum, qui in dies libertate donabantur, numero, honeſtiſſimum nomen Civitatis vileſceret: ſic enim ille præfatur ad Liviam apud Tranquillum (a): *Se facilius paſſurum Fiſco detrahi aliquid, quam Civitatis Romanæ vulgari honorem.* Sed vera ac germana ejus conſilii cauſſa fuit, quam inter præcepta Reipublicæ Tiberio concredita docuit apud Dionem: *Ne multos manumitterent, ne nimirum varia turba Urbs impleretur: neve multos jure Civitatis donarent, quo videlicet ipſi multa haberent ſuis ſubditis potiora.* Sat enim viri politici monuere, quantum obſit regimini vel Ariſtocratico, vel Monarchico inoleſcenti turba Civium frequentior in principe Urbe coaleſcens: ſive enim ſuffragiorum ſpectes numerum, ſive tot capitum in diverſas obeuntium ſententias multitudinem, dixeris ſane rem in periculo eſſe. Id igitur proſpiciens Auguſtus, nimium parcus in Civitate largienda fuit, & quantum potuit, prohibuit, quominus ſervi libertate donarentur.

Præter hæc lex Julia occurrit de ceſſione bonorum, ſive a Julio Cæſare ſit, ſive ab Auguſto perlata, nempe ad captandam plebis gratiam, quæ plerumque inopia laborat. Per eam ſancitum, ut qui ſine dolo malo eo egeſtatis pervenerit, ut ære alieno exire non poſſet, is bona ſua cedendo liberaretur. Quod, ut luculentius intelligatur, fas mihi ſit, perpauca de obæratis præfari. Sane Patricii, ut in plebem dominarentur, duabus potiſſimum rationibus adniſi ſunt, gravitate nempe uſurarum, quibus plebis exhauriebantur bona; & poteſtate ob debitum non ſolutum in debitoris libertatem, qua in conditionem ſervilem redigebantur. Hinc tot rogationes legimus de uſuris minuendis, demum omnimode abolendis. Lex Duodecim Tabularum hæc juſsit: *Si qui unciario fœnore amplius fœneraſſit, quadruplione luito.* Verum licet per id in partem plebi conſultum ſit, manſit tamen, immo & per Duo-

(a) *Ibid. cap.* 40.

Duodecim Tabulas comprobata dira illa consuetudo, qua creditor in debitorem, ubi non solvisset, potestatem nanciscereretur. En illarum verba: *Ni cum eo pacit, sexaginta dies endo vinculis retineto: Interibi trinis nundinis continuis in comitium procitato, ærisque æstimiam judicati prædicato. At si plures erunt rei, tertiis nundinis partis secanto: si plus minusve secuerint, se fraude esto: si volent uls Tyberim peregre venumdanto.*

Fas igitur erat creditori manum injicere in debitorem confessum, vel judicatum, eumque domum suam abducere, tamquam in carcerem privatum, ubi ne aufugeret, nervo, & compedibus vinciebatur: post autem sexaginta dies, nisi cum creditore pactus fuisset, trinundinum licebat eum venui subjicere: quem si ex civibus nemo ad emendum accederet, peregrino fas erat vendere. Sed quid si plures creditores? Sane sanctum, ut totidem in partes secarentur. Sævissima certe lex. Cur enim in frusta debitor secandus, nisi ut eo facto, inaudita certe crudelitate, pasceretur creditorum avaritia? Sed num legis verba de corporis physici sectione, an vero de bonorum divisione sint intelligenda, acriter inter se se certant eruditi. Quid quid sit, meum certe haud est istiusmodi controversias pertractare, quum id tantum in animum induxerim meum, ut legum caussas ex politicæ penu, quantum possem, depromerem. Hoc tantum juvat admonere, eos ipsos, qui de humani corporis sectione Duodecim Tabulas interpretati sunt, nunquam tam dirum spectaculum se in historia Romana legisse candide confiteri.

Verum quum obærati servituti addicerentur, haud Civium libertas servabatur a Patriciorum dominatu. Hinc a Tribunis rogitatum, ut malum hoc averteretur a plebe. Sane quum ob insignem L. Papirii in C. Publilium nexum crudelitatem, plebs indignitate injuriæ accensa ad curiam confluxisset, jussi Consules ad Populum ferre (a), *Ne quis, nisi qui noxam meruisset, donec pœnam lueret, in compedibus, aut in nervo teneretur: pecuniæ creditæ bona debitoris, non corpus obno-*

(a) *Liv.* 8. 28.

noxium esset. Ita nexi soluti; cautumque in posterum, ne necterentur. Sed quamquam post hanc legem addictio obæratorum, & deductio in nervum adempta fuerit, non tamen satis rei prospectum est. Nam bonorum possessio & famam lædebat, & a carcere non prohibebat. Hinc Julius Cæsar, ut plenius debitoribus consuleret, cavit: *De pecuniis mutuis disjecta novarum tabularum expectatione, quæ crebro movebatur, decrevit tandem, ut debitores creditoribus satisfacerent per æstimationem possessionum, quanti quasque ante civile bellum comparassent, deducto summæ æris alieni, si quid usuræ nomine numeratum, aut perscriptum fuisset* (a). Deinde vero per eundem Julium, sive per Octavium cessionis bonorum beneficium inductum est, ut qui forte sine dolo malo solvendo non esset, bona sua creditori cedendo liberaretur. Ex hac lege velim colligas, quantam Octavius apud plebem inierit gratiam, quum eam a Patriciorum tyrannide eripuisset, quamquam callide rebus suis consuluisset. Vetito enim carcere privato, cui antea debitor tradebatur, speciem illam pristinæ Reipublicæ obliteravit, cujus regimini, quemadmodum minime adversabatur jurisdictio privata, quippe vigente Aristocratia penes singulos, sic nascenti monarchiæ, ad quam sub Augusto Respublica delapsa fuerat, maximo erat impedimento.

Verum ut omnes, nedum una plebs maxima libertate potiri opinarentur, id etiam constituit, ut qui libellos famosos conficerent, vulgarentque, testari possent, quum antea, florente quoque Republica, intestabiles essent. En Tranquilli verba ad rem appositissima (b): *Etiam sparsos de se in Curia famosos libellos nec expavit, nec magna cura redarguit. Ac ne requisitis quidem auctoribus id modo censuit, cognoscendum post hac de iis qui libellos, aut carmina ad infamiam cujuspiam sub alieno nomine ederent* (c). *Jocis quoque quorumdam invidiosis, aut petulantibus lacessitus, contradixit edicto. Et tamen de inhibenda testamentorum licentia, ne Senatus quidquam constitueret, intercessit.* Locus quidem hic turbatissimus a nemine, quem sciam, adhuc intellectus, experiar ipse an aliqua luce

(a) *Sueton.* 42.
(b) *In oct. cap.* 55.
(c) *Idem* 56.

Digitized by Google

luce adſpergi poſsit. Romanis profecto nulla major libertatis nota, quam teſtandi facultas: hinc Duodecim Tabulæ: *Pater familias uti legaſſit ſuper pecunia, tutelave rei ſuæ, ita jus eſto.* At vero per famoſos libellos hæc teſtandi facultas omnino intercidebat. Quum autem Auguſtus ſæpe jocis, vel carminibus in teſtamentis carperetur, conſilium Senatus fuit vel carmina hæc cum famoſis libellis exæquare, ut auctores inteſtabiles faceret, vel ſaltem eadem nova pœna vetare. Sed utrumque Auguſtus reſpuit, ne qua ratione, ne ex tranſverſo quidem, videretur Romanam libertatem labefactare. Atque hæ ſunt Auguſti leges, quibus & Civitatem exornavit, & Cives tutatus, atque ad rectam vivendi normam redegit, & Optimatibus demum, Equitibus, plebeiſque, pro cujuſque genio conſuluit; nempe ut omnium ſibi gratiam captaret, naſcentem Monarchiam foveret, neque tamen a publica utilitate diſcederet. Sed percurramus alia, inſtituto noſtro propriora.

CAPUT III.

Ad legem Juliam, & Papiam, de maritandis Ordinibus.

§. I.

De legis hujus occaſione, atque hiſtoria.

NUlla quidem in toto juris corpore lex celebrior, quam Julia, & Papia de maritandis Ordinibus. Sive enim morum tunc temporis depravatorum reparationem ſpectes, ſive firmam Monarchiæ inſtitutionem, clanculum tamen, ac veluti per tranſverſos cuniculos, certo certius nil aptius, nihilque præſtantius hac lege tibi occurret. Etenim quum per eam præmia obtemperantibus, pœnas vero repugnantibus ſtatuendo, vaga venus prohibita, juſta matrimonia comprobata, divortiorum licentia cohibita, patrum cum libertis, ludicramque artem exercentibus conjugia vetita ſint; intemperantium Civium vitæ conſultum eſt, impudicitia repreſſa, affi-

Digitized by Google

affinitatum diſsidia ſublata, Senatorum dignitati proſpectum. Quo profecto ſicuti reformandæ Civitati nihil utilius, aut aptius inſtaurandis adoleſcentium moribus; ſic Optimatium honeſtati conſonantius, Romanique demum nominis decori conſultius fuit.

Dixi per legem hanc non ſolum publicæ utilitati, ſed etiam, latenter licet, Monarchiæ firmandæ operam datam: nam pœnæ adverſus cœlibes, & matrimoniorum divortia, atque in eos, qui contra præſcriptum legis matrimonium iniiſſent, ea de cauſſa conſtitutæ fuere, ut ærarium Monarchicæ dominationis fulcrum, quod bellis civilibus penitus jam exhauſtum, in immenſum diteſceret. Qua enim gratia tot arctiſsimis limitibus matrimonia contracta, niſi ut plures dotes in Fiſci commodum publicarentur? Cur tam varia bona caduca, quaſi caduca, ereptitia, ac vacantia miro hoc artificio excogitata, niſi ut privatorum fortunæ proclivius ad augendum ærarium conflluerent? Itaque quum lex hæc tam Civium mores, quam rem monarchicam quaqueverſus ſpectarit, nil mirum ſi per univerſam Romanam juriſprudentiam adeo fuſe ejus partes diſſeminatæ ſint, ut fruſtra credas poſſe ad perfectam Romani juris aſſurgere notitiam, niſi legem eandem, hiſtoria duce penitiſsime introſpicias. Et quamvis illi inſequentibus Principum Conſtitutionibus paullatim derogatum ſit per omnes ſuas partes, ut omnino tandem exoleverit; accidit tamen, quod ſæpe querimur, ut per Triboniani inſcitiam, cauſſis abrogatis, ſuperſtites illarum manſerint effectus, qui profecto plane intelligi nequeunt, niſi eorum repetita origine.

Quum igitur univerſi prope juris lex hæc fundus eſſet, ejuſque veſtigia ſparſim in jure Juſtinianeo ſpectentur, licet nunc temporis nulli uſui ſint, apte tamen Auguſti politiæ congruebant. Et quoniam diſcerpta ejus capita, ut modo legimus, atque a ſedibus ſuis avulſa, obſcuritatem maximam pariant; hunc propterea ordinem in hac expoſitione mihi præſcripſi, ut ante omnia oſtenderem occaſionem, & cauſſas legis, rationeſque, quas Auguſtus per eandem iniverit, ſive ad publicam honeſtatem Senatorum, ceterorumque Civium reparandam, ſive ad augendam Urbem civibus, ſive ad inops

æra-

Digitized by Google

ærarium locupletandum; deinde ſejuncta legis capita ad ſuam quodque ſedem revocarem, ut nempe tenebræ illæ, quibus confuſa rerum, atque inepta diviſio offunditur, evaneſcant. Demum vero quum in his meis lucubrationibus, non lectoris tantum mentem eruditione paſcere inſtituerim, ſed vetera potiſsimum ad noſtræ memoriæ conſuetudinem expendere, ſubductiſque illius vetuſti, ac noſtri civilis regiminis rationibus, docere, an conſequentiæ illæ, quæ per Tribonianum ex jam abrogata lege excerptæ ſunt, noſtri temporis rebus, & judiciis aptandæ ſint. Rem propterea ab origine ſua perſequamur.

Diu multumque inter civilis prudentiæ peritos diſceptatum, an copioſa nimis civium multitudo obſit magis, quam proſit Reipublicæ. Sane Ariſtoteles inter vetuſti temporis politicos facile princeps, copiam Civium juſto majorem Civitatis felicitati officere putavit; ſtatuitque, eam Populi optandam multitudinem, quæ ſatis ſit ſe incolumem ab externa vi ſervare. Ut enim probe civitas gubernetur, & civium quiſque internoſci debet, & omnes ſe mutuo amore, & familiaritate quadam complecti: quod quidem quemadmodum in juſto numero eſſe poteſt, ita profecto ægre, ſi Populus in immenſum excreverit. Sed hæc utcumque vera ſunt, aliter tamen ſe res habuit apud Romanos. Quum enim Civitas bellico furore raperetur, nec niſi unis civibus ex veterum inſtituto legiones conſtarent, quo civium multitudo major, eo firmiores ejus opes cenſebantur. Et quidem ante bella Civilia, quamquam cum exteris gentibus ſine intermiſſione bella gererentur, magna vis civium erat; ſed civilibus motibus inſurgentibus, adeo gens Romana decrevit, ut hæc ſcripſerit Appianus (a): *Cenſu deinde auctо, ferme dimidio minus capitum cenſum eſt, quam ante hujus belli civilis initium.*

Itaque quum Urbanæ ſeditiones, maxime vero impium illud inter Cæſarem, & Pompejum bellum, Urbem civibus ſpoliaſſet, ærarium exhauſiſſet, effrenatos demum mores, impudicitiamque potiſsimum inter milites, civeſque omnes invexiſſet; his ſanandis malis conſultiſsima erat, ut dixi,

(a) *In Cæſare lib. 2.*

lex illa, quæ Civium numerum augeret, pudicitiam repararet, ærariumque emunctum ad priſtinum reſtitueret. Sed non ſine ſumma difficultate, arduoque labore Imperator rem tranſegit: nam quum ad vagam venerem comprimendam, ad frequentiſsima divortia coercenda, ad omnem demum impudicitiam, quæ inclinatis Romanorum moribus adeo graſſabatur, avertendam, remedia quæcumque eſſent acerba; lex hæc, quæ cuncta hæc monſtra, uno veluti impetu, proſterneret, ſummo conatu ferri debuit: quare Auguſtus eos, qui legi huic ſaluberrimæ adverſabantur, verbis his increpaſſe fertur (a): *Neque enim adeo ſolitudo vos ferri capit, ut abſque mulieribus degatis, ac non quilibet veſtrum menſæ, ac lecti ſociam habeat: ſed licentiam libidinis vivendi, ac laſciviæ veſtræ exercendæ quæritis.* Nempe *expeditam illam ac liberrimam vitam extra matrimonium, & ſine ſobole*. Hoc idem Horatius ſenſit, nempe quanti negotii eſſet effrenatis Civium libidinibus occurrere: quapropter quum legem Auguſtus in Senatu ferret, ut ejuſdem auctoritate in comitiis apud Populum rogaretur, his verbis Poeta ille felicem ſucceſſum apprecatus eſt (b):

Diva producas ſobolem, Patrumque
Proſperes decreta, ſuper jugandis
Fœminis, proliſque novæ feraci
Lege marita,

Itaque jubente, quamvis auctore Senatu, legem Auguſto, mirum eſt quantas id turbas exciverit: ſcribit enim Tranquillus (c), *Eum legem hanc de maritandis ordinibus, quum aliquanto, quam ceteras ſeverius emendaſſet, præ tumultu recuſſantium perferre non potuiſſe, niſi adempta demum, lenitaque parte pœnarum & vacatione triennii data, auctiſque præmiis.* Sed qui potuit fieri, ut emendaſset eam legem, quam non dum pertulerat? Hinc hoc in loco mendum ineſſe ſuſpicatus vir acutiſſimus Heineccius, *ac mandaſſet* legendum putavit pro *emendaſſet*; ita ut ſenſus ſit, Auguſtum majori auctoritate ſeveritateque legem hanc, quam ceteras, rogaſſe. Sed nos ex diverticulo ad viam. Quum

(a) *Dion. lib. 56.*
(b) *Epod. XVIII.*
(c) *In Octav. cap. 34.*

Digitized by Google

Quum igitur Populo obnitente ne lex vulgaretur, omnia fruſtra fuiſſent, arrepta eſt a Poetis occaſio civium gaudia exponendi: quare ſic Propertius (*a*):

Gaviſa eſt certe ſublatam Cynthia legem,
Qua quondam edicta flemus uterque diu
Ne nos divideret.

Non modo autem nuptias horrebant Romani, ut licentia abuterentur, & libidinibus ſervirent, ſed ut expenſas etiam immodicas effugerent, quibus in matrimonii ſollemnibus pro luxuriantium tunc temporis mulierum faſtu opus erat. Quæ ſane ſignificare voluit Metellus cenſor quum inquit (*b*): *Si ſine uxore, Quirites, poſſemus eſſe, omnes ea moleſtia careremus; ſed quoniam ita natura tradidit, ut nec cum illis ſatis commode, nec ſine illis ullo modo vivi poſſit, ſaluti perpetuæ potius, quam brevi voluptati conſulendum*. Hæc omnia impedimento Auguſto erant, quo minus legem hanc ſaluberrimam quidem perferret: ſed tamen prudentiſſimus ille Princeps omnia pervicit, & auctis maritorum præmiis, pœniſque in cœlibes moderatis, anno ſeptingenteſimo ſexageſimo ſecundo M. Papio Mutilo, & Quinto Poppeo iterum Coſſ. ſuffectis, legem per Populi ſuffragia in comitiis vulgavit. Atque hæc eſt lex, quam nunc explicandam aggredior, poſt tamen Heineccium, qui tanta eruditionis copia, & penitioris doctrinæ varietate eam commentatus eſt, ut ceteris profecto omnibus, ſi quid novi addere auſi fuerint, palmam præripuerit.

§. II.

De maritandis Ordinibus.

NUlla major in Civitate turbatio, quam matrimonia, nullo familiarum diſcrimine ſervato, inita: ex adverſo omnia bene ſe habebunt, ſi earumdem dignitati, & ordini conſulatur. Hinc Romanæ Urbis conditor nuptias quam-

(a) *Lib. 2. eleg. 7.*
(b) *Gellius lib. I. cap. 6.*

Digitized by Google

maxime curans, prohibuit ne Patres cum plebe connubia celebrarent. Eodem sane consilio Augustus, ut honestatem inter Cives quantum posset repararet, ab ordine inter familias per matrimonia orsus est, nempe ut Cives pares in conditione nuptiarum essent. En tibi primum legis caput, ut ab Heineccio concinnatum est: *Qui Senator est, quive filius, neposve ex filio, proneposve ex filio nato, cujus eorum est, erit, ne quis eorum sponsam uxoremque sciens dolo malo habeto. Libertinam, aut eam, quæ ipsa, cujusque pater, materve artem ludicram fecit, fecerit, item eam, quæ palam corpore quæstum facit, fecerit neve Senatoris filia, neptisve ex filio, proneptisve ex Nepote filio nata libertino, eive, qui ipse, cujusve Pater, materve artem ludicram facit, fecerit, sponsa, nuptave sciens dolo malo esto; neve quis eorum dolo malo sciens sponsam, uxoremque eam habeto.* Quot quantisve honoribus Romanus Senatus præstaret, res est vulgata satis. Patres judicia majoris momenti exercebant, jus habebant comitiorum, bellum indicebant, curabant ærarium, legationes exteras excipiebant; ex quibus sane omnibus eo majestatis pervenerat, ut Cæsari vitio datum sit, quod quum Dictator perpetuus esset, Senatoribus non assurexisset. Sane Julianus, quamvis non ea tunc Senatus polleret auctoritate, quanta sub Augusto fuerat, tamen hæc dixisse fertur (*a*): *Jus Senatorum, & auctoritatem ejus ordinis, in quo nos quoque ipsos numeramus, necesse est ab omni injuria defendere.* Quare si huic augusto corpori cooptari Principes ipsi non dedignabantur, fateri opus est, maximam fuisse ejus dignitatem. Quam igitur turpe, splendorem hunc per matrimonia cum libertis, vel cum iis, qui vel ipsi, aut parentes eorum artem ludicram exercuissent, fœdari? Quam indignum generosum hunc sanguinem libertina cognatione pollui atque coinquinari? Sed res paullo altius repetenda est.

Vetitum erat ex majorum more Patriciis cum plebeiis connubii jus esse, illa in speciem conficta ratione, ne sua cujusque sacra perverterentur; sed revera ne per tales conjunctiones ordines in concordiam coirent. Verum procedente tempore, honoribus omnibus cum plebe communicatis, per Ca-

nu-

(a) *L. 8. C. de dignitatibus.*

Digitized by Google

nulejum Tribunum seditiosissimum, extortum etiam a Patribus fuit, ut fas esset Optimatibus cum plebe inire conjugia. Sed omnes tamen & Patricii, & plebei ultro, ac veluti ex compacto a libertinorum nuptiis abstinebant: nefas enim ducebant cum ea, quæ fortuna favente recens e servili conditione emersérat, connubio jungi. Hinc memoriæ prodidit Livius (a) Hispalæ Fecenniæ libertinæ indultum ex S. C.: *Uti ei ingenuo nubere liceret, neu quid ei, qui eam duxisset, ob id fraudi ignominiæve esset*. Sed hæ libertinæ illæ intelligendæ sunt, quæ manumissæ essent, minime vero a manumissis prognatæ. Atque hæc ad Reipublicæ extrema tempora servata sunt, nempe ad Augustum usque, qui ut Urbem civibus exhaustam, quantum posset, repararet, hac adhibita distinctione rem moderatus est. Voluit quidem ut plebi liceret cum libertinis nubere, *quia masculi ingenui numerum ingenuarum feminarum multum anteibant*, ut scripsit Dio. Noluit vero ut Senatoribus, eorumque liberis idem fas esset, ne amplissimus ordo pari jure cum plebe censeretur, neve servilis sanguinis consortio vilesceret.

Itaque hac prohibitione non Senatoribus tantum ipsis consultum, sed & eorum liberis, ac nepotibus, pronepotibus, ceterisque ex filiis, licet longo intervallo, progenitis. Sed quamvis eodem jure urgente filios adoptivos, iidem per emancipationem lege soluti essent; tamen filii naturales, postquam etiam e patria potestate exiverint, ab Augusti sanctione non sunt immunes. Quum enim emancipatio de jure civili sit, natalium vero honestas de jure naturæ, licet per eam agnatio amittatur, quod est vinculum civile, amitti tamen non potest naturæ beneficium, quod nascendo acceptum est. Sed quæstio hinc exurgit, quæ sane interpretibus nimis contendendi occasionem dedit, cum liberis ne ante dignitatem hanc prognatis honor communicandus sit, an vero & posthumis, hoc est, natis postquam pater eorum Senator esse desiit. Fuit quidem aliquando inter Orientales consuetudo, ut filiis, ante quamcumque patris dignitatem natis, nequaquam ejus splendor tribue-

re-

(a) *Lib.* 38. *cap.* 19.

Digitized by Google

retur, quemadmodum in Xerxe, & Arthamene Darii filiis, quorum alter ſane antea, alter vero poſt Regnum natus eſt. Sed contra apud ceteras gentes fere omnes invaluit mos, ut honorati patris dignitas & filiis ante eam creatis, prodeſſet. Neque profecto his adverſatur Valentis, & Gratiani Conſtitutio (*a*), quæ quamquam prima fronte ſecus præferre videatur, tamen illa cum Ulpiano concilianda eſt, ut licet ante dignitatem Senatoriam editus Senatoris filius quod ad onera dicendus non ſit, tamen in honoribus habeatur. Et quidem oneribus quibuſdam urgebantur Senatores, veluti glebæ, folliſque collatione, atque auri oblati dono: a quibus ſane immunes ipſi Auguſti voluerunt filios, qui antequam pater Senator eſſet, nati forent. Quod profecto ex mente ipſius Conſtitutionis depromitur: cur enim affirmatur id de *Clariſſimatu*, quod de Senatoria dignitate negatur? Niſi quia *Clariſsimatus* honor nulla onera ſibi annexa habebat, quæ Senatoria dignitas ferebat: qua de re ſi cum natis ante *Clariſsimatum* patris honor communicaretur, idem dicendum de Senaria dignitate, ſi onera excipias. Et tamen vide ignorantia antiquarum dignitatum in quot ineptias Pragmaticos adduxerit, ut uno ore inclamarint, ante patris dignitatem natis honorem ejus minime prodeſſe. Non autem vacat de Senatoribus cetera hic perſequi, quæ ſane legi poſſunt apud eumdem Heineccium: dicam tantum paternum honorem poſthumo etiam prodeſſe, dummodo is ante amiſſam dignitatem conceptus ſit, itemque prodeſſe avi dignitatem, ſi pater amiſerit, de quibus fuſe apud Doctores. Percurramus nos alia.

Neque Senatoribus eorumque liberis prohibitum ſolum, cum libertinis nuptias contrahere, ſed etiam cum illis, quæ vel ipſæ, vel parentes earum artem ludicram exercuiſſent. Huic enim addicti notabantur infamia: ait enim Prætor: *Infamia notatur, qui artis ludicræ, pronunciandive cauſſa in ſcenam prodierit*. Quod ut clarius intelligatur, advertendum eſt, ſuperbe nimis Romanos, quod peregrinum eſſet, averſatos, ut ne

(a) *Lib. II. de dignitat. Cod. Juſtinian.*

Digitized by Google

ne ritibus quidem religiosis peregre advenientibus indulgerent. Quamquam vero ad placandam Cælestium iram, pestilentiamque, quæ tam sæve in Urbe grassabatur, avertendam, an. V. C. 340. ad scenicos ludos Etruscos acciverint; istiusmodi tamen institituta, ut peregrina, eorumque actores, mire semper adspernati sunt. Itaque cum ludicra scenica, quamvis in Urbem accepta, vilia, ac gente togata indigna visa essent, factum est, ut qui in scenam sive ultro, sive operas mercede pacta locando prodiret, infamia notarentur. Quæ profecto causa est, quapropter nuptias inter Senatores, atque eas, quæ ludicram artem professæ essent, iniri vetitum fuerit.

Ceterum hac lege non consuluit tantum Senatorum dignitati Augustus, sed etiam ingenuorum omnium. Si enim Senatoribus fas non erat matrimonio cum illis, quæ vel ipsæ, vel parentes earum artem ludicram exercuissent, jungi, ceteris ingenuis licebat quidem, si pater, materve uxoris in scenam prodiissent, nequaquam vero, si ipsa conjux tale quid professa esset. Vetitum etiam ingenuis omnibus fuit, uxores habere, quæ palam quæstum corpore facerent, fecerintve, vel lenæ fuissent, aut a lenone manumissæ, aut judicio publico damnatæ, vel in adulterio deprehensæ. Ex quibus omnibus vide, quibus rationibus adlaboraverit Princeps ille sapientissimus, ut pudicitiam prostitutam per lascivientes jam Civium mores repararet ope casti & pudici matrimonii, quove consilio parem cujusque conditionem tutatus sit, quum sicuti imparis conditionis nuptiæ familias dedecorant, ita & pares cujusque honorem servent: quod quidem & vivendi honestati, & publicæ Civitatis disciplinæ mirum in modum prodest.

Sed quanta vi Augusti lex ad pudicitiam inter Cives instaurandam polleret, ex eo etiam patet, quod Constantinus Imperator, qui moribus Civium formandis maxime studuit, non solum, eam forte ab usu desciscentem restituit, sed latius etiam extendit, pœnasque adauxit in illa sua Constitutione, quam anno 336. sub titulo de naturalibus liberis edidit. Nam quum Augustus matrimonium libertarum cum Senatoribus, eorumque liberis prohibuerit; hic idem & de

Cla-

Digitized by Google

Clariſſimis, aliiſque Magiſtratibus ſanxit. Deinde indecora matrimonia lege noſtra inhibente, concubinatus tamen admittebatur: nam inter quos nuptiæ minime valebant, vulgatiſſimum erat, concubinatum eſſe poſſe; nempe matrimonium illud, quod etſi jure naturæ ratum foret, effectibus tamen civilibus careret. Sed Conſtantinus ne concubinatum quidem inter eos conſtare juſſit, quos inter juſtæ nuptiæ fieri non poterant. Inſuper pœnas ſeveriores irrogavit: nam tum iſtiuſmodi nuptias ſub pœna infamiæ coercuit, tum etiam liberis, atque uxori quid relinqui vetuit; quod ſecus erat ex lege Papia. Demum non tantum libertinarum nuptias cum Senatoribus, Præſidibus Provinciarum, ceteriſque Clariſſimis averſatus eſt, verum etiam præter lenas, & ſcenicas, earum quæ tabernæ vinariæ, vel mercibus publice vendendis præeſſent: nam his omnibus pudicitiæ periculum imminebat, quum difficillimum ſit mulieribus in publica mercium nundinatione integram caſtitatem ſervare. Itaque prudentiſſimus Imperator a Senatorum nuptiis, aliorumque magiſtratuum non ſolum removit mulieres illas, quæ impudicæ procul dubio eſſent, ut ſunt ſcenicæ, lenæ, atque aliæ hujus furfuris, ſed illas etiam, in quas amiſſæ pudicitiæ ſuſpicio caderet.

Verum hoc legis caput a Conſtantino comprobatum, ſeveriuſque ab eodem perlatum, Juſtinus primum, Juſtinianus deinde abrogavit. Quum enim Juſtinianus a Juſtino adoptatus Theodoram mulierem ſcenicam deperiret, quumque eam ſibi per nuptias conjungere, Conſtantini edicto obſiſtente, fas non eſſet; Juſtinum ut illud infirmaret induxit. Sic tamen ſe geſſit Juſtinus, ut Senatoria cum ſcenicis mulieribus rata haberet connubia, modo Principis indulgentia acceſſiſſet. Sed rerum potitus Juſtinianus porro proceſſit: in gratiam enim Theodoræ, quam duxerat, juſtas iſtiuſmodi nuptias, vel ſine Imperiali reſcripto juſſit, ſi tabulæ tantum dotales interceſſiſſent. Quare nec mirum ſi alia deinde Conſtitutione ſanxerit, ut & libertinarum nuptiæ cum Senatoribus conſtarent: ſi enim ratum eſt ſcenicarum connubium, cur non & libertinarum? Itaque velim ex his omnibus advertas, quantum proſit ad Principum Conſtitutiones penitius intelligendas eorum religionem, atque mores exploratos habere.

§. UL-

Digitized by Google

§. ULTIMUS.

De ſenagenariis, quinquagenariis, ac de ſponſalibus:

QUum Auguſtus Imperator ea de cauſſa connubia juſſiſſet, ut filiis procreandis opera daretur, eorumque recta inſtitutione Reſp. honeſtorum Civium numero locupletaretur; par æquumque fuit, ut ad nuptias ineundas id temporis definiretur, quo ſane liberi ſuſcipi poſſent. Itaque quum ſupra de rationibus ab Auguſto initis, ut pudicitiam labefactatam reſtitueret, diſſeruerimus, nunc de ejuſdem ſtudio dicendum; ut matrimonium per tempus contraheretur, ne ſuum in re tam gravi conſilium fruſtra eſſet. Sane quum apud veteres Philoſophos receptum eſſet, generandi vim in maſculis ſexaginta annorum curriculo, in feminis vero quinquaginta extingui, hinc ſtatutum ut eo ineunte tempore, nuptiæ minime prodeſſent, quum legislatoris votis non reſponderent connubia, quæ filiis gignendis apta non eſſent. Sed ſi hujuſmodi nuptiæ præmiis carerent, nullus etiam pœnarum metus ſexagenarios, & quinquagenarios ad nuptias ineundas urgebat: ſapienter enim Auguſtus huic ætati pœnas remiſit, quum ipſa natura impediret, ne fœcundæ iſtæ nuptiæ forent. Hinc Heineccius caput hoc ſic exponit: *Omnes puberes, virique potentes matrimonium liberorum quærendorum gratia inire tenentur. Sexagenarii maſculi, quinquagenariæ feminæ a pœnis hujus legis liberi ſunto.* Sed num res hæc ſteterit, an vero per inſequentes Principum Conſtitutiones immutata fuerit; num hujuſmodi nuptiæ non tantum injuſtæ, ſed etiam nullæ forent, non abs re hic veſtigare ex hiſtoricis, & potiſſimum ex Tranquillo erit.

Is hæc de Claudio memoriæ prodidit (*a*): *Capiti Papiæ Poppææ legis, a Tiberio Cæſare, quaſi ſexagenarii generare non poſſent, addito obrogavit.* Sed quum in obſcuro verba hæc maximopere lateant, videndum anne aliunde luce aliqua adſpergi poſſint. Ulpianus quidem paullo clarius loquutus eſt (*b*):

(a) *In Claud. cap. 23.*
(b) *Fragm. ex tit. 16. §. 3.*

Digitized by Google

Qui intra ſexageſimum, velque intra quinquageſimum annum neutri legi paruerit, licet ipſis legibus poſt hanc ætatem liberatus eſſet, perpetuis tamen pœnis tenebitur, ex S. C. Perniciano: Sed Claudiano S. C. major ſexagenario, ſi minorem quinquagenaria duxerit, perinde habetur, ac ſi minor ſexaginta annorum duxiſſet uxorem. Quod ſi major quinquagenaria minori ſexagenario nupſerit, impar matrimonium appellatur & S.C. Calviſiano jubetur, non proficere ad capiendas hereditates, & legatas dotes. Itaque mortua muliere, dos caduca erit. Junctis itaque amico fœdere Tranquilli, atque Ulpiani locis, tu ſic habeto.

Auguſtus quinquagenariis, atque ſexagenariis hoc dedit, ut poſt hanc ætatem a pœnis liberi eſſent. Sed Tiberius S.C. illo Perniciano, quod a doctiſſimo Heineccio appellatur *Perſicianum*, quum in Faſtis ſub Tiberio nullus occurrat Conſul Pernicius, bene vero Fabius Perſicus, quod ille ſtatuerat derogavit, voluitque perpetuo pœnis ſecundum hanc legem teneri, qui effœta ætate matrimonium inirent. Verum Claudius ita rem temperavit, ut ſi ſexagenarius minorem quinquagenariam duceret, liber eſſet a pœnis, quum per hujuſmodi nuptias adhuc poſſit proles procreari ad augendam Rempublicam: contra vero ſi minori ſexagenario nuberet quinquagenaria ex S. C. Calvitiano, quum effœtus jam mulieris uterus impar ſit gignendo, etiamſi vir generandi vi polleat: Neque dictis adverſatur Tribonianus, & Ulpianus (*a*), matrimonium ſcilicet poſt hanc ætatem initum nihil ex lege Papia Poppæa ad pœnas cœlibatus effugiendas prodeſſe: nam ſæpe S. C. leges inſequentia ipſis legibus tribui ſolent: quare veroſimile eſt laudatos Auctores, quod ſub Tiberio Senatuſconſulto conditum, legi ipſi Papiæ ſub Auguſto tribuiſſe. Et quidem certo certius eſt Auguſtum maſculos ſexagenarios, feminas quinquagenarias a pœnis cœlibatus immunes ſanxiſſe: abſonum enim viſum ad matrimonium impellere, quos ex naturæ impedimento generare haud poſſe credebant, quemadmodum & ſpadones immunes fuiſſe idem Heineccius ſuſpicatur.

Num vero iſtiuſmodi nuptiæ ſub Tiberio jure ipſo nullæ,

(a) *L. 27. de nuptiis.*

Digitized by Google

læ, an tantum injuſtæ? Auguſto quidem imperante eas effectibus tantum civilibus deſtitutas, exploratum eſt ex Tullii nuptiis cum Publilia initis anno ætatis ſuæ ſexageſimo ſecundo (*a*); idem fecit Apulejus cum Pudentilla, cujus matrimonium non propter ætatem effœtam, ſed ob carmina, & veneficium ejus adverſarii accuſabant (*b*). Sub Tiberio autem idem jus fuiſſe, neque hæc matrimonia reſciſſa, noſter Heineccius evicit, præter ceteros ex Ulpiano, qui quærens (*c*) an mulieri, quæ ſpadoni nupſerit, competat dotis actio; negat quidem in ſpadone caſtrato, ait vero ſi caſtratus ille non ſit. Validum igitur erat cum ſpadone matrimonium, quando dotis actio datur: ergo non reſcindebantur illæ nuptiæ, etiam poſt Tiberium, quamvis civilibus privilegiis carerent. Si plura de his exoptes, adeas eumdem auctorem, quum nobis alia percurrenda ſint.

Quum Auguſtus cœlibatum pœnis perſequutus ſit, nuptias autem præmiis potiſſimum commendaverit, id maxime intendit, ut per nuptias a venere vaga cives diverterentur, & honeſtiſſima prole locupletaretur Reſpublica; proinde non ſolum viris, ſed etiam mulieribus præmia conſtituit, nempe ut & eæ per immatura adhuc ſponſalia ad nuptias feſtinarent. Sed quia vulgata lege, ſtatim hominum improbitas fraudes excogitat, quibus leges infringat, Romani contractis ſponſalibus, vel ſponſas repudiabant poſt quæſita legis præmia, vel nuptias diutiſſime differebant, maritorum interim privilegiis fruentes. Hinc ſane Princeps ille prudentiſsimus, ut fraudibus his occurreret, maxime cavit, quod quidem Svetonius innuit, Dion vero luculentius prodidit. Hæc igitur habet Svetonius (*d*): *Quumque etiam immaturitate ſponſarum, & matrimoniorum crebra mutatione vim legis eludi ſentiret, tempus ſponſas habendi coarctavit, divortiis modum impoſuit.* Quæ ſane Dion ita planius explicat: *At cum quidam puellas deſponderent, & præmia nihilominus ferrent maritorum, rem opuſque*

(a) *Quintilianus lib. VI. cap. 4. inſtit.*
(b) *Apolog. XI.*
(c) *L. 39. de jure dotium.*
(d) *In Octav. cap. 34.*

Digitized by Google

mariti non præstarent, statuit nulla sponsalia firma esse, quæ biennio exacto nuptiæ non sequerentur: hoc est ut omnino decennem despondere opus esset, si quis sponsionis ejus fructum vellet percipere. Puellis enim duodecimus annus plenus ad nuptias definita ætas censetur. Ex quibus habemus sponsalium nuptiarumque tempus definitum. Sed quid illud est, quod Svetonius subdidit, licet Dion tacuerit, *divortiis modum imposuit?* Id quidem Ulpianus nobis aperit (*a*): *Feminis* (inquit) *lex Julia a morte viri anni tribuit vacationem: a divortio, sex mentium: lex autem Papiæ a morte viri, biennii, a repudio, anni & sex mensium.* Ecce tibi, quo Augustus consilio in sponsalibus, & matrimoniis Reip. caverit, neu legi suæ fraus fieret.

At vero summus vir Cujacius (*b*), eumque sequutus Casaubonus Svetonii locum (*c*) de vacatione triennii Civibus data, ut legi Papiæ ab Augusto latæ parerent, ad tempus sponsis datum, ut festinarent ad nuptias, vel viduis concessuum, quoad vota altera redirent, referunt, quare biennium illud in triennium vertunt. Sed hoc tam Svetonio, quam Dioni omnino adversatur, qui uterque tempus aperte distingunt, quod quidem legenti patet. Sane Romani duodecimum annum in muliere, decimum & quartum in masculo ad nuptias constituere, quum eo anno feminæ potissimum mestruales fiant, ex quo generandi facultas evincitur. Sat quidem scio Græcis, aliisque Populis secus adlibuisse: Aristoteles enim (*d*) e Republica ratus est, si mares anno circiter trigesimo septimo, feminæ vero duodevigesimo matrimonio jungerentur. Lycurgus teste Plutarcho, quamvis certam nuptiarum diem non habuerit, robustiores tamen, & grandes natu virgines in matrimonium duci voluit. Quum enim hic Remp. suam ad bellicam virtutem pararet, provectioris ætatis mulieres ad nuptias optavit, ex quibus nempe firmiores liberi procrearentur. Sic Tacitus de Germanis scripsit: *Sera apud illos*

(a) *Fragm. tit.* 14. §. 1.
(b) *Ad l. Papiam.*
(c) *In Octav. cap.* 34.
(d) *Lib. VIII. Politic. cap.* 16.

Digitized by Google

illos fuit juvenum venus , & hinc inexhauſta pubertas . Sed Romanis alia mens fuit : putabant enim facilius factu , ut mulier tenellæ ætatis viri moribus , domeſticoque imperio aſſueſceret; quumque adhuc eſſet furtivi amoris expers, honeſta conjugia libenter ſequeretur , iiſque firmus adhæreret. Atque hæc , ut ego cenſeo, ratio eſt, cur Romanis potiſſimum viſum , duodecimum annum ad nuptiarum ætatem in mulieribus definire .

Quum igitur ætas hæc legitimum matrimonii tempus foret , patent hinc quamplurimæ juris Romani conſequentiæ , ſcilicet legata puellæ relicta, ſi nuberet , peti minime poſſe, niſi duodecimo anno expleto, etiam ſi ante nupſiſſet , ſimiliter datam dotem ante duodecimum annum , ſi forte repeteretur antequam mulier legitimo tempore in domum viri traduceretur, non actione dotis , ſed condictione indebiti agendum ; demum vitium puellæ immaturæ illatum, etſi ad viri lares deductæ , non tamquam virum , ſed uti ſponſum vindicare poſſe ex Divi Severi reſcripto . His delibatis , ut lucidius ſemper pateſcat , quanto antiquitatis notitia juris interpretibus præſidio ſit, cetera videamus.

Dixi ſupra Auguſtum, ad fraudes præcidendas, duodecimum annum nuptiis, decimum vero ſponſalibus ineundis definiviſſe. Nolim vero ex his inferas, vetitum fuiſſe ante hoc tempus ſponſalia , vel nuptias contrahi , quum quamplurima proſtent in jure juriſperitorum reſponſa , etiam ſub Auguſto ſecus ſonantia . Hoc tantum voluit prudentiſſimus Princeps, ne maritorum præmiis locus eſſet , ſi præter legitimum tempus poſt ſponſalia protraherentur nuptiæ ; nequaquam vero prohibuit , quominus ante decimum annum ſponſalia contraherentur, aut ſponſa ante duodecimum ſponſi domum deduceretur. Ex adverſo ſi juſta legitimaque cauſſa intercederet, ut inita ſponſalia ultra præſcriptum tempus protraherentur , nempe infirmitas, abſentia Reipublicæ cauſſa, aliaque; id ſatis erat , ut interim vir , & ſponſa maritorum privilegiis gauderent : quibus ſane non excidebant , niſi quum amoto impedimento nuptias remorarentur . Quamobrem indulgebat lex mulieri, quæ mortuo viro intra tempus luctus non nube-

ret,

Digitized by Google

ret, quæque a viro priori per divortium dimissa, non paratam nanciscereturoccasionem alteri nubendi. Accipe hinc caussam, cur Augustus a morte viri biennii vacationem mulieri dederit, a repudio autem anni & sex mensium spatium, ut tamen interim a pœnis cœlibatus immunis foret, maritorumque privilegiis perfrueretur. Quum autem vir mulierem defunctam lugere non deberet, aliamque sibi ducere statim a priori solutus posset; ratio proditur, quare non fuerint viris, quemadmodum mulieribus, præstituta tempora ad matrimonium iterandum. Itaque non erat, cur adeo Cujacio adlaborandum, ut discriminis rationem vestigaret, quam nunquam tamen se invenisse fatetur (a).

Doctissimus Heineccius, qui in legis hujus commentario aliorum omnium industriam longe superavit, ad hæc duo capita de sexagenariis, & de sponsalibus, concubinatum, tamquam rem ad legem nostram pertinentem, attexit. Sed nos quamquam de eo in jurisprudentia Constantini multa edisserturi simus; quædam tamen hic, nec forte pœnitenda, quæ sane solertissimum illum virum fugerunt, adjiciemus. His verbis ille caput hoc confinxit: *Quas personas per hanc legem uxores habere non licet, eas concubinas habere jus esto. Ingenuam honestam in concubinatu habere jus ne esto.*

Itaque concubina non vaga meretrix, sed uxor minus legitima erat, ita ut illa tantum pro concubina haberi posset, quæ per leges civiles uxor esse prohiberetur: propterea non uxor, sed convictrix, uxor gratuita, hoc est, quæ per coemtionem, lege vetante, in manum non venerat; item sodalitiaria, amica appellabatur, ut in *l. Titiæ de auro, & argento legato, Titiæ Amicæ meæ, cum qua sine mendacio vixi*, hoc est sine simulatione. Sed quum illam haberi pro concubina potuisse scripsi, quam lex civilis vetabat uxorem esse, de puro putoque jure civili intelligitur, hoc est de lege Julia, & Papia: nam si honestatis ratio nuptias impediret, concubinatus etiam prohibebatur; quale profecto erat cognationis, affinitatis, aut aliud ejusmodi vinculum: quemadmodum si qua uxor

(a) *Lib. VI. obser. cap. 37.*

Digitized by Google

uxor erat, concubina esse non poterat, sicuti nec uni duæ concubinæ, nec duobus una concubina aderat. Itaque uni, eique qui cœlebs erat, concubina adesse poterat, tantumque una, & quæ ingenua non esset, sed vel liberta, vel ingenua quidem, quæ artem ludicram, vel quæstum corpore fecerat, aut in adulterio deprehensa, vel de eo damnata fuerat. Hæc sane, quum per leges civiles uxor esse non posset, poterat tamen esse concubina. Quum licita esset hæc conjunctio, quamvis civilibus effectibus carens, poterat pater liberis ex concubinatu procreatis, quæ vellet relinquere, aut dare, licet heredes Patris ipso jure non essent: etenim non in ejus, sed in matris erant potestate, itaut maternum nomen, & patris tantum cognomen præferrent. Hinc dicti naturales, non autem spurii, quum nullam infamiam subirent, neque ullius notæ macula laborarent, quominus possent a Patre heredes institui. Post legem hanc Papiam concubinatum, sive impar atque inæquale matrimonium, ut medii ævi Scriptoribus appellatum, invaluisse laudatus Heineccius ingeniosissime more suo conjicit. Sed vellem profecto, ut causam patefeciffet, cur Augustus, lege Papia vulgata, eum instituerit, quam sane ego, si quid verisimile saltim conjici possit, tentabo.

Augustus, uti passim dictitavi, per legem hanc, quantum potuit, curavit, ut lascivientes, atque impudicos civium mores castis nuptiis emendaret. Quare quum præcepisset, ne qua pellex, lena, arenaria, scenica esset uxor, id voluit, ut mulieres sub nuptiarum desiderio impediret, ne nefandas artes exercerent, si uxoris nomine, ac matronali honore præfulgere vellent. Quod si hoc libidinis ardore parvi facerent, jussit non posse corpore quæstum facere, nisi apud Ædilem impudicitiam suam profiterentur, ut hoc impudentiæ injecto freno a turpi licentia desisterent: quod si per hæc remedia in cupiditatibus suis non continerentur, eas lex Papia tolerabat. Sed Augustus, ut saltem a vaga venere averteret, passus est, ut quæ uxores esse non possent, concubinæ forent, tam ut ipsæ, quam & ii, quibus per concubinatum jungebantur, vagum concubitum non appeterent. Flagret, tametsi Senator, libertæ amore; nonne si liber a nuptiis sit, ex-

pedit

pedit libertam concubinam habere, atque hac una potius, quam ſcortorum varietate corpus ſuum fœdare? Idem dicendum de ingenuo cum lena, vel ſcenica, aut ſi quis ex priori conjuge liberos haberet, ne ſcilicet iis novercam induceret. Id igitur menti fuit Auguſto, ut per concubinatum cives a promiſcua libidine coerceret. Sed hæc per ea tempora dicta ſint: nam ſub Chriſtianis Principibus alia prorſus invaluere, & quidem ſaniora.

Nam Conſtantinus modis omnibus anniſus eſt, ut conſuetudinem hanc jamdiu obtinentem funditus everteret, Civeſque ad legitimas nuptias adigeret. Verum quum ſtatim eam, utpote nimis inveteratam, uno impetu eradicare non poſſet, id egit, ut ex tranſverſo ſaltem labefactaret. Itaque ante omnia prohibuit, ne quid ab iſtiuſmodi viris concubinæ, filiiſque naturalibus daretur, vel teſtamento relinqueretur; ut ita filiorum egeſtatem timentes a concubinatu deterrerentur: deinde vero conſtituit, ut ſi quis a concubinatu ad juſtas nuptias diverteret, filii naturales ante ſuſcepti legitimi haberentur: nam & pœnarum metu, & præmiorum ſpe ad vitæ honeſtatem revocandi ſunt homines. Sed expreſſis verbis præfatus eſt, hujuſmodi legitimationis beneficium ad eos tantum, qui ante hanc Conſtitutionem nati eſſent, pertinere. Nec ſane præter rem: fraus enim legi facta eſſet, ſi & in poſterum id caviſſet. Num quis a concubinatu abſterritus eſſet, ſi per ſubſequens demum matrimonium filios naturales, tam facile in legitimos converteret? Vide hinc immane quantum Tribonianus ab Conſtantini Conſtitutione aberraverit, qui Imperatoris mente non ſatis intellecta, ordinarium ac perpetuum legitimandi modum inſequentes nuptias fecit. Poterat ſaltem ex lege Zenonis de naturalibus liberis Conſtantini ſententiam internoſcere. Quare dicendum vel Tribonianum cœcutiiſſe, vel moribus ſui Principis ſeſe accommodaſſe, qui concubinatum haud ægro ferebat animo. Si plura de hoc deſideres, vide titulum lib. VI. de naturalibus liberis. Ceterum hic laude ſua fraudanda non eſt doctiſſima diſſertatio, quam hoc de argumento conſcripſit Carolus Blaſcus Patricius Roſſanenſis, conterraneus noſter; de cujus doctri-

næ,

Digitized by Google

næ, morumque præſtantia quæ clara extant monumenta. Etenim is quamplurima ſcripſit de Jure Canonico opuſcula, in quibus retruſiores locos pertractavit; nec ſine maxima illius gloria videre eſt, quanta eruditionis ſuppellectili, atque rerum copia res difficiliores elucidet: omnia enim ab origine ſua, atque ab hiſtoriæ Eccleſiaſticæ penu repetendo ſat prodit, quanta cura Jus Canonicum cum vetus, tum novum ſit perſcrutatus, atque in illius intimos receſſus penetraverit. Par igitur æquumque eſt, ut tanti viri elucubrationes, tu, lector, ſedulo evolvas, atque perlegas.

CAPUT VI.

De amotis per Auguſtum impedimentis contra nuptias.

ILla Conſtitutio modis omnibus abſoluta appellanda eſt, quæ Civium mores præmiis, atque pœnis conformat; atque viam pandit, qua ad ejus finem perveniatur, eaque quæ moram, vel obicem præbent, quominus Cives ei pareant, removet. Hinc Auguſtus Princeps Sapientiſſimus, quum leges ad juſtas nuptias fovendas, Urbemque Civibus exhauſtam honeſta prole replendam, omni adhibita cura condidiſſet; nihil profecto prætermiſit eorum, quæ opus erant, ut voti compos fieret. Pœnas igitur, & præmia propoſuit, quibus Cives obſequentiores eſſent, eaque repellere adniſus eſt, quibus vel fraus, vel impedimentum adiceretur. Itaque in præſentia nobis ſermo erit de pœnis cœlibatus, privilegiiſque maritorum, ac de iis, quæ ille præcepit, ne nuptiæ impedirentur. Quumque nuptiæ vel per conditionem adjectam cœlibatui, aut viduitati, vel per late diffuſarum affinitatum vinculum, vel per abſentiam diuturnam, & divortia, vel demum per vetantium parentum poteſtatem prohibeantur; hinc his omnibus occurrens, mirum eſt, quanta prudentia ſe geſſerit, ut cuncta ex ſententia ſuccederent. De his igitur omnibus ſingulatim a nobis agendum erit, nempe de conditione adjecta cœlibatui, vel viduitati, de adfinitate, de divortiis, de abſentia, deque Parentum poteſtate in filios, qua nuptias

impediunt; demum vero de pœnis, atque præmiis cœlibum, & maritorum, deque fraudibus in legem inventis, atque amotis.

§. I.

De legatis, & de libertate data sub conditione Cœlibatus.

SAne quæ usque adhuc edisseruimus, luculentissime Papinianus comprobavit. *Eam* (inquit) *legis sententiam videri* (a), *ne quod omnino nuptiis impedimentum inferatur. Quod in fraudem legis, ad impediendas nuptias scriptum est, nullam vim habet* (b). Quum autem cœlibatus, vel viduitatis conditio nuptiis maxime adversetur, sub Augusto receptum fuit, ut istiusmodi conditiones a legato, vel ab heredis institutione, utpote legibus adversæ, rejicerentur, firmo tamen manente legato, vel hereditate. Sed quum lex quæ frequentius accidere solent, respiciat, juvat hic vestigare, quibus de causis Romani onus hoc heredibus suis, vel legatariis injungerent.

Florente Repub. magno in honore orbitas fuit, ac cœlibatus: nemo enim ex civibus erat, maxime vero si adgnati, cognatique essent, qui orbos, & cœlibes non coleret, iis non obsequeretur, eorum latus non tegeret, modis demum omnibus iis non inserviret. Immo si petitores essent, nemo fere eis suffragium abnuebat. Quum enim liberis carerent, undique Cives convolabant, ut eorum gratiam inirent, testamentaque captarent. Bene satis cœlibem quemdam sic loquentem induxit Platus:

Quando habeo multos cognatos, quid opus mihi sit liberis?
Nunc bene vivo, & fortunate, atque ut volo, atque animo, ut lubet.
Mea bona morte cognatis dicam, inter eos partiar.
Illi apud me edunt, me curant, visunt quid agam, ecquid velim.

Priuſ-

(a) *L. 72. p. 4. de conditionibus.*
(b) *L. 79. p. ultimo eodem.*

Digitized by Google

Priusquam lucet, adsunt; rogitant noctu, ut somnum ceperim.
Eos pro liberis habeo: quin mihi mittunt munera:
Sacrificant, dant inde partem majorem mihi, quam sibi.
Adducunt ad exta: me ad se, ad prandium, ad cœnam vocant.
Ille miserrimum se retur, minimum qui misit mihi.
Illi inter se certant donis; ego hoc mussito mecum.
Bona mea inbiant, certatim mittunt dona, & munera (a).

Quibus si addas corruptos per id tempus mulierum mores, quibus ingentis quidem molestiæ viris suis erant, minus sane miraberis a patribus, quo bene filiis suis consulerent, imperatum cœlibatum.

Immo mulieres legere est apud probatissimos scriptores, morte solutis nuptiis, quam honestum putarent in perpetua viduitate, & solitudine dies transigere, ut ita defuncti mariti cineres colerent. Et quidem de Germanis hæc scripsit Tacitus (b): *Melius quidem adhuc eæ Civitates, in quibus tantum Virgines nubunt, & cum spe votoque uxoris semel transigitur. Sic unum accipiunt maritum, quomodo unum corpus, unamque vitam, ne ulla cogitatio ultra, ne longior cupiditas, ne tamquam maritum, sed tamquam matrimonium ament.* Inter Herulos infamiæ pœnam subibat mulier, quæ se ad viri sepulchrum laqueo non necaret. Denique apud ipsos Romanos viduitatis multa erant præmia: solis enim unius viri uxoribus fas erat Fortunæ muliebris, Matris Matutæ, & Pudicitiæ signum attingere, solæ illæ corona pudicitiæ præcingebantur, illæ inter Sacerdotes Dearum allegebantur. Ex quibus factum, ut honori sibi feminæ ducerent, si nuptias non repeterent: quare Propertius cecinit (c):

Filia, tu specimen censuræ nacta paternæ,
Fac teneas unum, nos imitata, virum.

Præter hæc viri etiam sæpe filiorum cura, atque amore ducti, uxoribus præcipiebant, ne ad alteras nuptias transirent: exploratum enim sibi erat, intempestivum secundi viri amorem

(a) *Plaut. Mil. glor. act. 3. scena 1. ver. 92.*
(b) *De morib. Germ. c. 19.*
(c) *Lib. IV. elegia XII.*

Digitized by Google

rem primoribus liberis detrimentum maximum allaturum: atque hæ cauſſæ fuerunt cur parentes, vel mariti cœlibatum filiis ſuis, & viduitatem uxoribus mandarent. Sed quum id legibus Juliis adverſaretur, præcepit Auguſtus, ut rejecta cœlibatus, vel viduitatis conditione, firma maneret, & heredis inſtitutio, legatique collatio, licet heres, vel legatarius non paruiſſent conditioni: improbantur enim conditiones, quibus ſtudent homines legi fraudem facere. Hæc eadem ratio eſt, cur iſtiuſmodi conditio etiam repellatur, ſi non ipſi mulieri, ſed iis ſub quorum poteſtate mulier eſt, legatum eſſet, modo ea non nuberet: puta, lego Titio centum, ſi mulier minime nubat; ipſumque Titium rogo, ut eamdem ſummam mulieri reſtituat non nubenti. Fraus enim & hic, licet oblique, in legem committitur. Itaque tam legata, quam fideicommiſſa ſuſtinentur, quamvis conditioni non ſtetur, quam ſane leges averſantur.

Sed hic a nonnullis ſolet moveri quæſtio, quid juris ſit, quum mulieri legatur, ſi non nupſerit, ejuſdemque fidei committitur, ut Titio reſtituat ſi nubat? Erit ne fideicommiſſo huic conditionali locus, quum per nuptias conditio impleatur? Inter Jalianum, & Cajum fuit non minimum diſſidium: negabat Julianus (*a*) inquiens: *Commode ſtatuitur, etiam ſi nupſerit, legatum eam petere poſſe, & non eſſe cogendam fideicommiſſum præſtare*. Sed in diverſam ſententiam abiit Cajus (*b*). *Non dubium ſit* (inquit) *quin ſi uxori legatum ſit, ſi non nupſerit, idque alii reſtituere rogata ſit, cogenda eſt, ſi nupſerit, reſtituere*. Vix eſt, ut adverſa hæc Juriſconſultorum reſponſa in concordiam adducantur: tamen ſalva res erit, ſi dicamus, in priori ſpecie conditionem illam per modum pœnæ fuiſſe adjectam, atque ideo a Juliano improbari; in altera vero validum ſtatutum eſſe legatum, quum fideicommiſſum in vim puræ putæque conditionis conceptum fuerit. Itaque a legato conditio rejicitur, quum per eam nuptiæ impediantur: accepto autem legato, cogitur mulier illud ob fideicommiſ-

(a) *L.* 22. *de condit.*
(b) *L.* 14. *de legat.* 3.

Digitized by Google

missum restituere, quum cujuslibet legatarii fidei committi possit, ut rem legatam alteri restituat; modo tamen id non pœnæ nomine, sed conditionis vi fiat. Hinc ortum illud apud Pragmaticos dogma: *Conditiones omnes, quæ coercent libertatem, nullius esse ponderis, si ita conceptæ sint, ut libertatem ipsam directe videantur infringere*; contra vero validas ratasque, si eventum tantum prospiciant, nempe quando mulier nubat, det centum Cajo.

Verum si ea esset conditio, ut nuptias non vetaret, eas tamen intra certum tempus, locum, & personas præscriberet, scilicet si non Cajo, si Titii arbitratu, si non in Africa, si postquam liberi pubertatem attigissent, nuberet; ratam legitimamque fuisse rebantur; adeo ut vel legatum repudiandum, vel conditionem implendam censerent, quum per eam nequaquam nuptiæ impedirentur, sed effrenis tantum nubendi licentia justa de causa coerceretur; contra vero, si testator ita tempori locoque hæsisset, ut præter hæc nubere vetaret, quum pro non scripta conditio hæc haberetur, firmo legato manente. Legem enim utilem Reipublicæ, sobolis scilicet procreandæ causa latam, adjuvandam interpretatione respondit (*a*) Terentius Clemens. Ex quibus profecto probatissimam regulam jam habes de conditionibus legato, fideicommisso, vel hæreditati adjectis, quibus nuptiæ impediri videntur, quando nam scilicet ratæ sint, vel pro non scriptis censeantur. Ceterum quid postea sub Constantino, Religione Christiana invalescente, favore cœlibatus, vel viduitatis, novum invectum sit, quidve Justinianus statuerit in abroganda obscurissima illa lege, vulgo *miscella* dicta, hic dicere non libet, quum meum consilium sit Augustanam Jurisprudentiam percurrere, eamque novo respondentem regimini ostendere. Igitur ad alia potius properemus, instituto nostro propriora.

Nuptiæ etiam impediebantur, si Patronus libertum, libertamve jurejurando quominus connubia inirent, adegisset: hinc lex nostra sic cavit: *Si patronus jusjurandum in hoc liberto imposuerit, ne uxorem ducat, vel libertæ, ne nubat: jusjurandum permittitur, nuptiasque ex hac L. centrabendi liberto libertæve jus*

(a) *L. 64. §. de conditionib.*

jus esto. Cujus capitis ut ratio magis eluceſcat, in memoria revocandum eſt ſolitos Patronos libertis, libertabuſque conditionem in manumiſſionibus adjicere, ne conjugia celebrarent. Lex enim duodecim tabularum ſanxerat, ut liberto ab inteſtato, & ſine liberis moriente, ejus hereditas ad patronum perveniret: qua de re, ne patroni hoc lucro excciderent, ſolemne iis erat in manumiſſionibus pro conditione apponere, ne libertus uxorem duceret. Quum autem hoc cum lege noſtra non congrueret, nil mirum ſi conditio hæc, improba alioquin, rejecta fuerit. Sane lex Ælia Sentia id etiam caverat; patronum enim qui conditionem hanc vel ipſe per ſe, vel per alium adſcripſerat, hereditate mulctabat. Ceterum minime libertum jure jurando præſtito ſolvebat, quum in promiſſionibus libertorum tantum id æſtimaretur; quantum in ceteris ſtipulationibus, quæ obligationum omnium firmiſſimum vinculum erat: quare rato juramento per legem Æliam Sentiam, liberti ſolum hereditate patronus excidebat. Sed ſeverius quidem lex noſtra ſe geſſit: hæc enim & ab jurejurando nuptiis adverſo libertum, libertamque exemit omnino.

§. II.

De jure affinitatis.

QUum & affinitas nuptias impediat, huic quoque modus impoſitus. Sed de ea affinitate ſermo eſt, quæ nimium diffundebatur; quum illa, quæ ex publica honeſtate proficiſcitur, integra uſque manſerit. Itaque quum ſocer, ſocrus, gener, nurus, privignus, privigna inſtar parentum, & filiorum ſint, propior hæc affinitas facit, ut reverentiæ locus detur, neve nuptiæ inter hos, quippe qui in linea recta ſint, conſiſtant. Advertas hic de jure civili me verba facere, quod ſub Auguſto inſtitutum, nihil vero quod ab inſequentibus Imperatoribus invectum attinet, quodque Conciliorum Canones, aut ſummorum Pontificum Decretales hac de re conſtituerint. Quum enim Auguſtalem Jurisprudentiam mihi propoſuerim, turbate res ageretur, ſi quidquid in hoc argumen-

Digitized by Google

mento Principes poſt Auguſtum jufſerint, juſque Canonicum per diverſa tempora præceperit, tamquam per ſaturam colligerem. His præmiſſis, ad rem veniamus. Obſcuriſſimum ſane eſt, quid novi Auguſtus in hoc affinitatis jure pertulerit: attamen ſolertiſſimus Heineccius ſic eum jubere facit: *Affinitas, præter quam inter novercam, & privignum, vitricum, & privignam, nec non ſocerum, ſocrumque, & generum, nurumve morte, divortioque ſolvitor.*

Ut hoc legis caput pateat luculentius, advertendum eſt, & apud alias humaniſſimas gentes id ſtatutum, ut affinitas morte perimeretur. Sic apud Hebræos legimus (*a*): nam, ut Philo ait (*b*), *Connubia familiis externis ſunt pro vinculo, quo ſoluto, ſolvitur & affinitas*. Hac item ratione ducti Romani putarunt, morte, vel divortio affinitatis vinculum diſſolvi: ita enim affinitatem definiebant (*c*): *Affines ſunt viri & uxoris cognati, dicti ab eo quod duæ cognationes, quæ diverſæ inter ſe ſunt, per nuptias copulantur, & altera ad alterius cognationis finem accedit. Namque conjugendæ affinitatis cauſſa fit ex nuptiis*. Et quidem ſi ex nuptiis affinitas enaſcebatur, illam diſſolvi, ſoluto matrimonio, inferebant. Unde ſane intelligimus Conſtantini, Conſtantis, & Juliani Conſtitutionem, ubi refertur: *& ſi licitum veteres crediderunt, nuptiis fratris ſolutis, ducere fratrem uxorem: licitum etiam poſt mortem mulieris, aut divortium, contrahere cum ejusdem ſorore conjugium* (*d*). In qua profecto Conſtitutione quinam eſſe poſſunt antiqui illi, niſi veteres Romani?

Sed rem hanc exemplorum vi confirmemus, quæ in Romanorum hiſtoria proſtant. Sane refert Halicarnaſſeus (*e*) Tarquinium ſuperbum adhuc privatum Tulliam Aruntis fratris uxorem duxiſſe. Nemo autem filios hiſce ex nuptiis procreatos injuſtos putaverit. Addit Plutarchus (*f*), Craſſum defuncti

(a) *Levitic. XVIII.*
(b) *Legat. ad Cajum pag. 776.*
(c) *L. 4. §. 3. D. de grad. & adfinit.*
(d) *L. 2. Cod. Theod. de inceſtis nuptiis*
(e) *Lib. IV.*
(f) *In Craſſo*

Digitized by Google

cti fratris uxorem sibi matrimonio conjuxisse; quare scriptum reliquit Cicero (*a*): *Divortia esse affinitatum dissidia*: quum divortio sequuto, abrumperetur affinitatis vinculum. Immo & ipse Tullius (*b*) memorat nuptias socrum inter, & generum, hoc est inter Sassiam, & Aurium Melinum, quas licet uti inhonestas, & nefarias execratus sit, non tamen irritas, quum per divortium affinitas soluta esset, dixit, neque Sassiam dote multatam, quod sane minime prætermisisset. Hæc fuit adfinitatis disciplina ad Augustum usque: sed quia sapientissimus ille Princeps per eamdem legem Papiam non solum curavit, ut Civitas prole augeretur, sed Civium etiam mores pudici, honestique essent, statuit ut quamvis affinitas, nuptiis solutis, excideret in linea transversa, in linea tamen recta permaneret. Qua de re inter privignum & novercam, victricum & privignam, socerum & nurum, generum & socrum nuptiæ numquam iniri poterant. Tantæ enim hos inter intercedebat necessitudinis vinculum, ut quemadmodum sibi invicem parentum, liberorumque loco essent, ita reverentiæ caussa nuptiæ inter eosdem impedirentur. Hoc est quod dictum voluere Diocletianus, & Maximilianus scribentes (*c*): *Itemque ex affinibus privigna, noverca, socru, nuru, ceteriſque, quæ antiquo jure prohibentur, a quibus cunctos volumus abstinere*. Hæc item caussa est, cur post Augustum, privigni, & privignæ nomine non solum intelligerentur mariti, vel uxoris liberi, sed nepotes etiam, & neptes, pronepotes, & proneptes, & soceri, socrusque, nomenclatione tam uxoris, vel mariti parentes, quam avus, & avia, proavus, & proavia, sicuti & mariti, uxorisque, vitricus, & noverca, immo generi, & nurus, appellatione filii etiam eorum nepotes, neptesque, pronepotes, pronepteſque, horumque conjuges veniebant. Atque inter hos omnes nuptiæ vetabantur reverentiæ caussa, haud secus ac si essent in linea recta cognationis, ubi matrimonium ratum non est, quamvis per mortem, vel

(a) *Pro Cluentio cap. 67.*
(b) *Ibidem cap. 66.*
(c) *Collation. L. Mos. & Roman. tit. 7. §. 4.*

Digitized by Google

vel divortium ſoluta apud antiquos videretur affinitas. Sed in linea tranſverſa aliter ſe res habuit: exiſtimatum enim eſt defuncti fratris uxorem, & ſororem defunctæ uxoris, ſolutis nuptiis, poſſe fratrem per nuptias ſibi copulare. Procedente vero tempore ſubſequutæ ſunt Conſtantini, Conſtantis, & Juliani Conſtitutiones (*a*), quæ id ſeveriſſime prohibuere: quæ Conſtitutiones quum ad Voluſianum Urbis Vicarium directæ fuiſſent, equidem credo in Oriente jus antiquum uſque ad Theodoſium Magnum ſtetiſſe, qui ſanxit, *Ne quis fratris uxorem duceret, vel duabus ſororibus conjungeretur, ne diſoluto quidem quocumque modo conjugio* (*b*). Hæc Principes religione Chriſtiana invaleſcente. At vero Conciliorum Canones quum tres affinitatis gradus decreviſſent, ſecundum tamen, & tertium ſequioris ævi Pontifices ſuſtulerunt, quod innuiſſe tantum ſatis ſit, quum Auguſtalem jurisprudentiam, ut ſupra diximus, hic exponendam aggreſſus ſim. Ex his velim certo tibi perſuadeas, omnem moviſſe lapidem Auguſtum, ut quaque verſus impedimenta a nuptiis amoverentur, locupletandi gratia fecunda prole Civitatem, tunc gente exhauſtam ob bella civilia.

§. III.

De abſentia Reipub. cauſſa, & indulgentia Senatus propter nuptias.

PORro nuptiæ apud Veteres Romanos per abſentiam etiam diuturnam ab Urbe impediebantur. Quam autem frequentes iis eſſent peregrinationes, nemo eſt, quem lateat. Alii enim officiis præerant in Provinciis, alii procul ab Urbe ſtipendia merebant, vel inter præſidiarias legiones in eisdem Provinciis conſeneſcebant, quidam demum vectigalia exercentes Roma proficiſcebantur, & quidem in ſola Aſiæ Provincia centum quinquaginta civium millia verſabantur, quos u-

(a) *L. 2. Cod. Teod. de inceſtis nuptiis*
(b) *L. V. eodem.*

Digitized by Google

na internicione Mithridates jussit necari (*a*). Hæc autem tot Civium absentia mirum quantum nuptias impediret: nam licet vir etiam absens sibi quæreret uxorem, eamque posset per nuncium ducere, vix tamen mulier inventa esset, quæ maritum absentem concupisceret. Hinc Cæsar, qui nihilominus, quam Augustus Urbem Civibus orbatam replere modis omnibus curabat, eodem intendit, ne scilicet frequens Civium absentia impedimento connubiis esset, voluitque, *Ne quis Civis, major annis viginti, minorve quadraginta, qui sacramento non teneretur, plus triennio continuo Italia abesset; neu quis Senatoris filius, nisi contubernalis, aut comes Magistratus, peregre proficiscereturr* (*b*). Itaque Augustus huic malo prospiciens, cavit, ne quis propter absentiam excusaretur a nuptiis, nisi Reipublicæ caussa abesset.

Ex his vero intelligis, cur veteres Jurisperiti tam studiose definiverint, quæ absentia a nuptiis excusaret, quæque esset absentia Reipublicæ caussa: intererat enim id permagni tum ad maritorum præmia, tum ad cœlibatus pœnas, quæ in eos, qui sui commodi gratia, non vero Reipublicæ abessent ab Urbe, inferebantur. Ex quo sane illud Caji pulchrum responsum explicandi mihi paratur occasio, ubi profecto quam misere antiquas leges dilaniaverit Tribonianus, ut intelligi omnino nequeant, si procul ab antiquarum rerum notitia exponantur, cernere licet. Ait Cajus (*c*): *Si mulier cum filio impubere naufragio periit, priorem filium necatum esse intelligitur*. Sed cui bono hæc fictio, qua filius cum ipsa matre periens intelligitur prius illa mari subversus? Sane quum lex hæc ad augendam prole Urbem condita sit, ac proinde Reipub. salubberrima censeretur, ad eam modis omnibus fovendam conspirarunt Jurisconsulti. Itaque ut planiori via procedam, exemplum dabo. Titius pater solitarius sui commodi gratia ab Urbe profectus est: interim uxor filium impuberem, ex alio susceptum matrimonio, heredem instituit, eum-

(a) *Plutarch. in Sulla*
[b] *Sueton. in Julio*
[c] *L. 23. de rebus dubiis*

Digitized by Google

eumque rogavit, ut moriens hereditatem restitueret Titio vitrico. Dum autem mare navigant, ambo naufragio pereunt, mater scilicet, & filius. Hinc Titius hereditatem petit, sed a Jureconsulto repellitur, quia præsumitur filius ante matrem periisse. Quod sane huc tendit, ne filius hæres sit: nam quum non abesset Reipublicæ caussa, & filios non haberet, institutus ab uxore heres minime poterat solidum accipere, sed tantum decimam, matrimonii jam initi gratia: quumque fingatur, non posse esse hæredem filii instituti, quippe mortui ante matrem, reliquum erat, ut uxoris esset heres, a qua tamen non poterat accipere solidum. Itaque hæc hereditas, dempta decima, ad fiscum perveniebat; cujus quidem gratia solerter præsumptionem hanc Cajus excogitavit, ut Respub. Civibus abundaret.

Hæc sunt remedia ab Augusto parata, ne nuptiæ impedirentur, atque ut omnia sibi obsecundarent; id etiam indulsit, ut lege sua solveret aliquando Senatus. Itaque quum Senator conjugium cum liberta inire non posset, neque miles uxorem habere præter focariam; Senatus tamen beneficio fieri poterat, ut hæc tandem legitima essent matrimonia, unde justa uxor, legitimique filii haberentur. De quo sane vide Heineccium, qui plura quidem, non Augusto tantum Imperatore, sed & insequentibus Principibus imperantibus, exempla ex historia collegit.

§. III.

De probibito divortio Libertæ, de divortii modo, & pœna, deque parentibus cogendis, ut liberos elocent.

NEmo inficias ire poterit, divortiorum licentiam nuptiis quam maxime officere. Quæ enim mulier nubere non deterreretur, quam leviſſimas ob caussas suas sibi res habere juberet maritus? Maximo igitur jure Princeps ille sapientissimus curam omnem adhibuit, ut, quantum posset, divortiorum libertatem cohiberet. Quod sane nunc aggredior explicandum. Quamquam ex Romuli instituto vir posset a

muliere divertere, eique repudium remittere, modo tamen magna urgeret cauſſa; nequaquam id vero mulieri conceſſum eſt. Labentibus autem annis, quum in deterius morum diſciplina prolapſa fuiſſet, adeo invaluit licentia, ut leviſſimis ex cauſſis & viri, & mulieres invicem a ſe diverterent. Cui ſane mulierum libertati illud maxime anſam præbuit, quod perraro matrimonium iniretur per coemptionem in manum, poteſtatemque viri. Quam altas vero radices malum hoc egerit, ex Seneca præter ceteros poteſt colligi. Ait enim is (a): *Numquid jam ulla repudio erubeſcit, poſtquam illuſtres quædam ac nobiles, feminæ non Conſulum numero, ſed maritorum annos ſuos computant, & exeunt matrimonii cauſſa nubunt repudii.* Igitur effrenis hæc repudii libertas adeo tunc debacchabatur, ut ſepta omnia honeſtatis perrumperet, quod & impudicæ favebat veneri, & familias vexabat, atque a contrahendis nuptiis maxime deterrebat. Hæc ſane in cauſſa ſunt, quare Auguſtus modis omnibus adniſus fuerit, ne tam frequentia ſaltem divortia eſſent. Itaque cavit ante omnia, ne liberta patrono nupta poſſet ab eo divertere; deinde vero eos, qui repudii cauſſam dediſſent, pœna duxit multandos, ut ejus ſaltem metu divortiorum occaſio præcideretur; de quibus ſingulatim diſſerendum eſt.

Quum maximum ſit libertatis beneficium, ingrati animi crimen eſſet, ſi liberta patrono ſuo nupta ab eodem diverteret. Ut autem prohibitioni huic locus eſſet, duo quidem concurrere debent, & ut patronus e manu ſua miſerit libertam, ut ſibi nuberet, & ut ſponte ſua, non vero ab altero rogatus, miſerit. Et quidem quanta quanta eſſet libertæ in patronum reverentia, non tamen eo pertinebat, ut invita cum illo individuam vitæ conſuetudinem inire cogeretur. Poterat ergo manumiſſa, etiamſi nupſiſſet, repudium patrono remittere, ſi tamen non ea lege ab eo manumiſſa eſſet, ut eidem nuberet. Opus etiam erat, ut non jure fideicommiſſi libertatem conſequuta eſſet. Libertas enim juris neceſſitate data, non illud maximum beneficium eſt, quod ex ſpontanea liberalitate proficiſcitur.

Sed

(a) *Lib. III. de beneficiis cap. XVI.*

Digitized by Google

Sed ut & allos a divortii licentia prohiberet, quam viam ingreſſus ſit, differendum. Ante omnia quidem repetenda ſunt Svetonii verba *in octav. cap. 39.*: *Quumque etiam immaturitate ſponſarum, & matrimoniorum crebra mutatione, vim legis eludi ſentiret: tempus ſponſas habendi coarctavit, divortiis modum impoſuit*. Sunt qui hoc loco ducti, Auguſtum omnino divortia interdixiſſe autument; ſed longe quidem a vero illorum opinio abit. Nequaquam enim dictum voluit auctor, vetita prorſus ab Auguſto fuiſſe divortia; ſed modum potius præſcriptum, nete mere fiant; quemadmodum modus per legem Falcidiam legatis impoſitus, non præfert, legem hanc prohibuiſſe legata, quin potius ad certam rationem legandi licentiam redegiſſe. Itaque impoſitus divortiis modus id facit, ut intelligamus nuptiarum favore fuiſſe ab Auguſto divortii licentiam, aliquo veluti injecto freno, coercitam. Sed quænam fuerit hæc pœna, nunc exponamus.

Verſatur hæc in reddenda dote mulieri, ſi vir cauſſam divortio præbuiſſet; & in eadem viciſſim a viro retinenda, ſi mulier moribus ſuis inviſa in culpa fuiſſet. Sed & ante legem noſtram habemus de hoc exempla a jurisperitis, atque rethoribus memorata, maritum nempe dotem ſibi ob pravos mulieris mores retinuiſſe, quod actio malæ tractationis appellabatur, ut ex Quintiliano (*a*), & ex Cicerone (*b*) patet. Verum Auguſtus rem hanc ſeverius ſanxit. Quum enim levis pœna putaretur, dotem reddi, reſtitutionem hanc durioribus conditionibus in eum, qui diſcidio cauſſam dediſſet, munivit, quod quidem ex ſequenti capite ab Heineccio concinnato patet: *Soluto citra culpam uxoris matrimonio, ſi mulier ob mores viri divertit, vir eam dotem, quæ annua, bima, trima die reddi debet, ob majores mores præſentem, propter minores ſenum menſium die reddito. Quod ad dotem, quæ præſens reddi ſolet, & dotale prædium Italicum, & quidquid ex uxoris, vel libertorum ejus bonis ad eum pervenerit, nec non, ſi dolo malo factum ſit, quo minus perveniret: quanta pecunia erit,*

(a) *Declam. 8.*
(b) *Topicor. cap. IV.*

Digitized by Google

erit, tantam pecuniam ipſe ejuſque heredes dato, & vir ſimul fructum quatriennii præſtato. Sin mulieris culpa diſcidium factum, morum nomine maritus, graviorum quidem ſextam, leviorum octavam dotis partem retineto.

Verum ut majori luce legis hoc fruſtum ſuperfundatur, quædam ex priſco more circa dotes conſtituendas, reſtituendaſque arceſſere licet. Sane dos vel in mobilibus, vel in prædiis Romæ, Italiæ, vel Provinciæ ſitis verſabatur. Solemne erat Romanis res mobiles ad dotem promiſſas, non ſtatim, ſed *annua, bima, trima die ſolvere*. Quumque par æquumque ſit, ut res quemadmodum data, ſic reſtituatur; hinc accepta tribus penſionibus, ſi quando ſoluto matrimonio reſtituenda foret, tribus eamdem vicibus reddebatur. Ex adverſo prædium quum nulla intercedente mora daretur, illud debebat Patri, vel mulieri confeſtim etiam reddi. Porro videamus pœnam ab Auguſto in eos, qui nuptias per divortium ſolverent, irrogatam. Siquidem pravi mariti mores in culpa fuiſſent, mobilia is in dotem accepta ſtatim reſtituere, pecuniamque numerare tenebatur, uſurarum compendia amittens, quas ſane percepiſſet, ſi eam interjecta mora, annua, bima, trima die ſoluturus fuiſſet. Quod ſi dos fundus Italicus eſſet, non ſolum ſtatim is reſtituendus, ſed & quadriennii fructus pœnæ nomine præſtandi; ita ut tanta pecunia repræſentaretur, quanta quatuor annorum fructibus reſponderet. Sunt qui pro quatuor annis ſubſtituunt tres, ad inſtar nempe dotis per pecuniam repræſentatæ: ſed quum uſuræ pecuniæ certæ eſſent, fructus vero vel naturales plerumque incerti, nil mirum, ſi in pecunia dotali prompta reſtitutione plecteretur maritus; in fundo vero dotali quadriennii fructibus. Dicitur autem prædium Italicum in dotem in ſpecie reſtituendum eſſe, quum id, invita uxore, alienari non poteſt, nec conſentiente adhuc ea obligari. Quare ſive a viro, ſive ab alio quocumque poſſideretur, ab uxore vindicabatur; quod profecto ſecus erat in Prædio provinciali. Ex quo tibi ratio proditur, cur antiqui Jurisperiti tanta cura jus Italicum a Provinciali diſtinxerint. Sed unde nam diſcrimen Italici fundi, & Provincialis? Ex eo ſcilicet, quod quum prædia

Ita-

Digitized by Google

Italica vel ibi sita, ubi jus Italicum esset, optimo jure, sive Quiritario possiderentur, ea emancipari poterant: contra vero Provincialia, quippe quæ in Populi Romani dominio, nequaquam nexu abalienari fas erat.

Hæc pœna maritum sequebatur, si ejus culpa divortium fieret. Quid vero, si ex improbis mulieris moribus? Sextam, vel octavam rerum dotalium sibi vir retinebat; illam nempe, si graviores mores in caussa essent, hanc vero si leviores fuissent. Sed quid si mulier capta esset ab hostibus? Statim quidem solvebatur matrimonium; attamen vero tenebatur, si alteri non nupsisset, a captivitate erepta ad virum redire, novoque consensu matrimonium reintegrare: quod si facere nollet, neque essent improbi mariti mores, pœna eadem plectebatur. En præclarum Pauli responsum (a): *Non ut a patre filius, ita uxor a marito jure postliminii recuperari potest: sed tunc, quum & voluerit mulier, & adhuc alii post constitutum tempus nupta non est. Quod si noluerit, nulla caussa probabili interveniente, pœnis discidii tenebitur.* In quo tamen animadversione digna sunt verba illa, *post constitutum tempus*, quum lacinia sit Triboniani propter Constitutionem Constantini, & Justiniani, quibus conjugi ut absentem conjugem per quadriennium, vel quinquennium expectet præcipitur; quod sane Paulli ævo non consonat. Hæc divortiorum pœna fuit sub Augusto. Sed a Christianis Principibus antiquo jure deinde abrogato, aliis rationibus matrimoniorum constantiæ prospectum est. Videsis Theodosii, Valentiniani, ac Justiniani Constitutiones, ubi certæ quædam, ac speciales caussæ percensentur, quibus vir a muliere, mulierque a viro vicissim possint divertere.

Sed quum pervulgatum satis sit, nullas injustasque sine parentum consensu nuptias fuisse; sæpe fiebat, ut ii vel ob rei familiaris angustias, vel uxorum suasionibus ducti a filiorum, filiarumque matrimoniis dissentientes, ea impedirent. Augustus vero, cui maxima cura erat obices omnes, quantum posset, matrimoniorum amovendi, & huic parentum per-

(a) *L. 8. de captivis.*

pervicaciæ pro viribus reſtitit, cavitque, ut per Prætorem Urbanum filiorum nuptiis aſſentiri cogerentur. Cur autem per Prætorem? Quia brevi judicio diſquiri adhuc debebat juſte ne, an injuſte parentes diſſentirent. Sed quum Prætoris tantum Urbani menſio fiat, credendum cenſeo ſtatutum id primo, ut Urbs civibus locupletaretur; quod deinde & ad Provincias, ubi cognitio Præſidum erat, prolatum. Neque tantum Parentes aſſentiri, niſi forte juſta obſiſteret cauſſa, jubetur, ſed ut ipſimet filiis ſuis conditionem quærerent, præcipitur. Diſſentire quippe a filiorum nuptiis videtur Parens, qui conditionem iiſdem quærere detrectat, pro moribus ſcilicet illorum temporum, quibus filii, filiæque uxorem, aut maritum de manu patris accipiebant.

At vero cur in hac lege, nihil de dote? Immo ſtultum eſt id objicere: quem enim latet tunc temporis potuiſſe parentes impune filios occidere, nedum exhæredare, ac præterire? Qui igitur cogi poterat pater dotem filiæ dicere? Ex quo deinde jure quum parentes excidiſſent, merito Antoninus, & Severus A. A. juſſerunt, cogendos eſſe eos, ut dotem filiabus tum Romæ, tum in Provinciis conſtituerent. Atque hæc ſunt, quibus ſapientiſſimus Auguſtus cavit, ne matrimonia adeo tunc temporis Reipub. neceſſaria, impedirentur. Sed poſteaquam conditiones cœlibatus, & viduitatis a legatis ſemovit, libertarum a dominorum conjugiis diſceſſionem vetuit, abſentiæ excuſationes, ne in cœlibatus pœnam inciderent, ſuſtulit, parentum aſſenſum in filiorum connubiis imperavit, laxioris affinitatis neceſſitudinem intra anguſtos fines compreſſit; poſtquam demum parentes ad conditionem filiis quærendam adegit; ad nuptiarum præmia, cœlibatuſque pœnas conſtituendas animum appulit, de quibus & nos diſſerturi.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VII.

De privilegiis maritorum, & parentum in gerendis, petendisque honoribus, & in hæreditate acquirenda; deque cœlibatus pœnis.

ID est humanæ naturæ primi parentis vitio affectæ ingenium, ut ad leges vel saluberrimas non nisi præmiorum spe allecta, aut pœnarum metu coacta observandas inducatur. Qua de re non immerito viri civiles affirmant præmia, & pœnas ad legis fere intimam naturam pertinere. Itaque, quum quid lege Papia Poppæa statutum sit, viderimus, par est, ut ejusdem præmia, & pœnas percurramus. Et in pœnis vitandis, & in præmiis appetendis alia aliis cura est inter homines: inops enim, & plebejus fortunarum bona, quibus egestatem sublevet, inhiat; dives autem, & Patricius gloriam vulgo, & honores exoptat. Ea vero modis omnibus absoluta lex est, quæ obtemperantibus pro cujusque ingenio præmiorum spem injicit. Etenim & vitæ commoda, & honores in medium ponit, tum etiam infimæ sortis homines, ac nobiles, & opulentos sibi allicit, quorum scilicet omnium desideria simul pascit. Hoc sane artificio condita lex nostra est, ut honores, & fortunas parentibus præferat, & eorumdem amissione refragantes deterreat. Hæc igitur sunt, quæ in præsenti dicenda habeo, de honoribus scilicet primo, deinde vero de fortunarum commodis, prout in lege statuta sunt.

§. I.

De ornamentis Consularibus.

INter Consularia ornamenta, parta per Brutum libertate, secures potissimum duodecim, & fasces sunt, quas profecto singuli Consules præferebant. Sed quum animadvertissent deinde duplicatam tyrannidem, ut invidia cessaret, Consulum insignia deminuta sunt. Itaque instituerunt, ut *alterum Consu-*

sulem duodecim secures præcederent, alterum duodecim lictores cum solis fascibus, atque etiam cum coronis, ut a quibusdam est proditum; Collegæque secures singulis mensibus sibi invicem traderent (a). Postea vero Valerius Poplicola prudentissimus ille Consul, ut Populo magis blandiretur, non solum fascium numerum ad dimidiam partem detraxit, sed & secures prorsus exemit, instituitque ut eæ tantum extra portam Urbis ferrentur. Hinc invaluit, ut fasces alternis mensibus Consules sibi invicem traderent, vocareturque Consul major, qui eos gestaret. Tanti autem honoris, potestatisque istiusmodi erant falces, ut singulis deinde diebus inter se mutandos censuerint.

Sed juvat hic inspicere, quis Consulum prior fasces assumeret. Sane ante legem nostram ætatis rationem habitam exploratissimum est; deinde vero ab Augusto, cujus omnis prope cura in augenda Civibus Repub., inductum, ut is in fascibus gestandis præferretur, qui plures haberet liberos; quos inter numerabantur etiam in acie amissi, quum qui pugnantes decessissent pro publica salute, adhuc vivere censerentur. *Sed si par utrique numerus liberorum esset*, tunc subdit lex, *maritus, aut qui in numero maritorum erit præfertur*. Erant autem in numero maritorum vel sponsi, non elapso biennio ab initis sponsalibus, vel ii, qui etsi mariti non essent, jura tamen maritorum assequuti fuerant a Principe, ut milites, qui quum ex lege uxores habere non possent, obtinuere a Claudio, ut maritorum jure fruerentur. Itaque maritorum jus, & liberorum idem prope erat, quo scilicet indulgebatur, ut qui liberos, vel uxorem non haberet, liberorum, & mariti commoda adipiscereturur. Quid si uterque Consulum parem liberorum numerum haberet? Maritus uterque esset, vel cælebs? Tunc ad jus antiquum reditum, nempe ut qui ætate grandior esset, in fascibus præferretur.

Sed præter fascium decus, quos præcipiebat qui liberorum numero collegam superaret, instituit etiam ut liberi prodessent, si quis citius ad honores festinaret. *Qui candidatorum plures liberos, secundum hanc legem, habebit, præfertor: pe-*

(a) *Halicar. lib. V.*

Digitized by Google

petentibus honores ſinguli anni per ſingulos liberos demittuntor: eiſque honores citius, quam per leges annarias licet, petere, ſine fraude ſua liceto. Itaque multitudo liberorum adeo petitoribus favebat, ut, ſi cui ætas a legibus annalibus ad honores præſcripta deeſset, per filios ſuppleretur, totque is annos ſolveretur lege, quot liberi eſſent. Quot vero anni cuique Magiſtratui eſſent præſtituti, ſane a nemine, ſi a Cicerone diſceſſeris, licet intelligere. Is enim quum Magiſtratus omnes, anno quemque ſuo, geſſiſſe ſcripſiſſet, ex ejus vitæ hiſtoria rem facile comperimus. Et quidem legimus anno ætatis ſuæ trigeſimo ſeptimo Ædilem, quadrageſimo Prætorem, & quadrageſimo tertio Conſulem creatum. Quos profecto annos ſuos ex legibus annariis, quicumque magiſtratus peterent, cenſuiſſe putandum eſt. Sed ut ad rem noſtram redeamus, ex iis inſpicere licet, præmia ab Auguſto non propter nuptias ſolum, ſed etiam ob liberorum numerum propoſita, ut pro ſe quiſque prolis fœcunditate Urbem replere civium numero certaret.

§. II.

De immunitate ob liberorum numerum, deque jure Quiritium ob eosdem conſequendo.

SEd & alia excogitavit Auguſtus, quibus omnes ad operam liberis dandam, illicerentur, de quibus hic, atque in proximo Paragrapho differemus. *Qui ſecundum hanc legem* (Heineccium concinnatorem ſequor) *liberos, tres Romæ natos, incolumes, qui quatuor in Italia, quinque in Provinciis habebit, omnium munerum perſonalium immunitatem habeto*.

Quid diſcriminis honores inter, & munera apud veteres fuerit, res eſt omnibus ſatis perſpecta. Honores enim gerebant, qui cum dignitate Rempub. adminiſtrabant, atque id ſive impendio opus eſſet, ſive a ſumtibus omnibus abſtinerent: munera autem, quæ neceſſario obeunda cum ſumtu quidem plerumque, & ſine dignitatis titulo; erantque vel patrimonialia, vel perſonalia, vel mixta. A patrimonialibus,

Digitized by Google

& miſtis nullum vacationis privilegium erat: contra vero in perſonalibus, quæ ſane verſabantur in curatione calendarii, in productione tyronum, ſive equorum, atque aliis, de quibus late Arcadius Chariſius in l. 18. de muneribus. Quibus hæc munera imperabantur, opus erat vel ea ſuſcipere, vel quem alterum vice ſua nuncupare, legitimam excuſationem objectando, rationemque afferendo., quapropter nuncupatus illo ea ſubſtineret. Itaque ſi officio ſuo hic deeſſet, aut ſolvendo non eſſet, nuncupator ille auctor habebatur tamquam profecto hujus fidejuſſor: ſibi enim culpæ dabatur, quod hominem talem, ut ſua vice fungeretur, legiſſet. Hæc erat vetus in his muneribus ſuſcipiendis conſuetudo, antequam Auguſtus privilegium indulſit, ut ob tres liberos Romæ, quatuor in Italia, in provinciis quinque a publicis muneribus excuſarentur.

Sed haud abs re erit tantiſper hic immorari, atque exponere, quinam Romæ, quive in Italia nati cenſerentur. Diſcrimen quoddam intercedebat inter nomen Urbis, & Romæ: nam Roma ad continentia omnia ædificia, ſive ſuburbia extendebatur; Urbs autem erat, quæ muro tantum cingebatur. Dicta fuit ab urbo, quod erat aratro definire: ſolemne enim erat antiquis junctis bobus mare & femina, veluti fœcunditatis ſymbolis, aratro in orbem ducto, mœnia deſcribere. Hinc Alfenus ſcripſit (a): *Urbs eſt Roma, quæ muro cingeretur. Roma eſt etiam, qua continentia ædificia eſſent. Nam Romam non muro tenus æſtimari, ex conſuetudine quotidiana poteſt intelligi, cum dicamus Romam nos ire etiamſi extra Urbem habitaremus.* Ne autem putes, diſtinctionem hanc inter gerras germanas recenſendam: maximi enim intereſt in jure exploratum id habere: etenim ſi immunitas iis detur, qui Romæ morantur, proderit etiam iis, qui in continentibus ſedem collocarunt; ſecus vero ſi Urbis mentio fiat, quum eos tantum complectatur, qui intra mœnia permanent. Quare quum in lege noſtra filii dicantur Romæ nati, intelligendi nimirum ſunt & illi, qui in continentibus orti ſunt.

(a) *L. 87. de verbor. ſignific.*

Digitized by Google

sunt. Hæc Urbis *continentia* sequiori ævo vocatæ sunt regiones *Urbicariæ*, *sive suburbicariæ*, & quidem circumscriptæ fuerunt centesimo ab Urbe lapide, quatuor nempe Provincias complectentes, easque ab Italia distinctas, quas subditas Præfecto Urbi legimus. Atque hæ sunt regiones illæ Urbicariæ, de quibus adeo Scriptores profani, & Ecclesiastici inter se contenderunt, ut latitudinem definirent; quod quidem ingenue fateor factum pro suo cujusque ingenio, nempe ut suppetias ferrent caussæ, cui inserviebant. Sed disputationes prorsus nullæ fuissent, si historiam consuluissent, atque origo vera, & non fucata harum Provinciarum quæsita esset, quippe rerum antiquarum inscitia diversarum partium studia alebat.

Vidimus jam Romæ nomen quid in lege nostra præferat: exponamus nunc Italiam. Vox hæc diversimode accepta fuit: antiquissimis enim temporibus ea non ab Alpibus, sed ab Audenna, & Rubicone fluminibus, & Appennino in Brutios usque, & Lucanos porrigebatur: reliquus enim tractus ultra, & cis Padum ad usque Alpes, quem Galli, Veneti, Histri, Ligures insederant, extra Italiam dicebatur. Quum vero Galli etiam, ceterique Populi cisalpini Civitate donarentur, ab Augusti temporibus terra omnis inter Alpes, & utrumque mare interjecta Italia audit. Quæ quidem vocis significatio obtinet, quoties opponuntur sibi Italici, & Provinciales. Denique postquam universa Italia Civitate donata est, multis etiam coloniis, atque urbibus per Provincias ab Imperatoribus jus Italicum dari cœpit, quæ sane *solum Italicum* dictæ sunt. Itaque nomine soli Italici minime venit Italia proprie dicta, sed illæ potius regiones, quæ extra Italiam sitæ, quibusque datum jus, quod antea Italiæ indultum fuerat. At cur Romæ tres liberi satis sunt ad excusationem, quatuor in Italia, quinque vero in Provinciis? Nempe ut intelligamus melioris conditionis fuisse jus Romanum, quam Italicum, atque hoc præstantius illo Provinciali.

Porro advertas velim, privilegium hoc minime indultum fuisse ex origine, sed ex habitatione tantum, ita ut si quis Romanus Italiam incoleret, Provincialis vero Romam, huic tres liberi prodessent, illi vero quinque. Verum quum homi-

Digitized by Google

minum fraus, condita lege, paratiſſima ſit ad eam evertendam, duplici hinc ratione liberorum numerus affectatus eſt, & ſimulatis adoptionibus, & filiis alienis ſibi ſubrogandis. Sed Senatuſconſultum ſub Nerone id cavit, ne cui filii adoptivi ad perſonalium munerum vacationem in poſterum prodeſſent, & cenſualis profeſſio inſtituta eſt, quo uniuſcujuſque filii ſine fraude adgnoſcerentur. His jam expoſitis alia percurramus.

Quum ingens profecto beneficium eſſet, ob filiorum numerum a muneribus excuſari, quippe quæ ingentis erant moleſtiæ, ingentiſque impendii, non minus etiam illud cenſendum eſt, quo Latini matrimonia ineuntes, teſtanteſque ſe liberorum gratia id facere, jus Quiritium obtinebant. En legis verba:

Latinus, cui filius, filiave natus
Natave, & anniculus, anniculave factus
Factave erit, & latina ſi ter enixa fuerit, jura Quiritium conſequitor.

Sed ut id penitius intelligamus, quinam fuerint iſtiuſmodi Latini, ante omnia tradendum eſt. Etenim ii non erant quidem incolæ Latii, vel ſocii Latini nominis, quibus multo ante Auguſtum, lege Julia, & Plotia jura Civitatis data fuerant, neque item Latini Juniani, quorum conditio nonniſi ſub Tiberio orta eſt; ſed ii potius, qui extra degentes, & bene de Populo Romano meriti jus Latii obtinuerant, eorum exemplo, quibus extra Italiam morantibus jus Italicum dabatur. Porro Latinorum ſi quis anniculum filium ex uxore Latina haberet, Quiritium jus conſequebatur. Ex latina inquam: nam cum Romana conjungi matrimonio non poterat, quum peregrinus cenſeretur, cui Romana mulier nubere præter Principis indulgentiam prohibebatur. Quum autem maximi pretii eſſet Civitas Romana, mirandum non eſt, quod Juriſconſulti, atque omnium maxime Paullus ſtudioſe perquiſiverit, quandonam filius dicatur anniculus. En Paulli verba (a): *Non ſtatim ut natus eſt, ſed trecenteſimo ſexageſimo quinto die dicitur, incipiente plane, non exacto die: quia an-*

(a) *L.* 134. *de verbor. ſignific.*

Digitized by Google

annum civiliter non ad momenta temporum, ſed ad dies numeramus. Et quidem agitur hic de rebus gratioſis, in quibus quem latet diem cœptum haberi pro completo?

Sed cur non nuptiis, non filiorum nativitati, ſed anniculæ ætati tantum privilegium? Facile intellectu id eſt, ſi in memoriam revocemus, Auguſtum non hoc tantum per nuptias caviſſe, ut cives a vaga venere diverterent, ſed & Civitas numero augeretur. Quod quum fruſtra fieret, niſi parentes filios educarent; hinc profecto nil mirum ſi intra eorum anniculam ætatem privilegium circumſcriptum ſit. Atque hæc cauſſa eſt, quapropter parentes in marmoribus ſæpe ſcribant (*a*) *Infantes anniculos*, vel *Pleno anno natos*; *de ſe bene meritos*.

Sed non erit abs re inveſtigare, cur Latinus Civitatem Romanam conſequeretur per unum tantum filium, qui anniculus foret; Latinæ vero ut ejusdem participes fierent, ter eniti opus eſſet. Nonne antea filius hic & patri, & matri ad Civitatem Romanam proderat? Sed viſa deinde eſt viri conditio mulieri præferri: ſiquidem in univerſo jure maſculum genus magis, quam ſequior ſexus habetur. Sed quum in lege noſtra jus Quiritium, non vero illud Civitatis memoretur, nolim hoc ſic anguſte accipias, ut credas parentibus hiſce id datum, quod tantum rem privatam, non vero publicam ſpectaret. Etenim ut ab immortali viro Ezech. Spanhemio (*b*) animadverſum eſt, jus Quiritium, & Civitatis longe inter ſe diſtabant: nam hoc ad jura publica reſpiciebat, cenſum nempe, militiam, tributa, honores, ſuffragia, ſacra; illud vero connubia, teſtamenti factionem, uſucapionem, ceteraque, quæ ad rem privatam referebantur, complectebatur. Quare Plinius jura Quiritium, & Civitatis diſcernens, aliis quidem jura Quiritium, aliis vero jura Civitatis a Trajano petit (*c*). Itaque juris Quiritium nomine & illud Civitatis intellexit Auguſtus, quum id conceſſum fuerit, quod utrumque complectitur.

§. III.

(a) *Grut. inſcrip. pag. 673. Reinſ. Inſcrip. claſſ. 20. num. 128.*
(b) *Orb. Rom. exercit. I. §. 11.*
(c) *Lib. X. epiſt. 4. & 32.*

Digitized by Google

§. III.

De libertorum operis, mulierumque tutela, quibus ob numerum liberorum ſolvebantur.

QUum eæ Auguſto gratificarentur nuptiæ, quæ fecundæ forent; propterea maritorum, quæ inſtituerat, privilegia, nonniſi numero liberorum tribuit. Superius quidem de Latino Civitatem Romanam acquirente ob filium anniculum diſſeruimus; nunc autem de ſolutione ab operis, a liberto promiſſis, deque muliebris tutelæ fine ob liberorum numerum agendum. *Qui libertinus*, lex ait, *duo, pluresque a ſe genitos natasque in ſua poteſtate habebit.... vel unum quinquennem, operarum obligatione liberator*. Sed quum lex verba faciat de libertino filios in ſua poteſtate habente, colligas hinc non Latinos Junianos, neque dedititios intellexiſſe; quippe qui, ſi Civitatis Romanæ participes non eſſent, haud profecto poterant filios in ſua poteſtate gignere. Ad hæc, quum in libertæ poteſtate non eſſent filii, neque eam reſpexiſſe legem fatendum eſt, ſed per nuptias potius a promiſſis operis liberari.

Verum ut id præmii pro ſua dignitate æſtimetur, neceſſe eſt, ut carptim iſtiuſmodi libertorum operas perſtringamus. Erant igitur hæ dona, & munera, quæ patronus a liberto jure exigebat. Sed propius rem ipſam attingendo, operæ patrono a liberto debitæ, aliæ ſunt officiales, fabriles aliæ. Illæ in officio perſonæ; hæ in artificio verſabantur: illas ipſo jure, has vero nonniſi promiſſas libertus præſtabat. Quum enim Romulus civium mores martiali furore formandos inſtituiſſet, fabrilia omnia, quippe quæ militari ſtrenuitati parum congruunt, civibus prohibuit, atque ad ſervos amandavit, dictæ hinc propterea illiberales artes, tamquam indignæ homine ingenuo. Itaque quum penes ſervos tantum eſſent, maximum erat lucrum, quod dominus ex miniſterio ſervorum percipiebat. Præter hæc litteris ſervi ſæpe imbuebantur; unde ſervi grammatici, philoſophi, medici, atque hinc non parum etiam in rem domini vertebatur.

Ne

Digitized by Google

Ne autem domini ſervos manumittendo tantis commodis excciderent, coeptum eſt in ipſa manumiſſione operas eorum excipere: quumque ſervus juris civilis expers eſſet, hinc mos invaluit, ut libertus, poſtquam libertatem a domino accepiſſet, jurejurando, quod ante pollicitus erat, firmaret. Atque hæ ſunt operæ, quibus etiam juratis libertus ſolvebatur, modo duos ſaltem procreaſſet filios, idque ex lege noſtra: quod privilegium quanti eſſet, facile ab eo intelligitur, cui notum ſit, qua ſanctitate Romani fidem juratam ſervarent.

Sed veniamus ad tutelam, a qua mulier ter enixa, ſi ingenua eſſet, quater vero, ſi liberta, liberabatur. Id ſane luculentiſſime ſcripſit Ulpianus (a). Sed quamquam hæc mulierum tutela cum moribus noſtris minime congruat, immo longe ante Juſtinianum ab uſu exceſſerit, non inutilis tamen navabitur opera, ſi ad vetuſti juris intelligentiam pauca ſaltem ex antiquorum moribus hic depromam. Certum quidem eſt apud doctiſſimos Græcos in more poſitum, ut in perpetua tutela mulieres eſſent: ſi enim pupillis ob infirmum judicium tutor ad certam ætatem præſtituitur, cur non perpetuo mulieribus, quarum ratio ob ſexum ipſum ſemper infirmior? Quum vero quamplurima Græcorum inſtituta Romam immigraſſent, factum inde eſt, ut & Romani mulieres perpetuæ tutelæ ſubjicerent.

Itaque duplex Romæ erat mulierum tutela, pupillaris, & perpetua: illa duodecimo expleto anno finem habebat; hæc vero perpetuo perſtabat. Perpetua igitur mulierum tutela penes adgnatos erat, & quidem donec nuberent: nam ſi mulier per nuptias farre, uſu, vel coemtione initas, in viri tranſiret manum, iſthæc adgnatorum tutela ſolvebatur. Et quidem quum tutela in caput liberum ſit, non in eum, qui alienæ ſubditur poteſtati, itaut filio ſub patris, vel avi manu exiſtenti tutor non detur; mulier, per ſolemne matrimonium in poteſtatem viri cadens, tutela ſolvebatur. Quod ſi matrimonium ſolemne non eſſet, illud nempe per quod mulier dominio, poteſtatique viri non ſubderetur, ſalva tunc erat

(a) *Fragmen. tit.* 28. §. 2. & 3.

tutela legitima, vel dativa, sub qua mulier reperiebatur. Atque ita intelligendum est marmor apud Grutterum (*a*), ubi Furfannia L. F. Saturnina monumentum se fecisse profitetur *sibi, conjugi, & tutori suo.* Quod ut plane intelligatur, advertendum est, per solemnes nuptias, sic mulierem transiisse in potestatem ac dominium viri, ut hic jus vitæ, & necis in eam, quasi filia esset, nanciscereturr, cunctaque ejus bona dotis nomine adquireret; vicissim vero hæc mortuo viro cum ceteris filiis succederet. Quum autem Pater posset de tutela filiorum arbitrio suo disponere, hinc & uxori suæ quem vellet tutorem testamento relinquebat. Quæ sane erat tutela testamentaria mulierum.

Sed hic mihi paratur occasio illud obscurissimum Tullii dictum interprerari. Ait enim (*b*): *Quum permulta præclare legibus essent constituta, ea jurisconsultorum ingeniis pleraque corrupta, ac depravata sunt. Mulieres omnes propter infirmitatem consilii majores in tutorum potestate esse voluerunt; hi invenerunt genera tutorum, quæ potestate mulierum contineantur.* Qui autem sunt Tutores isti, qui tantum abest, ut mulieres in potestate habeant, ut iidem magis mulierum potestate contineantur? Ecce tibi Jurisconsulti Romani, ut uxoribus assentarentur, & fraudem legi facerent, id statuerunt, posse virum mulieri suæ plures tutores testamento relinquere, eique optionem dare, quem sibi ad tutelam vellet eligere. Quo posito, nonne eum tutorem legebat, qui omnia sibi indulgeret, quique a suo nutu penderet? Itaque tutor hic potius in mulieris quam mulier in tutoris potestate erat. Porro hanc Tutoris optionem memorat & Livius (*c*), qui hæc de Hispala Fecenia scripsit: *Uti Feceniæ Hispalæ datio, diminutio, gentis enuptio, Tutoris optio item esset, quasi ei vir testamento dedisset.* Sicque ex rerum gestarum monumentis traditum puto, quod Tullius oratorie, atque obscurius dixerat. Sed nos rem persequamur. Erant igitur mulieres sub perpetua

(a) *Inscrip. pag.* 552. *nu.* 2.
(b) *Pro Muræna cap.* 12.
(c) *Lib. XXXVIII. cap. XIX.*

Digitized by Google

tua tutela, donec per nuptias in mariti manum venirent: quumque nihil prorsus agerent, nisi tutore auctore, hinc sine illius auctoritate neque nuptias inire, neque testamentum condere poterant. Ex quo profecto habemus quid voluerit Papinianus (a) referens patris consilium, ne filia testaretur antequam liberos tolleret. *Mando* (ait) *filiæ meæ, pro salute sollicitus ipsius, ut quoad liberos tollat, testamentum non faciat. Ita enim poterit sine periculo vivere.* Quum enim mulier ante nuptias non posset sine Tutoris auctoritate testari, hinc fiebat, ut testamentum, sive scriberet, sive nuncuparet statim evulgaretur, herediſque nomen per Urbem volitaret, ac periculum vitæ ejus crearetur. Sive enim adgnatos misso tutore instituerent, sive Tutorem adgnatis præteritis, erat semper cur sibi timeret. Secus vero filiis procreatis: nam quum tutela finem accepisset, instituto quem vellet herede, tuta ab adgnatorum insidiis erat, quum arcanum, seu in scriptis condendo testamentum, fururus heres ignoraretur.

Hæc est germana legis hujus interpretatio, non vero illa a Merillio conficta (b), quod mulieres nonnisi per nuncupationem testari possent. Hæc enim Plinius de quadam Aurelia scripsit (c): *Aurelia signatura testamentum sumpserat pulcherrimas tunicas, Regulus quum venisset ad signandum: Rogo, inquit, has mihi leges. Aurelia ludere hominem putabat, ille serio instabat. Nec multa: coegit mulierem, aperire tabulas, & sibi tunicas, quas erat induta, legare. Observavit scribentem, inspexit, an scripserit.* Præter hæc *ex l. 19. D. de inofficioso testamento*, illud idem loculentissime evincitur, in qua laudata lege fit mentio filiæ a matre scriptæ heredis. Ex omnibus his huc usque enarratis colligas velim, quanta fuerit Augusti prudentia in hac lege condenda. Ut enim Urbem lascivientibus moribus purgaret, eamque desertam prope Civibus ingenue institutis oppleret, & pœnarum metu, & spe præmiorum, manibus, ut ita dicam, pedibusque annisus

(a) *L. 77. §. 24. de legatis 2.*
(b) *Observat. lib. 11. cap. 1. & lib. IV. cap. XXIX.*
(c) *Lib. 11. Epist. XX.*

Digitized by Google

ſus eſt. Quod quidem quantum ad Monarchiam, quam maxime præ mentis oculis habebat, faceret, tum ex iis, quæ ante dicta ſunt, tum per ea, quæ mox differturi, planiſſime patebit. Porro igitur pergamus.

§. IV.

De decimis, & de ſolidi capacitate.

QUæcumque homines appetunt, ſummoque ſtudio perſequi curant, vel honores ſunt, vel fortunæ. Sed quum varium ſit hominum ingenium, ad omnia hæc cum ſimul omnes feruntur, tum alii alia exoptant. Patricius vir, quippe qui dominationem in plebem anhelat, ad honores adſpirat; præterea nihil: plebejus vero, honoribus neglectis, vitæ commodis, quibus eget, avidiſſime inſervit. Hinc Auguſtus noſter, ut omnes omnium ordines Cives legi ſuæ ultro obſequerentur, ſapientiſſime, ut ſupra dictum eſt, & honores, & fortunas parentibus propoſuit; amiſſionem vero horum omnium refragrantibus comminatus. Poſtquam igitur de honorum præmio legi Auguſtæ obtemperantibus ſtatuto fuſe diſſeruimus, ad alterum illud fortunarum contento curſu nunc properemus. Erat autem id decima, & ſolidum quod parentes inter ſe capiebant nomine matrimonii. Sed ut hoc clarius pateſcat, advertendum præ omnibus eſt, virum, & uxorem mortis cauſſa inter ſe capere præter decimam non poſſe: par enim viſum fuit effuſam inter conjuges liberalitatem tempore potiſſimum mortis, quo homines liberaliores eſſe ſolent, prohiberi: facile enim fiebat, ut maritus, vel uxor conjugali amore capti, bona omnia ſibi invicem relinquerent, atque ita avitis hereditatibus adgnatos privarent. Itaque prudentiſſime ſtatutum, ut de defuncti conjugis bonis ſuperſtes conjux nihil, præter decimam, caperet; filiorum vero ſuperſtitum favore ſolidum, ut Reſpublica Civium numero augeretur.

Quum igitur nuptiæ ſecundum leges contractæ eſſent, decima viciſſim a conjugibus in matrimonii præmium relinqui

qui potetat; & si quid amplius relictum foret, pœnæ nomine in Fiscum cadebat, quum in legem id vetantem peccatum esset. Quoniam autem universim in lege nostra dictum est, capi nempe ultra decimam a conjuge superstite non posse; res & ad hereditatem, & ad legatum, & ad fideicommissum, & ad mortis demum caussa donationem referenda est. Porro ne legi fraus fieret, neve Fiscus dulci caduco excideret, quum vulgo legitimam hujus decimæ quantitatem interturbarent, receptum fuit ut bona conjugis, qui conjugi superstiti decimam reliquerat, æstimarentur. Hinc sparsim in jure rerum pretia, hoc est bonorum æstimandorum ratio, quæ, abrogatis deinde legibus decimariis, a Triboniano ad legem Falcidiam commode applicata fuit.

Igitur nuptiarum præmium decima hæc erat. Sed quia Augustus non nuptias tantum, sed liberos etiam ex nuptiis exoptabat; hinc & alias decimas filiorum nomine alter superstes capiebat, tot scilicet, quot essent filii. Immo id discriminis servabatur, ut si ex prioribus nuptiis filii superstites essent, totidem decimas adjicerent parentibus. Si vero ex secundo matrimonio divortio non dirempto vel unus filius esset, solidum inter se caperent. Quamvis enim lex nostra *filios* plurali numero meminerit, ut parentes invicem ex asse heredes esse possent, per Prudentes tamen receptum fuit, ut unus adhuc superstes ad id satis esset. Quum enim odiosa ea sit, quæ conjugum libertatem minuit, benigniori interpretatione uti censuerunt, & plurativum numerum singulariter exposuerunt. Atque ex hoc deinde factum est, ut sine liberis defunctus non censeatur, cui filius unus superstes sit.

Quid si parentes liberos amisissent? Proderant & mortui parentibus invicem heredibus? Ita lex nostra sanxit: *Item communis filius, filiave post nominum diem amissus, amissave, decimam adjicito*. Duas itaque decimas Parentes in hac specie accipere inter se poterent; alteram nempe matrimonii gratia, alteram vero ob filium, modo post nominum diem defunctus sit. Ex quo sane mihi illud Dionis obscurissimum dictum explicandum occurrit. Ait is, Augustum a Senatu petiisse,

tiisse, *ut tantum sibi liceret Liviæ præter legem relinquere*. Anxie nimis scrutari conati sunt interpretes, quænam esset lex hæc, qua per Senatum Augustus optabat Liviam solutam. Arbitrati quidam eam legem Voconiam fuisse, quæ profecto vetabat conjugem quid ex defuncti conjugis hereditate accipere. Sed quum hoc fuisset per legem Papiam abrogatum, per quam decima saltem poterat capi, inania prorsus jactitant. At salva res est, si ad legem nostram Dionem referas. Quum enim Livia ex priori matrimonio Tiberium peperisset, alteraque nuptias cum Augusto iniisset, nonnisi binas decimas lege capere ex hujus hereditate poterat. Quamquam autem ex secundo viro prolem etiam suscepisset, hæc tamen, quum ante nominum diem e vita excessisset, nihil profecto ad reliquam hereditatem proderat. Itaque ut uberiore Augusti liberalitate frueretur, nonnisi solvi antea lege a Senatu debebat.

Sed quinam dies hic nominum, sive lustricus? Is profecto, quo infanti nomen imponebatur, quod deinde in acta publica referendum erat. Qui sane dies Græcis quintus, vel decimus fuit, octavus tamen erat Romanis in puella, in puero autem nonus, atque hoc accepto nomine lustrabantur. Hinc Tranquillus scripsit in Caligula (*a*): *Infantem autem Juliam Drusillam appellatam per omnium Dearum templa circumferens, Minervæ gremio imposuit, alendamque, & instituendam commendavit*. Ex quo sane tibi patet quænam lustratio hæc fuerit. Sed velim, ne promiscue habeas nominum impositionem, & professionem censualem, quod quidam profecto faciunt Capitolini locum male interpretantes (*b*): professio enim apud acta, nonnisi imposito infanti nomine, fieri poterat, & ad trigesimum usque diem proferri licebat; illa autem nono omnino die, ut diximus. Igitur ut ad rem redeamus, infans post diem lustricum amissus decimam unam parentibus adjiciebat, & binas, si bini fuerint. Quod si tres essent, solidum tunc Parentes capiebant. Sed præter has decimas

(a) *Cap. XXV.*
(b) *In Marco cap. IX.*

Digitized by Google

cimas uſumfructum etiam tertiæ partis bonorum conſequi poterant. Ex quibus internoſcas, cur in jure frequentiſſima illa ſpecies ſit, ut maritus uxori in tempus liberorum tertiæ partis uſusfructum relinquat, nempe ut ſolidum capere præter decimas poſſit, ſi alios liberos poſt mortem ejus procrearit, vel ut occupet tertiam uſusfructus ſuorum bonorum, quam ſane lex indulgebat etiam unius filii gratia *l.* 25., & 62. *D. de conditionib. & l.* 10. *de præſcriptis verbis*.

Ceterum quum lex ad relicta mortis cauſſa referretur, ut eam eluderent conjuges, excogitarunt donationes, vel ſub dotis nomine confictas, vel inter vivos; cui ſane fraudi legibus poſterioribus occurſum eſt. Immo & fideicommiſſis legis præſcripto ſe eximere conati ſunt: heredem enim quemcumque inſtituebant, eumque ut conjugi hereditatem reſtitueret, rogabant; vel ſi mavis, parentes ipſos, ſub quorum poteſtate mulier eſſet, heredes ſcribebant, ut deinde tacita fide, qnod relictum foret, conjugi redderent. Huc pertinet præclarum illud Papiniani reſponſum (*a*): *Si gener ſocerum heredem reliquerit, taciti fideicommiſſi ſuſpicionem ſola ratio paternæ affectionis non admittit*. Verum hic non omittendus eſt inſignis Tertulliani locus; exhortatur enim is uxorem, ut ſanctam viduitatem ſervet, aitque (*b*): *Tu modo, ut ſolidum capere poſſis, hoc meæ admonitionis fideicommiſſum Deus faciat*. Siquidem in animo habuit ille Patrum juririſconſultiſſimus leges decimarias: quemadmodum enim lex Papia præmia multa conjugibus pollicebatur, ita & contra Tertullianus ingentia bona uxori viduitatem ſervanti, & ad præſentem, & ad vitam futuram promittit, quæ, ut uxor ſolide capiat tacita, veluti fide, ideſt precibus Deo comittit, quemadmodum mariti heredum fideicommittere ſolebant, ut uxoribus hereditatem ſuam darent, quod leges decimariæ vetabant.

Jam de legibus decimariis, quædam adhuc ſuperſunt de ſolido

(a) *L.* 25. *D. de his quæ ut indignis*
(b) *Ad uxorem lib.* 1. *cap.* 1.

Digitized by Google

lido dicenda. Et quidem si conjuges ejus ætatis essent, qua liberos lex Papia minime exigeret, solidum vicissim capere poterant. En legis verba. *Viro, & uxori solidum inter se capiendi jus esto, si uterque, vel alteruter nondum ejus ætatis sit, qua liberi ex hac lege exiguntur.* Sed quodnam tempus hoc esset, difficillimum vestigatu est. Qui omnium industriam vicit, Heineccius conjicit legem Papiam, uti matrimonium inire jusserat omnes puberes, & viri potentes, ita liberos flagitasse a maribus anno ætatis duodevigesimo, a feminis vero forte decimo & sexto. Veteribus enim annum illum in maribus idoneum visum fuisse ad liberos procreandos ex hoc patet, quod adoptantem annos octodecim adoptatum superasse oportuerit. Jam vero sicuti filiorum orbitas minime impediebat quominus conjuges solidum caperent, modo ejus essent ætatis, ex qua liberos lex non exigebat, ita etiam si liberos in matrimonio diuturno non procreassent, pœnis solvebantur, nempe si masculus sexaginta annos natus esset, mulier vero quinquaginta. Quum enim diu fuissent in matrimonio, neque filios impediente natura procreassent, acerbum profecto fuisset orbitatis pœna eosdem plecti, per quos minime steterat, quin liberos susciperent.

Solidum etiam vir uxoris testamento capiebat, si Reipub. caussa abesset, atque postquam revertisset infra annum se matrimonio copulasset; non enim pœna in eos infligitur, qui quum non possint, legibus non parent. Et quidem id sanctiori disciplina institutum erat, ut qui ob Rempublicam proficiscerentur, secum uxorem ducere indignum censeretur, ne scilicet ea virum forte corrumperet in officio, aut ipsa delinqueret munera a Provincialibus extorquendo. Sic enim Ulpianus scripsit *l. 4. §. 2. D. de officio Proconsulis*: *Proficisci autem Proconsulem melius est sine uxore, sed & cum uxore potest: dummodo sciat, Senatum Cotta, & Messala Consul. censuisse futurum, ut si quid uxores eorum, qui ad officia proficiscuntur, deliquerint, ab ipsis ratio, & vindicta exigatur.* Etenim sub Tiberio, quo imperante S. C. hoc factum ab usu jam desciverat, vetitum illud, ne uxor maritum in Provincias proficiscentem sequeretur, quum Pilati uxor secum

mo-

Digitized by Google

moraretur, atque id tantum vigebat, ut de uxoris delicto vir teneretur; sed non ita sub Augusto fuerat: nam de eo hæc scripsit Svetonius (a): *Disciplinam severissime rexit. Ne legatorum cuiquam, nisi gravate, bibernisque demum mensibus, permisit uxorem invisere.* Ex quibus omnibus facile intellectu est, cur lex nostra sanxerit, ut qui Reipub. caussa abesset, solidum capere posset.

Demum solidum capiebant conjuges, si filium, filiamque, quos susceperant, amisissent, ita enim Ulpianus: *Item, si filium filiamve communem habeant, aut quatuordecim annorum filium, vel filiam duodecim amiserint, vel si duos trimos, vel si tres post nominum diem amiserint, aut si intra annum & sex menses etiam unum cujuscumque ætatis impuberem amiserint, solidum inter se capiundi jus est.* Itaque si Parentes amiserint filium, qui esset puber, vel feminam nubilem, solidi privilegio perfruebantur: quum enim Parentes filios huc usque ætatis educassent, ut possent prole locupletare Rempub., æquum visum est Principi prudentissimo, ut hoc privilegio donarentur. Idem indultum est, si duos trimos, aut unum intra annum, & sex menses, vel tres post lustricos dies amisissent. Sed hic advertas discrimen virum inter, & uxorem: nam ut vir ex aliorum testamento solidum caperet unus satis erat filius, & dicebatur *pater solitarius*; secus vero in muliere est, quæ ter enixa esse debebat, si ingenua, quater vero, si libertina. Ad patres igitur pertinet illud Caji *in. l.* 148. *D. de verbor. signific. Non est sine liberis, cui vel unus filius, unave filia est. Hæc enim enunciatio, habet liberos, non habet liberos semper plurali numero profertur, sicut & pugillares, & Codicilli.* Sed quum ad rem hanc illustrandam potissimum faciat Juvenalis locus, non est profecto prætermittendus: sic enim adulteram facit loquentem (b):

Nullum ergo meritum est, ingrate, & perfide, nullum,
Quod tibi filiolus, vel filiola nascitur ex me?
Tollis enim, & libris actorum spargere gaudes
Argumenta viri: foribus suspende coronas.

(a) *In octav. c.* 24.
(b) *Sat. VIII. ver.* 86.

Digitized by Google

Jam pater es: dedimus, quod famæ opponere posses,
Jura parentis habes, propter me scriberis heres,
Legatum omne capis, nec non & dulce caducum.

Hæc sunt ab Augusto instituta, ut conjuges inter se, vel ab aliis solidum caperent. Sed si quando hujusmodi conditiones conjugibus deficerent, essetque ideo inter eosdem vetita solidi acquisitio, ut legi fraudem struerent, ad substitutionis ambages confugiebant: instituebant enim filium heredem, eique conjugem superstitem substituebant, ut per has technas atque intermediam personam, solidum caperent. Nam testatori succedere prohibito nequaquam vetitum erat, ut ejus heredi succederet. Quo sane spectat responsum illud Terentii Clementis, & Juliani in *l. 6. D. de vulgari* de matre substituta per virum filio pupillo, an succedere eidem posset. Julianus quidem distinguebat, quæ a patre ad filium pervenerant, ab iis, quæ pupillo præterea acquisita erant; atque in his indulgebat matri, ab illis vero omnino prohibebat. Contra, vero Clemens nullo habito discrimine ad solidum vocabat quum per hereditatis aditionem desinant bona esse defuncti, fiantque patrimonium heredis, ut substitutus non Testatori, sed instituto succedere videatur.

Verum quia hoc controversi juris erat, & passim Fiscus bona ultra decimam relicta occupabat, ne tam frequens caducum esset, cautionem certam Jurisconsulti excogitarunt, quam Cajus nobis tradidit in *l. si in testamento* 5. *D. de vulgari*; nempe ut si mulier substituta heres minime foret, *quisquis sibi heres esset* (nempe testatori) *is in parte quoque deficientis esset heres*. His enim conceptis verbis partem deficientem non Fiscus sibi adimebat, sed qua quisque parte heres erat, ad illam, quæ ad Fiscum spectasset, etiam vocabatur. Itaque vulgo mulierem uni cum alio substituebant, isque volebant, ut ex asse heres foret, si mulier portione sua excideret. Atque hæc sunt præmia, & privilegia data parentibus ab Augusto. Videamus nunc cœlibatus, & orbitatis pœnas.

§. V.

Digitized by Google

§. V. & ULTIMUS.

De pœnis cœlibatus, & orbitatis.

QUum ſolemnes nuptias, parenteſque prole felices ingentibus honoribus, bonorumque affluentia remuneratus adeo fuerit Auguſtus, æquum erat, ut ex iiſdem fontibus pœnas in cœlibes orboſque, ne qua parte lex deficeret, hauriret. Ut autem nos, quo ordine incepimus, eodem pergamus, ante omnia ejus verba, qualia eximius Heineccius in ordinem digeſſit, recitemus. *Cœlibes, niſi intra centum dies legi paruerint, neque hereditatem, neque legatum ex teſtamento, niſi proximorum genere, capiunto. Si quis conjugum maſculus, ultra XXV. annum, fœmina ultra XX., orbi erunt: ſemiſſem relictorum tantum capiunto. Qui genere proximi erunt, uſque ad gradum ſextum, quod relictum eſt, jure antiquo capiunto.*

Plectebat igitur lex noſtra cœlibes, atque orbos bonorum amiſſione, nempe ut hereditate, legatiſque, niſi ab iis relicta eſſent, qui intra ſextum gradum conjuncti eſſent, exciderent. Hoc tamen injectum eſt diſcrimen, ut alteri ſolidum, alteri vero ſemiſſem tantum amitterent. Quum enim magis cœlibes, quam orbi in legem peccaſſent, par viſum, ut hi ſemiſſe, illi rebus omnibus relictis privarentur. At enim iniqua lex cenſenda, quæ & eos pœna afficit, qui legi parere non potuerunt: ſiquidem voluntatem peccare, non vero neceſſitatem, in ore omnium verſatur. Sed ſecus profecto dicendum eſt, ſi quis ſponte ſua ad hanc ſe neceſſitatem adegerit, ut ſane erant orbi, qui licet naturæ vitium obſtaret, quo minus liberos procrearent, experta tamen conjugis ſterilitate, ſecundum tunc temporis mores, ad feliciores nuptias, miſſo repudio, migrare poterant, imo & debebant. Sunt autem hic orbi, qui vel nunquam filios procreaſſent, vel procreatos amiſiſſent. Quamquam enim, ut ſuperius diximus, amiſſi proderant; id tamen beneficii inter ipſos tantum conjuges erat, nequaquam vero, ſi quid ex aliorum teſtamentis capere vellent; ex quibus patri uni ſolitario, atque uxori ter

enixæ capere licebat. Porro cœlibes orboſque hac pœna multatos ad annum uſque ſexageſimum in maſculo, quinquageſimum vero in femina intelligas, quum poſt id ætatis, licet vellent, non poſſent matrimonium inire, ut liberis darent operam, legiſque imperio parerent.

Sed quum pœnalibus his ſanctionibus Imperator noſter non tam cœlibum, atque orborum pervicaciam puniret, quam eoſdem ad nuptias fœcundas induceret; hinc ſtatutum eſt, ut cœlibes orbique non ſtatim hereditatis lucro exciderent, ſed temporis intercapedo eſſet, qua, ſi vellent, poſſent hereditatem, nuptias feraces ineundo, capeſſere. Itaque datum iis eſt centum dierum ſpatium, ex quo hereditas delata eſſet, ut connubio jungerentur, & quod relictum erat, acquirerent. Quod quum ſæpe Romani factitarent, enatum dicterium illud apud exteras gentes, *Romanorum plerique uxores ducunt, & liberos procreant, non ut heredes habeant, ſed ut heredes ipſi eſſe poſſint* (1); nempe non ut filios ſuſciperent, quibus ſuperſtitibus ſecundum communem votum bona relinquerent, ſed ut ipſimet aliorum hereditates compararent.

Vetat igitur lex noſtra cœlibem ſolidum capere ex alterius teſtamento, ſive id inſtitutione teſtamentaria relictum ſit, ſive legati nomine. Quum vero id pœnale præſcriptum ſit, ne ad ſimiles quidem ſpecies proferendum leges omnes jubent. Et tamen, quod profecto mirandum, prohibitio hæc, quæ verbis expreſſis hereditatem, vel legatum complectitur, ad bonorum poſſeſſionem, quæ in eo diſtat ab hereditate, ut Prætor, qui heredem facere non poterat, bonorum tamen poſſeſſionem daret, ad donationem cauſſa mortis, & ad fideicommiſſa eſt referenda, quæ tam longe abſunt a legatis, ut quibus jus legatum accipiendi non eſſet, fideicommiſſum tamen poſſent accipere. Me non latet, id ideo factum, ut ne fraus legi fieret: ſiquidem iis, quos ſcribi heredes fas non erat, cuncta bona vel per donationem mortis cauſſa, vel per fideicommiſſum, relinqui facile poterant. Sed ea forte conjectura a vero non abhorret, pœnalem hanc legem ab hereditatibus, legaga-

(a) *Plutar. de amore prol.*

Digitized by Google

gatisque ad ceteras largitiones ex juriſperitorum ingenio prolatam, ut Fiſci jura adaugerentur, ærariumque locupletaretur. Qua enim communitate juncta ſunt viventium beneficia cum morientium diſpoſitionibus? Et tamen cœlibi, quem lex hereditates tantum, & legata capere vetabat, ne inter vivos quidem licebat donare, ut Plinius lib. V. epiſ. 1. ſcripſit: *Non eſſe ſatis honeſtum aliquid & locupleti, & orbo dare in ſumma non profuturum ei, ſi donaſſem, profuturum, ſi ceſſiſſem: eſſe autem me paratum, cedere, ſi inique exheredatum mihi liqueret*. Non ne id ad Fiſci gratiam, atque ærarii opulentiam? Verum ſi ex juriſperitis alii interpretationibus ſuis Fiſci commodis ſtuduerunt; alii tamen fuerunt, qui rationem excogitarunt, qua fiſcalia vota eluderent. Suadebant hi teſtatoribus, ut cœlibi, atque orbo ad tempus liberorum relinquerent. Hinc per totum, qua late jus patet, illa relinquendi formula ſparſa, *ſi liberos heres habuerit, vel ad tempus liberorum*. Nullus hic metus erat, ne heres, vel legatarius e relictis exciderent, eaque caderent in Fiſci beneficium, quum quod ſub conditione relictum erat, legibus caducariis minime eſſet obnoxium. Haud abſimilis modus ille legandi fuit: *Quantum plurimum per legem accipere poteſt, dari volo, vel quammaximam partem dare poſſum, damnas eſto heres meus ei dare* (a). Nam ita legatarius tantum accipiebat, quantum jure capere poterat, reliquo pœnes heredem manente, excluſo Fiſco, in cujus commodum res cecidiſſet, ſi ita legatum non eſſet.

CAPUT VIII.

De legibus, quibus Monarchia inolevit.

§. I.

De ærario Principis.

FRuſtra imperium paratur, ubi civium mores improbi ſunt, atque ad flagitia proni: diſſolvitur enim civilis fo-

(a) *L. ſi ita quis* 53. *D. de legat. & fideicom.* 2.

ſocietas, ſi non virtus, ſed vitia graſſantur. Igitur poſtquam legem Juliam, & Papiam de maritandis ordinibus explicavi, per quam Octavius utcumque conatus eſt Romanorum mores a vitiis purgare, eoſque a vaga venere averſos ad matrimonii caſtitatem ducere, ut ita deinde probiores facti novo regimini aſſueſcerent, leges ipſas exponendas aggredior, quibus Monarchicæ Majeſtatis fundamenta facta ſunt. Sed quum Principatus cardo in militari imperio vertatur, mileſque nullus præſto ſit ſine ſtipendio; pro certo adfirmandum eſt, Monarchicum regimen ab Ærario maxime pendere: quare haud mirum, ſi a Principis Ærario commentarium noſtrum exordiamur. Ex tributis, & vectigalibus conflatur Ærarium, de quibus quædam ante omnia ex viris politicis deſumenda ſunt. Licet quidem vectigalia nervi ſint Reipublicæ, atque ad ipſorum civium utilitatem redeant, inviſa tamen vulgo ſunt, vixque perferuntur, quaſi uni Principi cedant: quod ſane prudentiſſimus ille Romanorum, ducto exemplo membrorum a ventre diſſidentium, falſum oſtendit (*a*). Ita propterea vectigalia ad minuendam invidiam temperanda ſunt, ut & Principi proſint, & civibus minus oneroſa evadant.

Septem autem conficiendæ publicæ pecuniæ rationes docentur: primo ex agris publicis; deinde ex hoſtium ſpoliis; tertio ex amicorum largitionibus; quarto ex ſociorum tributis; quinto ex mercatura; ſexto ex earum rerum vectigalibus, quæ aut evehuntur, aut invehuntur; ſeptimo demum ex ſubditorum tributis. Sed inter hæc nullum certius, aut minus inviſum videtur, quam primum. Et quidem ab uſque rerum incunabulis ſive Principi, ſive Populo, qui novas Urbes condere, vel colonias deducere conſtituerint, ſolemne fuit, agrum omnem, quà late pateret, ſic partiri, ut præter terras urbi ponendæ, templis, theatriſque conſtruendis, eaſque, quæ a civibus ſibi colerentur, communiaque omnibus paſcua, poſſeſſiones quaſdam tuendæ & conſervandæ Reipublicæ cauſſa ſecernerent, quæ profecto privatis locarentur, ut ex earum mercede pecunia in ærarium conflueret.

Ita

(a) *Liv. lib.* 2.

Digitized by Google

Ita Romulum ſe geſſiſſe vulgatum ſatis eſt, quum tres in partes diviſiſſet Romanum agrum, quarum una ſacris faciendis, altera Reipublicæ oneribus ſublevandis, tertia demum civibus cederet, imitatus quidem ſapientiſſimorum Ægyptiorum morem, qui campos ita tribuebant, ut pars ſacris, & Sacerdotibus alendis devoveretur, pars Reipublicæ oneribus ſubſtinendis, quod reliquum erat, *Calaſyris*, hoc eſt, iis aſſignarentur, qui pro tuendis civibus arma caperent: nam ceteri cives aut coloni erant, aut ſervi. Jam vero hæc pro Reipublicæ oneribus prædia inter majora regalia accenſentur, neque alienationum jacturæ obnoxia; & quamquam longo annorum fluxu a privatis poſſideantur, præſcribi nequaquam poſſunt, idque in iis redimendis pactum tacitum ineſt, ut ſemper poſſint a Principe vindicari. Sane tritum non tam Romanorum, quam Græcorum ſermone apophthegma fuit, *Nec mortales contra Deum, nec privatos contra Rempublicam præſcribere*. Sed animadvertendum hic eſt, diſcrimen eſſe inter Rempublicam Popularem, Ariſtocraticamque, atque inter Monarchicam: nam in Monarchia ager dominicus a publico, & Fiſcus ab Ærario longe differt. Siquidem Princeps publicos agros alienare non valet, dominicos, ſive ſibi privatos, valet: quæ profecto diſtinctio in Ariſtocratia, & Democratia locum non habet, quum quidquid ad Civitatem pertinet, publicum ſit, neque ullo modo cuiquam peculiare exiſtimari poſſit.

Alter pecuniæ conficiendæ modus ab hoſtium ſpoliis petitur: par enim æquumque eſt, ut quæ bello exhauriuntur, ex bello ſufficiantur. Qua de re quamvis apud Romanos receptum eſſet, urbes vi captas militi diripiendas tradere; pecunia tamen publica in ærarium inferebatur. Sed nolim idem credas, ſi quando Urbes ſponſione inita, pactoque facto, in Populi Romani ditionem ſeſe darent. Nam cum his ſic tranſigebatur, ut tertia agri parte multarentur, coloniæque Civium egentium, quibus ager ille aſſignaretur, deducerentur. Ex quo quidem ingens Romæ utilitas oriebatur: tum enim ſeditionum auctores ab urbe ejiciebantur, cujus quies plerumque ab iſtiuſmodi proletariis, & capite cenſis intervertitur, tum etiam pauperioribus civibus, unde viverent, dabatur, quum

ſuum

ſuum ibi quiſque agrum coleret, nec vitam inertem tranſigeret. Sed quod maximum in hoc exiſtimabatur, id erat, quod victi populi ſenſim Imperio Romano legibus, moribuſque aſſueſcerent. Connubiis enim, atque affinitatibus paullatim ad Romanorum mores formabantur, privataque utilitate urgente, a rebus novis abſtinebantur. Quin ſi quando inſurgerent, & in rem Romanam molirentur, coloni ſtatim inter ipſos verſantes, occurrebant, qui veluti in ſpecula ſtantes, hoſtium conatus occupare, exercituſque ſaltem Romanorum arceſſere poterant. Idque eo ſane aptius ad devictarum gentium impetus refrenandos, quam præſidia illa perpetua, quibus Provinciæ muniuntur; quo ſane nil intolerabilius: tantum enim abeſt, ut victi victoris imperio aſſueſcant, ut nova in diem ira exardeſcentes, infeſtiores potius fiant, nec unquam quieſcant, donec cæde, & incendio omnia vaſtarint.

Tertia publicæ pecuniæ cogendæ ratio in amicorum, & ſociorum largitionibus verſabatur. Sed hic latum diſcrimen nos inter, & antiquos intercedit: etenim nos rebus lætis, ut animorum noſtrorum gaudium ſignificemus, gratulari Principibus muneribus ſolemus, quum illi nonniſi rebus afflictis occurrerent. Proſtat exemplum Ægypti Regis, qui viginti millia argenti, & mille pondo auri Romanis dono dedit Annibalis furore oppreſſis: qui tamen gratias agentes omnia hæc recuſarunt, quum turpe ſibi putaſſent alienis opibus hoſtem debellare. Sæpe vero factum eſt, ut ea quæ ab initio potentioribus ſponte dantur, in tributa deinde neceſſaria converſa fuerint. Sane in Perſide ante Darium tributa nulla exigebantur, ſed quæ ſubditi vellent, ultro elargiebantur. Sed Darius Hiſtaſpes is fuit, qui has voluntarias largitiones in neceſſaria ſtipendia vertit, quæſtoreſque ad ea per Provincias creavit. Eſſet & quartus augendi ærarii modus, hoc eſt annua penſio, quæ a ſociis Civitatibus ex fœdere percipitur; & ſi qua gens armis devicta fuerit, tributum potius, aut ſtipendium, ſi quod imponebatur, appellatur, ut, victo Annibale, ſtipendium Carthaginenſibus impoſitum eſt ſingulis annis.

Reliqua ſunt tria, quæ ad publicum auctandum ærarium ſpe-

ſpectant, nempe mercatura, portorium, ac demum capitatio, quod extraordinarium tributum appellatur, quum ad id non niſi trepidis atque afflictis rebus deveniendum ſit, ſi cetera reparandæ Reipublicæ non ſufficiant. Mercatura quidem minus honeſta ratio publicæ pecuniæ conficiendæ Romanis, ceteriſque Populis viſa eſt. Etenim lege Claudia Senatori Romano prohibitum navem onerariam habere. *Quæſtus omnis* (inquit Livius) *Pompejo indecorus viſus eſt*. Apud Britannos, & Germanos inter ærarios, & plebejos accenſebatur, qui mercator eſſet. Sed inter ipſos Romanos id aliquando licuit, modo honeſte fieret. Et quidem Auguſtus fœnori locabat pecuniam, & quamquam gratis quidem, ſi debitor veniente die ſolveret, in duplum tamen, ſi ſecus. Maximum certe fœnus hoc erat, ſed ejus acerbitatem hac arte more ſuo leniebat, dictitans eos qui conſtituta die ſibi creditum non exolverent, publicam pecuniam ſurripuiſſe, ideoque peculatus pœna obſtringi. Non ita ſe geſſit Alexander Severus, qui pecuniam mutuam, remotis iſtis ambagibus, ad trientem uſuram dabat.

Sed hæc delibaſſe contentus ad portorium devenio, quod ſane ex gentium omnium more frequentius eſt. Jam vero licet vectigalis nomine apud veteres tria potiſſimum præferrentur, *Decuma* ex agri publici cultura, *Scriptura* ex publicis ſilvis, & paſcuis, & *Portorium* ex rerum venalium importatione, & exportatione; poſtremum tamen hoc illud eſt, de quo maxime nunc diſſerendum. Par quidem ut ex mercibus evehendis, vel invehendis quid penſitetur, quum Reipublicæ, vel Principis ſit vias reficere, ſecuritatemque viatoribus præſtare. Sed quia, ut diximus, tributa ea imponi debent, quæ a civium utilitate aliena non ſint, & quam minime poteſt populo inviſa; monent hinc viri politici, & inter hos numquam ſatis laudandus Joannes Bodinus in ſuo immortali opere de Republica, ne Princeps vectigal imponat rebus, quæ minutatim, quæque victui ſunt neceſſariæ. Quum enim per hoc egeni adhuc, & pauperes onerentur, id plerumque ſeditiones atque tumultus permoviſſe experientia compertum eſt; qua de re quum Livius ſali vectigal imponere auſus

esset, Salinatoris nomen convicii ergo a Populo accepit.

Itaque ut videamus quodnam portorium sit Civibus utile, minimeque quantum potest invidiosum, rem ipsis Bodini verbis, dignis sane quæ exscribantur, tradam. *Si quis est, qui scire de me velit* (inquit) *quodnam genus vectigalium immortali Deo gratissimum, civitatibus pulcherrimum, Principibus honestissimum, plebi utilissimum videatur, illud est, quod iis rebus imponitur, quæ ad corrumpendos civium mores, quæ ad delicias, quæ ad luxum, quæ ad libidinem spectant; aurea inquam, & argentea suppellex, odores, pigmenta, innumerabilia vestium ornamenta, colores pretiosissimi, gemmæ, margaritæ, ceteraquæ generis ejusdem, quæ probibenda non sunt, neque si velis possis, quum ea sit hominibus insita vis ac natura, ut nihil avidius expetant, quam quæ sanctissime vetantur* (a). Præclara quidem imponendi tributa disciplina: nam qui in effrenem rerum luxuriam effusior est, ratio postulat, ut prodigus ejus animus aliquo injecto freno coerceatur. Quod si nec tributorum metus satis sit, ut ad bonam frugem se recipiat, sibi tribuat, quod eo onere gravetur, quo facile liberari possit, sobriam vitam honestamque traducens. Ultro igitur hæc tributa persolvuntur, quum facili negotio iis cives possint extricari, a luxuria vivendi abstinentes. Prudenter quidem se gessit Lycurgus, pecuniam nonnisi ferream concedens civibus, quæ quum exteris nulli usui esset, exoticarum rerum venditores ab urbe expulit, ne scilicet peregrinis mercibus frugalissimos civium mores ad rerum luxuriam allicerent.

Itaque sicut justum est, immo & commendabile tributum, quod rebus invectis, quæ potius luxuriæ, quam vitæ usui inserviunt, imponitur; ita contra æquum erit vel non institui, vel saltem minui vectigal rerum, quibus cives commode carere non possunt. Sed utile maxime est fabræ, lanificæ, sericæ artis rebus, aliisque hujusmodi, quæ peregre adveniunt, vectigal imperare: nam quamvis talia hæc ad Civium usum cultumque opus sint, onus tamen illud impositum non parum proderit; nempe, ut cives ipsi eadem facere

(a) *De Ærario lib. 6. c. 2.*

Digitized by Google

cere condiſcant, & conſueſcant. Quod profecto quem præterit, quantum juvet tum ad expellendam egeſtatem a civitate, tum ne proletarii inertem tranſigendo vitam, res novas moliantur? Etenim Reges Ægypti tot Pyramides, aliaque ingentis molis ædificia eo conſilio a civibus conſtruenda curabant, ut per hos non intermiſſos labores infimæ potiſſimum ſortis homines a pravis maleferiatorum cogitationibus averterent. Quod ipſum quidem & imitatus fuit Auguſtus, qui adeo plebem operibus publicis exercuit, ut dictitaret, *Urbem ſe marmoream relinquere, quam lateritiam accepiſſet*. Atque huc ſpectant tot illa privilegia Collegiis, Corporibuſque Artificum data, ut iis cives illecti artes excolerent, ne rebus novis per otium ſtuderent.

Sed quæ hucuſque diſſeruimus, de Ærario univerſe intelliguntur: ad ea nunc vectigalia decurramus, quæ propius ad inſtitutum noſtrum accedunt, quæ ſcilicet cum Monarchia, maxime vero ſi recens orta ſit, congruunt. Si enim hæc in Republica populari, ubi de communi Imperio ſervando agitur, inviſa ſunt civibus, quid in Monarchia, ubi ad unius Regnum tutandum videntur ſpectare? Id quidem illud eſt, ex quo Agrippa Octavium maxime monebat, ut imperium abdicaret, difficultas nempe publicæ pecuniæ conficiendæ. *Jam etſi nulla Reſpublica ſine ſumptibus conſtare poteſt, tamen in ea, ubi penes populum eſt imperium, multi multam pecuniam lubentiſſime conferunt, etiam liberalitatis opinionem ut conſequantur, ac pro iis honores meritos adipiſcantur. Quod ſi etiam univerſo Populo penſionem imperare neceſſitas poſtulat, tamen id eo perferunt, quod ſibi ipſis ſe obtemperare, ac in ſuum ipſorum uſum conferre pecuniam arbitrantur. At contra ubi unus dominatur omnium, eum ut divitiis abundantem, ſolum impenſas facere æquum eſſe cuncti judicant, ſtudioſius reditus, quam ſumptus, quos is faciendos habet, indagantes. Ac neque privatim libenter ultroque aliquid pendunt, neque ſua ſponte publicas penſiones offerunt: quorum illud quidem nemo facere animum induxerit (neque enim facilem divitem ſe eſſe confitebitur quiſquam) neque ex uſu Principis eſſet hoc fieri: ſtatim enim is, qui ultro pecuniam obtuliſſet, a vulgo Civitatis ſtudioſus judi-*

catus, animo elatus concutere præsentem statum Reipublicæ institueret. Hoc autem posterius omnino molestum plerisque est, idque eo magis, quod damnum esse suum emolumentum ad alios redire vident. Nam ubi popularis est Reipublicæ gerendæ ratio, permulti quoque eorum, qui pecuniam pendunt, stipendia merere solent, atque ita quodam pacto eam recipiunt: sub unius dominio fere alii sunt, qui agros colunt, navigant, ac civilia munia obeunt, quibus præsertim pensiones incumbunt: alii vero arma ferunt, & mercedem militiæ accipiunt. Atque hæc una rerum earum est, quæ tibi molestiam exhibebunt (a).

Hæc quidem in medium allata sunt, ut evinceret ille, quantis difficultatibus unius dominatio esset involuta, in ære potissimum ad publicos usus cogendo. Contra vero summus vir Mæcenas rationes plurimas protulit, per quas Ærarium adhuc in Monarchia bonis artibus ditescceret, multas inquiens esse Reipublicæ auri, argentique fodinas, quas excolendo ingentem pecuniæ vim in Fisci commodum cogere Princeps possit. Subdidit facile rerum possessoribus ex æquo tributa imperari, ut qui fortunarum suarum securitate fruerentur, tributorum onera, per quæ civium bona ab hostium incursionibus tuta servantur, subeant. Et postquam monuit, ut fideles exactores instituerentur, saluberrimo quodam consilio orationem absolvit . . . . . *Idque* (ait) *eo magis fiet, si te frugaliter, & continenter vivere, ac nihil prodigere videant. Quis enim, quum videat te in re familiari summa parsimonia uti, in publica liberatissimum esse, non ultro velit aliquid conferre, quum tuas divitias suam securitatem ac copiam esse judicet? Itaque pecuniæ etiam plurimæ tibi suppetent.*

Sane potissima ratio, cur subditi odio persequantur tributa, illa est, quod ea ad unius saturandam avaritiam, ejusque luxuriam pascendam imperata opinentur: quam quidem opinionem ut Principes prudentissimi averterent, multifariam adnisi sunt. Alii enim frumentum ipsum, quo alerentur milites, imponebant, ut oculis testibus, provinciales pernossent, cui usui esset id, quod imperabatur, nempe ad eos enutriendos,

(a) *Dio lib.* 52.

dos, qui ſibi, libertati, bonorumque ſecuritati adverſus externam vim præſto eſſent. Quæ profecto laudabilis conſuetudo diu permanſit, ut ex Codice Theod. proclive eſt intelligere. Alii vero ſic ſe geſſerunt, ut ſponte ſua potius, quam neceſſitate adacti auctare ærarium viderentur; per bonorum publicationes, quas facillime potuiſſent effugere honeſte vivendo: ſat enim hoc modo vectigalium odium lenitur, quum nemo ſit, cui perſuaſum non eſt, æquius fore, ut ſceleſtorum hominum bona ad publicum Ærarium confluant, quam alendæ libidini inſerviant. Demum ſapientiſſimi Principes adeo res ſuas compoſuerunt, ut in re domeſtica frugales viderentur, liberales vero in publica, quo Populus intelligeret, Ærarium a Principe ad communem magis, quam ad privatam ſui unius utilitatem inſtitutum. His pro majori perſpicuitate præmiſſis, non ab re erit videre, quas rationes Auguſtus inierit, ut exhauſtum ærarium, & prope bellis civilibus emunctum repararet. Enimvero præ ceteris leges caducarias excogitavit, vigeſimamque hereditatum inſtituit; in hac ut videretur ſatis tolerabile tributum, quod ex inſperato lucro excutiebatur; in illis vero ſponte ſolutum, quod facillime quis potuiſſet effugere, vitam ad legum normam componendo.

Deinde, quod rem domeſticam ſpectat, adeo a luxu alienus viſus eſt, ut ſcripſerit Tranquillus (a): *Inſtrumenti ejus & ſuppelectilis parſimonia apparet etiam nunc, ex reſiduis lectis, atque menſis, quorum pleraque vix privatæ elegantiæ ſunt. Nec toro quidem cubuiſſe ajunt, niſi humili, & modice inſtrato. Veſte non temere alia, quam domeſtica uſus eſt, ab uxore, & ſorore & filia nepotibus confecta. . . Cœnam trinis ferculis, aut, cum abundantiſſime, ſenis præbebat, ut non nimio ſumptu, ita ſumma comitate.* Hæc fuerat vivendi ejus conſuetudo. Porro a cupidine cogendæ in rem privatam pecuniæ adeo procul fuit, *Ut qui nunquam* (ait idem (b)) *ex ignoti teſtamento capere quidquam ſuſtinuerit . . Legata, vel partes hereditatum, & a quibuſcumque parentibus relicta ſibi, aut ſtatim liberis eorum concedere, aut,* ſi

(a) *Cap. 73.*
(b) *Id. cap. 66.*

Digitized by Google

si pupillari ætate essent, die virilis togæ, vel nuptiarum cum incremento restituere consueverat. Sed de publica liberalitate, Tranquillus idem ait: *Liberalitatem omnibus ordinibus per occasiones frequenter exhibuit.* Occasiones inquam, ne si præter causſam daret, videretur ejus liberalitas captandæ gratiæ ad firmandam suam dominationem inservire. *Et quoties ex damnatorum bonis pecunia superflueret, usum ejus gratuitum iis, qui cavere in duplum possent, ad certum tempus indulgebat.* Neminem igitur tributa conferre tanto Principi tædebat, qui ab omni luxu alienus intra domesticos lares tam frugalis erat, publice vero adeo magnificus, atque erga omnes ordines munificentissimus: atque adeo vectigalium compendia in Populi ejusdem utilitatem redire videbantur unde advenerant. Sed his præmissis, rem ipsam tandem aggrediamur.

§. II.

De Vigesima hereditatum.

DIximus supra tributa illa recenti Monarchiæ congruere, quæ tolerabiliora videntur. Ecquidnam autem tolerabilius, quam quid ex inopinato lucro decerpi? Tale profecto id est, quod Vigesima hereditatum dicitur, cujus originem sic nobis prodit Dio: *Verum quum hac pecunia sumptuum magnitudinem minima parte attingeret, ac perenni copia esset opus, Senatoribus negotium dedit, ut pro se quisque aliquam rationem inveniret, eamque in libello conscriptam ipsi traderet expendendam: id non eo fiebat, quod ipse nihil reperiret, sed ut eis persuaderet, quo hanc maxime viam, quam ipse probabat, sequendam ducerent. Certe multis varie propositis, nulla earum probata: instituit, ut vigesima pars hereditatum, ac legatorum, exceptis illis, quæ proxime genere junctis, ac pauperibus morte aliorum relinquebantur, in ærarium militare inferrentur, quasi scriptum in Cæsaris commentariis id pensionis genus reperisset.* Dignum sane ingenioso Principe consilium, quum uno ore moneant politici viri, ut Principes per se benignitate utantur, onera autem, & pœnas per alios inferant. Addit Octavius

vius id tributi genus se in Cæsaris commentariis reperisse, hac enim arte opus est Principi, ut onerum invidiam leniat, illorum scilicet non sese sed decessores arguendo. Sed hoc tributi genus quum patres minime probarent, Augustus ea, qua pollebat ingenii solertia, objecit, se pensionem ex cujusque possessionibus instituturum. Quo sane metu perculsi vicesimam omnes simul repente comprobarunt. Atque hæc est origo vicesimæ. Verum quum tributum hoc ab insequentibus Principibus pro cujusque ingenio fuerit auctum, vel diminutum, de ejus progressu disserere abs re profecto non erit. Nam adeo per totum, qua late jus patet, disseminatum id est, ut leges bene multæ tenebris offundantur, nisi lucida, & dicta ejus intelligentia exponatur. Et, quod mireris, eo abrogato, ejusdem veluti reliquiæ adeo in Triboniani compilatione dispersæ, & sæpe alio transfusæ spectantur, ut non exigua juris Justinianæi pars lateat in obscuro, si res a primordiis non repetatur.

Sed præ omnibus videndum est, quibus rebus, quibusque hominibus vicesima isthæc imposita fuerit: Dio scripsit: *Instituit, ut vicesima pars hereditatum, ac legatorum, exceptis illis, quæ proxime genere junctis, ac pauperibus, morte aliorum relinquebantur*. Ex his luculenter intelligimus vectigal hoc ob hereditates, atque legata pensitatum, atque ab heredibus omnibus, ac legatariis, præter proxime genere junctos. Sed quinam sunt οἱ πάνυ συγγενεῖς *proxime genere juncti*? Filiine, iique in patris potestate constituti; an vero agnati proximiores? Res anceps est, neque habes quid certi, ubi figas pedem. Diu quidem hoc meditatus sum, nec datum adhuc, fateor ingenue, difficultate extricari. Quare satius rem in medio relinquere duxi, idque asserere unum, tempore Nervæ, ac Trajani tantum filios, eosque non emancipatos fuisse immunes. Sed haud ineptum hic erit, brevi internoscere, quid novi Augustus, hujus vectigalis gratia in jus civile induxerit. Olim sane latebat me omnino, quænam caussa Imperatoris mentem moverit; ut Quartam Falcidiam priscis inauditam instrueret, legata, & fideicommissa per epistolas etiam, quas sequior ætas codicillos nuncupavit, relinqui indulserit, ut ipsis demum fidei-

deicommiſſis, quæ prius a ſola heredum fide pendebant, actionem daret, Conſulibuſque mandaret, ut fiduciarios cogerent. Sed jam tandem reperi, quod nemo forſan uſque adhuc advertit.

Et quidem, inſtituta viceſima, Fiſci intererat, ne teſtamenta, legata, vel fideicommiſſa in irritum caderent: quod profecto ſæpe fiebat, herede non adeunte, ne negotiis hereditariis ſine ullo lucro implicaretur. Atque hoc eſt, cui per legem Falcidiam occurrere Auguſtus cenſuit. Quare ſic Dio de Falcidiæ origine ſub Octaviano, anno ſeptinceteſimo decimo & quinto inſtituta ſcripſit: *Lex Falcidia a P. Falcidio Tribuno Plebis lata eſt, quæ nunc quoque plurimum valet in hereditatibus adeundis: ea autem permittit, ut heres, ſi adire hereditatem gravetur, quadrante accepto reliquum dimittat. Hæc eo biennio acta*. Igitur hæc lex ſub Octavio a P. Falcidio, a quo nomen accepit, rogata eſt. Sed utinam ſicut Dio ejus originem prodit, ſic & ejuſdem cauſſam attuliſſet: ita enim nos ingenti labori peperciſſemus, nec juris interpretes in tam turpi rerum graviſſimarum ignoratione jacuiſſent. Itaque in tanto ſcriptorum ſilentio, ſi mihi mens læva non eſt, ſic veritatem veſtigaſſe puto. Vehementer Fiſci intererat ne viceſima, ſi nemo hereditates ex teſtamento delatas adiret deperiret, nec legata, & fideicommiſſa fierent irrita: ſi enim ſcriptus heres hereditatem non adiiſſet, ea profecto proximis delata eſſet, inter quos forte fuiſſent, qui viceſima ſoluti erant. Quare Fiſcus & viceſimam hanc amittebat, & eam quoque, quam legatarii, ſi hereditas adita eſſet, penſitaſſent, quum repudiata hereditate, legata etiam, & fideicommiſſa caderent.

Solertiſſimus igitur Princeps, ærario ſuo conſulturus, legem hanc tulit, qua heres quadrante illectus hereditatem adiret, & legata, fideique commiſſa ſuſtinerentur, unde viceſimæ ad Fiſcum affluerent. Quare faceſſant hinc omnes, qui neſcio quem teſtamentorum favorem in Falcidia abſurde nobis obtrudunt: faceſſant, qui teſtantium libertati hoc remedio proſpexiſſe Octavianum jactitant: licet enim ſimulationes iſtiuſmodi callidus Imperator more ſuo objecerit, re tamen vera omnia comparata ſunt, ut ærarium diteſceret. Hæc eadem

Digitized by Google

dem cauſſa fuit, quapropter Veſpaſianus Imperator legem Falcidiam ad fideicommiſſa univerſalia per S. C. Pegaſianum protulerit, ne ſcilicet fideicommiſſa hæc irrita fierent, & cum his viceſimæ Fiſcales. Et quidem ad Principis hujus ingenium id maxime quadrat, cujus tanta fuit avaritia, ut & urinæ vectigal induxerit, ſive, ut quibuſdam viſum, amphoras quaſdam ad urinam excipiendam locandas inſtituerit. Quod quidem filio ægre ferenti nummos inde redeuntes olendos præbuiſſe fertur, dicens, ex re quacumque bonum elici odorem poſſe, pecuniamque, licet ex fœtido vectigali coactam, ſuaviter tamen inolere. Sed ut redeamus, unde diſceſſimus, ex iis, quæ dicta ſunt, facile intelligitur, cur ante Juſtinianum Falcidia prohiberi minime potuerit, ſecus vero eo imperante; nempe ne Fiſcus viceſimis caderet, quæ quum ſub Juſtiniano exoleviſſent, quid mirum, ſi Imperator hic juſſerit poſſe a teſtatore prohiberi, quominus falcidia ab herede detraheretur?

Sed & viceſimæ gratia, ut ego puto, factum eſt, ut Auguſtus fideicommiſſis, quæ primum a ſola fiduciariorum voluntate pendebant, actionem dederit, ne ea intercíderent. Quamvis enim alia prætexuerit, id ſcilicet ſe facere in gratiam Lentuli, ſive illorum beneficio, quibus Lentulus fideicommiſſum reliquerat, cui tamen non patet Principem illum mira ſimulandi arte polluiſſe. Eadem profecto de cauſſa inductum arbitror, ut codicilli, ſive ſcripturæ minus ſolemnes ſatis eſſent; ſi quis legaret, vel fideicommitteret. Quum enim in Provinciis non ſemper civium Romanorum copia eſſet, ac proinde ſeptenarius teſtium numerus ad teſtamentum condendum deeſſet; hinc hereditate ab inteſtato delata, viceſimis deſtituebatur Fiſcus, quas ex legatis, & fideicommiſſis ſperare poterat. Itaque Auguſtus ſtatuit, ut ſi quis juſto teſtium numero carens, teſtamentum facere non poſſet, Codicillos tamen, ubi pauciores deſiderantur teſtes, conficere poſſet.

Confirmat hanc meam ſententiam *l. 7. D. qui teſtamenta facere poſſunt. Si mutus, aut ſurdus, ut liceret ſibi teſtamentum facere a Principe impetraverit, valet teſtamentum*. Sed animum, quæſo, ad ejus inſcriptionem adverte: *Æmilius Macer*

lib. 1. *ad legem vicesimam hereditatum*. Satis ex hac intelligimus datum a Principe surdo, & muto, ut testarentur ad vicesimæ lucrum, quo forte Fiscus excidebat, si mortuus intestato fuisset, lege ipsa proximioribus agnatis, quibus vicesima oneri non erat, hereditatem integram addicente. Quum igitur Augustum, ærario civilibus bellis exhausto locupletando, quo potissimum in Monarchiæ orsis opus erat, sollicitum videamus; quumque Codicillos ad hereditatem sive testantium, sive intestatorum per legata, & fideicommissa minuendam, onerandamque, in vicesimarum gratiam concessisset, atque hoc adversus jus vetus; haud sane mirabimur, mutis etiam, & surdis in Fisci commodum testandi facultatem indultam. Sed ad vicesimæ deminutionem accedamus.

Diximus supra, incertum esse, quinam proximiorum nomine apud Dionem veniant, qui immunes ab hoc vectigali intelligantur, unine filii, an vero ceteri agnati proximiores. Sed quidquid sit, certissimum sane est, quod & ante monuimus, Nervæ, & Trajani ævo solos filios non emancipatos ab hoc onere fuisse exceptos. En quæ Plinius in suo Panegyr. scripsit (a) de Imper. Nerva: *Sanxit, ut quod ex matris ad liberos, ex liberorum bonis perveniisset ad matrem, etiamsi cognationum jura non recepissent, quum Civitatem adipiscerentur, ejus vicesimam ne darent*. Et deinde: *Eamdem immunitatem in paternis bonis filio tribuit, si modo reductus esset in patris potestatem*. De Trajano autem hæc tradidit (a): *Voluit, ut quemadmodum in patris filius, sic in hereditate filii pater esset immunis; nec eodem momento, quo pater esse desiisset, hoc quoque amitteret, quod fuisset. Ægregie Cæsar, quod lacrimas parentum vectigales esse non pateris*. Deinde vero docens, Trajanum objeciisse exceptionem Nervæ, qua filius vectigal hoc solvere tenebatur, si fuisset emancipatus, subdidit: *Tu quidem Cæsar, illam exceptionem removisti. Si modo filius in potestate patris fuisset, intuitus opinor vim legemque naturæ, quæ semper in ditione parentum esse liberos jussit*: Tum hujus beneficii ad alios extensionem memorans, ait (b): *Cavitque, ut in-*

(a) *Cap.* 38.
(b) *Cap.* 39.

Digitized by Google

in ſororis bonis frater, & contra in fratris ſoror, utque Avus, Avia in neptis nepotiſque; & invicem illi ſervarentur immunes.

Demum ad præterita tempora ſe vertens, quum filii tantum immunes eſſent a viceſima, hæc ait (*a*): *Viceſima reperta eſt, tributum tolerabile, & facile heredibus dumtaxat extraneis, domeſticis grave. Itaque illis irrogatum eſt, his remiſſum: videlicet quod manifeſtum erat, quanto cum dolore laturi ſeu potius non laturi homines eſſent, deſtringi aliquid, & abradi bonis, quæ ſanguine, gentilitate, ſacrorum denique ſocietate meruiſſent, quæque nunquam ut aliena, & ſperanda, ſed ut ſua, ſemperque poſſeſſa, ac deinceps proximo cuique transmittenda cepiſſent.*

Ex quibus duo velim colligas, & viceſimam ſub optimis illis Principibus Nerva, ac Trajano contractam non parum fuiſſe, & antea unos filios non emancipatos immunes fuiſſe. Ecquid aliud verba illa innuunt, *Domeſticus heres, & extraneus?* Quid illud quod ſequitur, *Quæque nunquam ut aliena, & ſperanda, ſed ut ſua, ſemperque poſſeſſa*, niſi parentum bona, quæ lex ipſa filiis deferebat? Quæ ſane Plinii verba apprime conſona ſunt Juriſperitis, & inter hos Paullo. Hic enim tradens filium a viceſima ſolutum, hac ratione nititur, quia quum patri ſuccedat, non cenſetur hereditatem adquirere, quum vivo adhuc patre heres minor appelletur, eodem vero mortuo, dominium ejus perdurare dicatur. En Paulli verba obſcuriſſima quidem, niſi ad viceſimæ hujus primam originem referantur: *In ſuis* (ait (*b*)) *heredibus evidentius apparet, continuationem dominii eo rem perducere, ut nulla videatur hereditas fuiſſe, quaſi olim hi domini eſſent, qui etiam vivo patre quodammodo domini exiſtimabantur. Unde etiam filius familias appellatur, ſicut pater familias: ſola nota hac adjecta, per quam diſtinguitur genitor ab eo, qui genitus ſit. Itaque poſt mortem patris non hereditatem percipere videntur, ſed magis liberam bonorum adminiſtrationem conſequi. Hac ex cauſſa licet non ſint heredes inſtituti, do-*

(a) *Cap.* 37.
(b) *L.* 11. *de liber. & poſthum. heredib. inſtit.*

Digitized by Google

mini; tamen sunt; nec obstat, quod licat eos exheredare, quos & occidere licebat. Quorsum hæc, nisi ut doceret Jurisconsultus vicesimæ immunitatem ad filios spectare? Si enim vicesima solvitur ex hereditate, & bona parentum filiis delata hereditatis nomine non veniunt, quum in eis dominium illorum jugiter permanere potius, quam deferri videatur, quippe quibus nullum discrimen intercedit, nisi quod geniti & genitores sint, a vicesima solvenda profecto filii immunes erunt, quæ veræ hereditati, hoc est, aliunde quæsitæ imposita est. Demum per postrema illa verba, *Hac ex caussa licet non sint heredes instituti, domini sunt, nec obstat quod licet eos exheredare, quos & occidere licebat.* Quorumdam forte ora in Fisci gratiam obgannientium occludit, qui verba legis cavillantes, filiis etiam institutis heredibus vicesimam solvendam effutiebant, quum veram hereditatem crederent in iis, qui exheredes scribi poterant. Has igitur delatorum calumnias, inquam, removisse videtur Paullus, quum dixerit, quamvis heredes instituti sint, dominos tamen esse. Videsis quam plana sit legum intelligentia, si rerum origo solerter detegatur. Porro nos rem persequamur.

Quamvis autem vectigal hoc satis a Nerva, & Trajano diminutum fuerit, mirum tamen quantum excreverit, ac longe lateque pervagatum sit, condita Constitutione illa, quam Ulpianus meminit in lege *XVIII. de statu hominum: Ut qui in Orbe Romano essent, Cives Romani efficerentur.* Quod quidem satis exponi nequaquam potest, nisi huc referantur, quæ Ezechiel Spanhemius in eximio opere de Orbe Romano scripsit. Et quidem vicesimam uni tantum Cives Romani pendebant, præterea nemo. Quum enim Provincialibus jus Quiritium non esset, ii neque ex Civis Romani testamento adquirere poterant, neque illi vicissim per testamentum relinquere, ipsa quippe natura lege proximioribus morientium bona deferente. Itaque istiusmodi homines, qui tum activa, tum passiva testamenti factione destituti erant, vicesima solvebantur. Atque id in caussa fuit, cur Antoninus Civitate incolas Imperii Romani omnes donaverit, nempe ut ex æquo cuncti vicesimæ onus subirent. En præclarissimum Dionis

nis locum in excerptis, unde res lucidiſſime exponitur: hic enim de Antonino Conſtitutionis hujus auctore ſcribens, hæc ait: *Cujus rei cauſſa etiam omnibus, qui in Orbe Romano erant, Civitatem dedit, ſpecie quidem ipſa eis bonorem tribuens, ſed revera, ut Fiſcum ſuum augeret: quippe quum peregrini pleraque horum vectigalium non penderent.* Et tamen, ut in ſuo Panegyrico ſcripſit Plinius (*a*), *Inveniebantur, quibus tantus amor noſtri nominis ineſſet, ut Romanam Civitatem, non viceſimæ modo, verum etiam adfinitatum damno bene compenſari putarent.* Quid autem poſtrema hæc verba ſibi velint, a nemine, quem vidi, docemur. Ne autem & nos rem ſilentio prætereamus, conjecturam ſaltem aliquam in medium adducemus. Peregrini Civitate donati, nulla agnationis, vel cognationis ratione habita, indiſcriminatim ad viceſimam ſolvendam cogebantur: quare jus affinitatum videbatur amiſſum. Ut autem ab ea immunes forent, neceſſe erat, ut cum Civitate cognationum jura conſequerentur. Hinc laudatus Plinius hæc ſcripſit de viceſima (*b*): *His quoque, quibus per Latium Civitas Romana patuiſſet, idem indulſit; omnibuſque inter ſe cognationum jura commiſit ſimul & pariter, & more naturæ.* Atque huc pertinent ſingularia illa verba Ulpiani apud Collation. Leg. Moſ. & Rom. tit. 16. §. 9. *In hereditatibus, quæ ab inteſtato deferuntur, eas ſolas perſonas voluit admitti, quibus decimæ immunitatem ipſe tibuit.* Sermo hic eſt de Conſtitutionis auctore, cui non ſatis fuit omnibus dare Civitatem Romanam, ut viceſimarum numerum in immenſum augeret, ſed & viceſimæ vectigal in decimam ſubſtituendum placuit; immo ne quis a tanto onere immunis eſſet, cognationum jura, quæ Nerva, & Trajanus conceſſerant, atque ampliaverant, adeo coercuit, ut unos filios exceperit. Ita ſane Imperator hic ſe geſſit: tum enim Civitate quoque verſus in Orbe Romano diffuſa, tum cognationum juribus contrahendis, mirum quantum ærarium locupletaverit.

Ex quo profecto arduum haud erit, quinam ex Antoni-

(a) *Cap.* 37.
(b) *Cap.* 39.

Digitized by Google

ninis auctor fuerit Conſtitutionis, divinare: apage enim ſtultam eorum ſententiam, qui vel Antoninum Pium, vel alterum illum Philoſophum conditorem fecerunt, quando optimos eos Principes, in Cives liberaliſſimos, atque ab omni avaritiæ ſuſpicione alienos venerata eſt antiquitas. Certo quidem certius eam edidit Antoninus Caracalla, qui luxuria, ſævitia, atque avaritia, præter alia vitia improbos fere omnes facile ſuperavit. Sed, quod mirandum eſt, condita hac Conſtitutione, qua immane vectigal imperatum eſt, Juriſperiti tunc temporis, quibus Principum ſolertia & calliditas ſatis erat perſpecta, Magni, Optimique Imperatoris nomen indiderunt. Sic Papinianus *in l. 17. D. de quæſtion. & in l. 8. D. de vacatione munerum* §. *ultim. Trypbon. l. 39. D. de pœnis*, aliique; adeout centeas Principis genio eos reſpondiſſe, atque imperii arcana more ſuo populo obtegere ſtuduiſſe. *Sed ea eſt Principum conditio, ut, ipſis florentibus, res eorum ob metum plerumque falſæ ſint; poſtquam vero occiderint recentibus odiis componantur*. Sed jam de origine, cauſſa, diminutione, atque incremento viceſimæ multa diſſeruimus: videamus modo, quando vectigal hoc deſierit. Sunt ſane, qui putant a Gratiano fuiſſe abrogatum; eſtque hujus opinionis ratio Panegyricus Auſonii huic Imperatori dictus, ubi gratiæ quidem de remiſſione vectigalium aguntur. Sed quum de viceſima ne verbum quidem, aut veſtigium, jure merito cordatiores viri in medio rem relinquunt. Id tantum conjicere licet, paullo ante Juſtinianum vectigal hoc remiſſum, quum in *l. ultima C. de edicto D. Hadriani tollendo* ſcripſerit: *Viceſima hereditatis ex noſtra receſſit Republica*: Quod ſatis eſſe poterit in re tam ancipiti.

§. III.

De abrogata viceſimæ reliquiis in jure Juſtinianeo.

SAtis ſuperque monuimus, eatenus venerandæ antiquitatis monumenta evolvenda, quatenus inde eruantur, quæ noſtræ memoriæ rebus deſerviant. *Quamdiu enim*, Græcorum ille

le ſapientiſſimus dicebat, *patiens fueris, ut addiſcas, quæ tibi nunquam uſui erunt?* Ea propter optimum factu duco, quæ uſque adhuc dicta, atque a vetuſtatis fonte petita, quamvis exoleta, ad juris novi, quod viget, intelligentiam referre. Sane id Triboniani crimen in compilatione juris Juſtinianei fuit maximum, veteris ſcilicet juris oſcitanter plerumque veſtigia reliquiſſe; quæ novis legibus inſita, iiſque ſæpe diſſona omnia miſcent, turbantque. Rebus profecto omnibus id accidit, ut quum a ſuis principiis avulſæ, atque ſejunctæ, aliis, atque aliis aptantur, abſurdæ, diſcordanteſque evadant. Viceſima hæc per totum jus antiquum fuit diffuſa, intentis maxime Juriſperitis, ne quid ex Fiſcalibus commodis excideret. Quare haud facile fuit Triboniano omnes ejus reliquias in jure novo attexendo advertere, atque aufugere. Quum igitur nonnulla quædam, quæ ad viceſimam ſpectabant, ab invito Triboniano in novo jure diſſeminata fuerint, hinc ſexcentarum litium ſeges ſuborta eſt, apud interpretes potiſſimum antiquitatis ignaros, qui errores erroribus cumulando tenebricoſum jus Juſtinianeum, triciſque involutum nobis tandem tradiderunt.

In Codicis titulo *de uſuris rei judicatæ* proſtat lex 1. cum hac epigraphe: *Imp. Antoninus A. Procuratoribus hereditatum. Is, qui bona ſecundum dictam ſententiam proſequitur: eas quoque rationes habiturus eſt, ut qui poſt legitimum tempus placitis non obtemperavit, uſuram centeſimam temporis, quod poſtea fluxerit, ſolvat.* Vulgo hinc interpretes hanc juris regulam confecerunt, quæ in foro maxime invaluit, nempe uſuras rei judicatæ centeſimas eſſe, hoc eſt, duodenas pro centenis. Non hic miror Bartholum, Baldum, Accurſium, alioſque, qui increbeſcente barbarie, ſcripſerunt, ſed ita præter hos ſenſiſſe Gothofredum, qui ita tradit: *Morator judicati faciendi poſt quadrimeſtre tempus præſtat uſuras centeſimas.* Si neminem alium, Gothofredum ſaltem legis inſcriptio monere debebat, quid rei eſſet, de qua ageretur, nempe de viceſimariis exactionibus, quæ Juſtiniani ævo uſu abiverant: neque enim alii ſunt Procuratores hereditatum a viceſimæ exactoribus. Lex igitur quum ad Fiſci debitores ſpectet, e ſingu-

la-

lari ſpecie generale axioma elici non poteſt, maxime vero quum neminem lateat, ingentioribus uſuris urgeri Fiſcales debitores, quando vectigalia ad communem utilitatem comparata nervi ſint rerumpublicarum. Sat ſcio Tribonianum in l. 2. ejuſdem tit. generaliter ſcripſiſſe, moratorem judicati ad uſuras centeſimas teneri. Sed quis mecum non conjuret, hanc ſibi regulam ex eadem lege 1. confixiſſe, ac Juſtinianeo Codici oſcitanter inſeruiſſe? Intelligas hinc, quod & alibi advertimus, quanti ſit veterum Magiſtratuum, eorumque omnium, qui miniſterium aliquod exhibebant, notitia, ut ad intima legitimæ ſcientiæ adita acceſſus pateat. Nos interim alia percurramus.

In *tit. D. de tranſactionibus lex* 13. occurrit ſic: *Æmilius Macer lib.* 1. *ad viceſimam hereditatem*: *Nulli procuratorum Principis, inconſulto Principe, tranſigere licet.* Hæc lex, ceteris ſane dilucidior, mirum quam ineptis laciniis per pragmaticos ex ignorantia viceſimæ fuerit inquinata, atque ad diverſa prorſus contorta. Dixerunt quidem neque Principis, neque cujuſcumque privati procuratori fas eſſe tranſigere ſine ſpeciali mandato, quum procuratori jus non ſit rem minuere, ſed tantum adminiſtrare; quique tranſigit, rem, de qua agitur, minuat. Hæc omnia vera quidem ſunt. Sed exceptio, quam excogitarunt, falſa omnino: ſomniarunt enim poſſe præter ſpeciale mandatum tranſigi, ſi ita fiat, ut res ſoli, ſive immobilis maneat penes Fiſcum, pecunia adverſario data. Utque id adſtruant, exemplum afferunt in Tutore, cui jus eſt etiam ſine Prætoris auctoritate tranſigere, modo res immobilis in ejuſdem minoris dominio maneat, & adverſario pecuniæ quid exolvatur. Abſurda ſane omnia: nam Principis Procuratori, imo & alterius privati tranſigere nequaquam licuit, præter ſpeciale mandatum. Si enim *tranſigere eſt donare*, quum nulla tranſactio ſit, niſi quid detur, vel retineatur; nemini ex procuratoribus, præter Domini voluntatem, dare permiſſum eſt. Sed quid? Stulti prorſus ſunt, qui ex hac lege ad res omnino alienas dilabuntur. Agitur quippe de viceſima, ut ex epigraphe patet, quæque pecuniariter pendebatur. Itaque falſa diſtinctio, quæ cum laudatæ legis verbis

Digitized by Google

bis congruere non potest. Neque minus dissonum est minoris exemplum: nam Tutori major profecto potestas est, quam alteri cuicumque procuratori, quum Tutor res pupilli non valentis agere curans, veluti Dominus existimetur, quod in Procuratore sive Fisci, sive alterius privati secus est.

Præterea in *tit. XV. D. de jure Fisci l.* 31. & 32., hæc habentur: *D. Commodus rescripsit, obsidum bona, sicut captivorum, omnimodo in Fiscum esse cogenda. Sed si accepto usu togæ Romanæ, ut cives Romani semper egerint, Divi Fratres Procuratoribus hereditatum rescripserunt, sine dubitatione jus eorum ab obsidium conditione separatum esse beneficio principali; ideoque idem jus eis servandum esse, quod haberent, si a legitimis civibus Romanis heredes instituti fuissent.* Ad prioris legis intelligentiam hæc adstruit Gothofredus: *Obsidum bona, hoc est, eorum, qui nobis dati sunt, obsides Fisco cedunt: ut & captivorum, ut hic, ideoque de his apud nos testari non possunt.* Neque profecto magnus Cujacius in alia discessit. Scripsit enim apud Romanos bona obsidum Fisco cessisse, quum hi, utpote peregrini minime de bonis suis testari possent. Quæ quidem omnia a vero immane quantum recedunt. Neque vero, quod obsides testari non possent, eorum bona ad Fiscum pertinebant. Profecto Provincialium, ceterorumque omnium, qui jure Quiritum carebant, fortunæ, licet testamentum condere non possent, eos sequebantur, ad quos lege naturæ ab intestato pertinebant. Præclarius sane actum esset, si unquam ad hereditatum Procuratores, quibus Commodus rescripsit, animum advertissent: sed alio fortasse intenti id non viderunt. Nos igitur a vicesimarum exactorum historia germanam interpretationem arcessemus.

Vulgo notum est, non potuisse peregrinum capere ex testamento Civis Romani: qua de re supra diximus ante constitutionem Caracallæ Provinciales, & peregrinos omnes vicesimam nullam dependisse, quum ea illos urgeret, qui bona ex testamento capiebant. Itaque bona, Provinciali, vel peregrino a cive Romano relicta, utpote incapaci, legata, in Fiscum cadebant. Hac luculentissima face præmissa, intelligitur quænam obsidum bona Fisco deferrentur, nequaquam

profecto ſuamet ipſorum, ſed quæ forte ex civis alicujus Romani teſtamento ſibi obvenirent. Verum ſi obſides uſum togæ a Principe impetraſſent, quum ita cives fuerint facti, ideoque heredes inſtitui poſſent, par tunc æquumque erat, ut viceſimam perſolverent, uti ceteri cives. Hoc enim innuunt poſtrema laudatæ legis verba: *Ideoque idem jus eis ſervandum eſſe, quod haberent, ſi a legitimis civibus Romanis heredes inſtituti fuiſſent.* Nempe ut perſolvant viceſimam, ſicuti ceteſi cives ſolvebant. En tandem vera legis hujus expoſitio, itemque prodita ratio, cur hæc procuratoribus hereditatum reſcripta ſit, nempe ut ii ab obſidibus, qui uſum togæ conſequuti fuerant, ſi heredes inſtituerentur, vel quid aliquid ex teſtamento civis Romani caperent, viceſimas excuterent.

Nimis longum eſſet, omnia extantia adhuc in jure novo veſtigia hujus vectigalis perſequi. Quare ſatis ſint, quæ diximus; cetera vero ipſemet advertet lector. Reliquum tamen eſt, ut antequam a viceſimarum argumento diſcedamus, parumper de Conſtitutione illa Juſtiniani *de edicto Divi Hadriani tollendo* ediſſeramus. Statuerat quidem Hadrianus, ne ſolvendis viceſimis, quæ Nervæ, & Trajani conſtitutionibus reductæ ſatis erant, ulla mora necteretur, ſtatim heredem, aperto teſtamento, in poſſeſſionem rerum hereditariarum mittendum; neque per aliquam exceptionem impediendum, modo teſtamentum cancellatum non eſſet, abolitum, aut ex quacumque ſuæ formæ parte vitiatum. Quod ſi quid contra illud, vel falſitatis nomine, vel amentiæ teſtatoris, vel præteritionis filiorum, aliuſve vitii objiceretur, quod tamen ſub oculos ſtatim non caderet, id heredi impedimento non eſſe, quominus in poſſeſſionem, etiamſi appellatio interceſſerit, *ut in l. 7. de appellatione*, mitteretur. Sane Auguſtus etiam, ne viceſimæ mora fieret, juſſerat ſtatim tabulas teſtamenti aperiendas. En Paulli verba IV. *ſentent. tit. 6. §. 3. de viceſima*: *Teſtamentum lex voluit ſtatim poſt mortem teſtatoris aperiri, & ideo quamvis ſit reſcriptis variatum, tamen aperiendæ ſunt tabulæ a præſentibus intra triduum, vel quinque dies, ab abſentibus quoque intra eoſdem dies, quum ſupervenerint. Nec enim oportet teſtamentum heredibus, aut legatariis, aut libertatibus,*

quam

Digitized by Google

quam neceſſario vectigali moram fieri.

Ex quibus omnibus licet advertere, vim teſtamentorum, quam pragmaticorum turba *executivam* appellavit, non aliunde ortam, quam ut citius, atque expeditius viceſima perſolveretur. Sicuti enim Auguſtus poſt triduum, vel quinque dies teſtamentum aperiendum jufſerat, ita & Hadrianus id confirmans voluit præterea, ut ſummota cujuſcumque vitii, quod ſtatim ipſis oculis non occurreret, exceptione, heres in poſſeſſionem mitteretur. Contra vero Juſtinianus quum viceſima ævo ſuo jam receſſiſſet, ſanxit ut teſtamentum heres, quando melius ſibi viſum, aperiret, & in poſſeſſionem rerum hereditariarum mitteretur, modo *in prima figura ſine omni vituperatione appareat, & depoſitionibus teſtium legitimi numeri vallatum ſit*. Itaque exoleta viceſima, retenta eſt *via*, quam vocant, *executiva* teſtamentorum. Sed ſi ea ob promptam viceſimæ ſolutionem in jus civile invecta eſt, cur eadem viceſima abrogata? Ita ſeverus eſt fori uſus, ut filio adhuc præterito, ad ejus intentionem probandam terminus detur ordinarius, miſſo interim herede extraneo in poſſeſſionem bonorum. Nonne hoc iniquitatem ſapit? Conſuetudo profecto iſthæc inducta minime eſſet, ſi rem ab origine ſua, nempe ab hiſtoriæ fonte, repetiſſent, quæ adeo veritatis nuncia eſt, ut eruditæ juriſprudentiæ inſcitia obſit plurimum, & ſæpe abſurda, atque intolerabilia in forum invehat, ut ad faſtidium uſque a nobis inculcatum, probatumque eſt.

CAPUT IX.

Ad legem Papiam de caducis.

§. I.

De actione hereditatis, & quando dies legatorum cedat.

LEx Papia duas in partes diſpeſcitur: altera quidem per præmia, & pœnas id agit, ut Urbs, civili furore prope deſerta, nova prole, hominumque frequentia expleatur; per

alteram vero ærario, publicis ærumnis jam inani, caducis bonis occurritur. Sed quoniam de priori ſupra diſſeruimus, conſulto ſane poſtremam hanc tunc miſſam fecimus, ut eandem hic, ubi de ærario ſermo eſt, tamquam in ſua ſede aptius ea pertractetur. Quemadmodum autem viceſimæ vectigal, abrogatum quamvis, quaque verſus in jure civili inſperſum viſitur; ita profecto & caducariæ legi uſuvenit, ut abs re non ſit quædam antea ad perfectam ejus intelligentiam præfari. Quamvis vectigalia, quæ nervi ſunt Reipublicæ cujuſcumque, gravia vulgo cenſeantur; maxime tamen inviſa ſunt in forma Monarchica, ubi quæ in commune conſuluntur, ad unius commodum excogitata facile creduntur. Propterea Auguſtus ſapientiſſimus Princeps, ut, quantum poſſet, tributorum ſuorum invidiam deliniret, id imperandum ſtatuit, quod vel ex inſperato lucro penderetur, vel ſponte ſua, ſuaque Civium voluntate ſolvi poſſet. Memini id a me & antea dictum, ſed crambem hanc recoctam hic appoſuiſſe juvabit forte, ut quam viam optimi Principes in vectigalibus imponendis tenuerint, ne intolerabilia fiant, viri politici calleant. Itaque ut per viceſimæ inſtitutionem id factum eſt, ut hereditatibus, legatiſve præter ſpem locupletati aliquid in Fiſcum conferrent, ita per caducorum legem effectum ut ultro cives, non ſecus ac cœlibes, penſitare viderentur: quia enim ſi nollent, facile effugiſſent. Ecquis hoc tributorum genus criminaretur, quod refractariorum hominum fortunas in Populi ærarium vertit? Non ne ab iis liberi fuiſſent, ſi vitam ſuam ad legum præcepta formaſſent?

Caducorum igitur vectigal voluntarium eſt, ac proinde tolerabilius. Sed quid Tacitus, inter viros civiles facile princeps? Is enim ſub Tiberio ſcripſit, tributorum onere cives maxime oppreſſos eſſe, exterritoſque: *Quia multitudo periclitantium gliſcebat, quum omnis domus delatorum interpretationibus ſubverteretur, ut, multorum exciſo ſtatu, terror omnibus intentaretur.* Nonne, licet voluntaria, tributa incuſat? Sed ſi temporum, civiumque morum ratio habeatur, perſpecta ſatis nobis erit Taciti ſententia: adeo enim bellis civilibus corrupta fuerat diſciplina, moreſque civium in turpitudinem

omnem

omnem obdurverant, ut quacumque inflicta pœna difficillime a vaga venere, a divortiis, a repudiis, atque adulteriis ſeſe continerent. Hinc ſane factum, ut volentes, nolentes ad id vectigalis cogerentur. Atque adeo tunc temporis mulierum perverſi erant mores, ut vulgo deterritæ nuptias horreſcerent. Neque tamen ii omnes a legis pœna liberi. Lex generaliter definiverat, *ut omnino ſi a privilegiis parentum ceſſaretur, veluti parens omnium populus vacantia teneret.* Quid ſi ineantur nuptiæ, ſed filii, impediente natura, non creentur? Num vir pœna immunis? Ergo nec voluntarium omnium tributum hoc, quando indiſcriminatim perſolvebant, & qui nollent per legitimas nuptias, & qui non poſſent filios progignere. Demum caducaria lex adeo diffuſa erat, effictis ſcilicet, præter caduca, *quaſi caducis, ereptitiis, pro non ſcriptis*, aliiſque nominibus, ut vix quisquis elabi poſſet, quin in legis laqueum incideret. Sane maxima tunc neceſſitas urgebat pecuniæ cogendæ. Quum enim militum delectus ab uſu deſciviſſet, & mercenaria eſſet militia invecta, quæque, efferveſcentibus adhuc, ob recentem libertatis memoriam, Civibus, numquam arma deponeret; una ſtipendii dulcedo, ſpeſque præmiorum milites ad vexilla alliciebat, eoſque Principi periculoſiſſimis temporibus devincire putabatur. Atque hæc ſunt in cauſſa, cur adeo prolata eſſet caducorum ratio, eaque inique, quamvis voluntaria, tulerit Tacitus. Sed jam rem ipſam perſequamur.

Ulpianus (*a*), & Iſidorus (*b*) bona nuncupari caduca ſcripſerunt, quod ab heredibus, & legatariis cadant. Sed mea quidem ſententia ſanius dixiſſent ſic appellata, quia in caſſum excidunt, atque alia de cauſſa non capiuntur, ut eſt caduca glans, oliva, & aqua caduca, quæ ex caſtello, vel fiſtula cadit, de quibus paſſim in jure. Sed videamus caducorum caput, quemadmodum Heineccius concinnavit. *Si quis teſtamento facto ſe decedit, iſque liberos ſuos, parenteſve uſque ad tertium gradum heredes habebit, ſive alios quoſcumque, qui libe-*

(a) *Fragment. tit.* 18. §. 1.
(b) *Etymol. lib.* 5. *cap.* 25.

Digitized by Google

beros habebunt, beredes inſtituet, bi caduca jure antiquo capiunto. Caduca autem hereditates erant, & legata, ſi heredes forte, vel legatarius ante apertas tabulas defeciſſet. Quod ſane ipſum Ulpianus voluit quum ſcripſit (*a*) ita: *Legatorum, quæ pure, vel in diem certum relicta ſunt, dies cedit, antiquo quidem jure, & mortis teſtatoris tempore, per legem autem Papiam Poppæam ex apertis tabulis teſtamenti*. Quapropter ſic inquit Juſtinianus (*b*): *Materiam, atque exordium caducorum lex Papia ab aditionibus, quæ circa defunctorum hereditates procedebant, ſumpſit: & ideo non a morte teſtatoris, ſed ab apertura tabularum dies cedere legatorum S. C. quæ circa legem Papiam introducta ſunt, cenſuerunt, ut quod in medio deficiat, hoc caducum fiat.*

Itaque certi juris eſt, legem noſtram caducorum materiam ab aditionibus hereditatum ex teſtamento accepiſſe, omneſque hereditates, & legata fieri caduca, ſi antequam teſtamenti tabulæ aperirentur, heres, vel legatarius defeciſſet: idque profecto antiquo juri adverſatur, per quod hereditates, & legata ſtatim a die mortis teſtatoris deferebantur. Quod ſi hereditas legitima foret, pluresque eſſent heredes, horum altero deficiente, ejus pars ceteris accreſcebat, nec ſane Fiſcum ſequebatur. Quare juvat hic veſtigare, cur Auguſtus in hereditatibus, quæ ex teſtamento deferuntur, ſuſtulerit jus accreſcendi, vel ſaltem multum minuerit, caducorum materiam induxerit, integris manentibus illis, quæ lege ipſa obveniunt. Nodum profecto hunc nemine, quem ſciam, ne Heineccio quidem, qui præclariſſime in hoc argumento ſe geſſit, ſolvente, videamus nos, an conjecturis locus dari poſſit. Compertum ſatis eſt, quale fuerit Auguſti ingenium in hac nova Reipublicæ forma inſtituenda. Solertiſſimus Princeps, ubi quid novi imperandum, ſpecioſo quodam fuco id illinire, ne ſibi invidia crearetur, curabat: vel enim ſubdola antiquæ libertatis ſpecie utebatur, vel æquitatis cujusdam cauſſam objiciebat. Sic viceſimam hereditatum impo-

(a) *Fragment. XXIII.* 2. 31.
(b) *L. unica Cod. de caducis tollend.*

Digitized by Google

ponens, proximiores, & pauperes excepit, æquum dictitans ut ditiores ceteri ex inſperato lucro partem aliquam in publicam utilitatem conferrent. Haud ſecus profecto ſe res habuit in hac caducorum inſtitutione. Etenim quum acerbum nimis eſſet a legitimis ſucceſſoribus hereditates, ad quas æquitas ipſa vocat, ad Fiſcum referre, ſatius duxit eos a lege caducaria immunes relinquere, quam per ſpem hujus lucelli odium Civium in ſe concitare; quum ex adverſo nulli invidiæ ſubeſſent caduca ex teſtamentis, ex quibus præter ſpem hereditas defertur. Atque id eſt, quod in hac quæſtione conjiciendum putavi.

Quum autem caduca ſit hereditas, & legatum, ſi heres, & legatarius ante apertas tabulas defecerint, cur eadem a caducis excepta, ſi poſt tabulas apertas deficiant? Nonne ei magis, qui hereditatem creverit, accreſcent, quam Fiſco cedent? In hoc quoque altum ſilentium: quapropter ſic mecum ſtatuo. Auguſtus, ne qua mora ſolvendæ viceſimæ injiceretur, id quammaxime volebat, ut teſtamenta cito aperirentur: quod ſane ſolemniter apud Prætorem fiebat, qui coactis ſignatoribus, agnitis ſignis, rupto lino, tabulas aperiri, eaſque recitari curabat. Verum quo ſtudioſius Cives tributorum ſolutionem aufugiunt, eo Principes, per metum majoris lucri amittendi, impenſius ad ea penſitanda urgere debent. Hinc Imperator ſtatuit ut hereditas adiri non poſſet, niſi aperto teſtamento; neque legatorum dies cederet, niſi ab illius apertura; adeo ut omnia Fiſco caderent, ſi ante apertas teſtamenti tabulas, heres, vel legatarius deficerent: ut hoc timore adacti, & heres teſtamentum aperire feſtinaret, &, eo moram faciente legatarius ſaltem inſtaret, ne ante apertas tabulas forte deficiens legatum amitteret. Ecce tibi verba Paulli (a), ex quibus noſtra conjectura lucis plurimum accipit: *Teſtamentum lex ſtatim poſt mortem teſtatoris aperiri voluit: & idcirco quamvis ſit reſcriptis variatum, tamen a præſentibus intra triduum, vel quinque dies aperiendæ ſunt tabulæ, ab abſentibus quoque intra eoſdem dies, quum ſu-*

(a) *Sentent. IV. tit. VI.*

ſupervenerint. Nec enim oportet teſtamentum hæredibus, aut legatariis, aut libertatibus quam neceſſario vectigali moram fieri. Legatariis autem, aut libertatibus moram nullam fieri nihil aliud eſt, niſi ut feſtinetur ad teſtamentum aperiendum, ne legatum, aut libertas caduca fieret. Cur vero cadebant, ſi ante tabulas deficerent? Quia neceſſariuni vectigal, hoc eſt, viceſima non inde ſolvebatur. Perſpicua igitur mea argumentatio eſt, propterea heredes per metum amittendæ hereditatis, ſi forte deficerent, ad aperiendas tabulas coactos, legatarioſque ne legata ſua amitterent, ad inſtandum heredibus, ut confeſtim, & ſine cunctatione viceſimæ Fiſco ſolverentur. Quare quum filius exciperetur a viceſima, ſtatim a morte teſtatoris erat heres; unde per omnium juriſperitorum ora volitat illud filium etiam clauſis tabulis eſſe heredem.

Sed ut redeamus ad ea, quæ ſupra præfati ſumus, quum Imperator Auguſtus ea imponeret tributa, quæ ſponte ſua a civibus perſolverentur, nulla profecto bona caduca fiebant, ſi heredes mortuo teſtatore, ſtatim teſtamentum aperirent, hereditatemque cernerent. Sed hæc omnia meræ nugæ, nam quid ſi intra triduum, vel quinque dies, intra quos teſtamentum aperiri poterat, heres vel legatarius vivere deſiiſſet? Nonne caduca bona, ac Fiſco deferebantur? Nonne apertis etiam tabulis bona vacantia dicebantur, & Fiſco cadebant, ſi heredes ante cretionem defeciſſent. Quod ſi heredum quis hereditatem adiiſſet, tunc non dabatur Fiſco locus, & deficientium portiones coheredi vel collegatario accreſcebant quemadmodum Cajus ſcripſit (a). *Qui ſemel aliqua ex parte heres extitit, deficientium partes etiam invitus excipit, ideſt tacite in deficientium partes etiam invito accreſcunt.* At inquies perraro fieri, ut hereditatis partes ad ærarium deferrentur, quando ad filium reponendum ſatis erat unius ex heredibus cretio, immo paſſim: licet enim apertis tabulis poſſent heredes hereditatem adire, non tamen id ſtatim fiebat ſcilicet ne oneribus hereditariis per feſtinationem imprudenter implicarentur & quamvis tempus ad deliberandum ſexaginta dierum daretur

(a) *L.* 53. §. 1. *D. de acquiren. vel omitten. hered.*

Digitized by Google

tur, non dum lato inventarii beneficio, ne hoc quidem spatium plerumque sat existimabant, quo rebus suis consulerent. Itaque has inter moras usu sæpe veniebat, ut hereditatis partes caderent, antequam heredum alter partem suam crevisset. Atque hoc voluntarium illud est vectigal, quod sive vellent, sive nollent, necesse prope erat civibus ut penderent.

Num vero quæ dicta sunt, locum habent & in herede ex asse instituto? An vero is quoque, non nisi apertis tabulis, heres esse poterit, ita ut, eo deficiente, antequam adeat, hereditas fisco devolvatur potius, quam legitimis? Nodum solvit Paulus (a) ubi scripsit: *Idem dicemus, si ex asse heres institutus non putet se bonorum possessionem petere posse ante apertas tabulas. Quod si nesciat esse tabulas: in facto errat.* Patet igitur hinc in unico herede locum minime habuisse legem caducariam, quum potuisset is etiam, ante apertas tabulas, hereditatem adire. At pugnat hoc cum iis, quæ supra diximus: affirmavimus enim heredem extraneum non potuisse, ante apertas testamenti tabulas, hereditatem adire, ut vicesima citius penderetur, neque ulla in ea fraus fieret: atque adeo eamdem pendere institutus ex asse debet. Cur autem ante apertum testamentum hereditatem adibit? Hinc doctissimus Heineccius scribit, legem Papiam ideo cretionem ante apertas tabulas vetuisse, ut quod ante apertas tabulas deficeret, non accresceret coheredibus, sed ab ærario occuparetur: quod quum in unico herede accidere nequeat, nulla opus erat apertura testamenti ad cernendam hereditatem. Sed hoc est, quod inquirebamus, cur Augusto adlibuerit inter coheredes leges caducarias statuere, ac proinde ante apertas tabulas hereditatem non inire, in unico vero herede minime. Sane, si conjecturis locus dari possit, dicam ex illius subdola arte causam petendam, nempe ne videretur nimium studere testamentis in Fisci gratiam infirmandis: quæ sane suspicio, pluribus institutis heredibus, nulla suberat, quum facile inter eos unus aliquis præsto esset, qui tabulas aperiret, testamentumque tueretur, portiones nempe coheredum, qui forte an-

(a) *L. I. §. ult. D. de jur. & facti ignor.*

tequam adirent, defeciſſent, ſibi acquirendo. Itaque videri voluit non per id, quod facilius, ſed quod perraro accidit, Fiſci commodis conſuluiſſe, ut ita tributi odium quam maxime levaret. Porro quum ſolemnitas illa teſtamenti aperiendi, non niſi ad teſtamentum ſcriptum pertineret, in teſtamento nuncupativo heres, quum ſibi liberet, ſemper hereditatem adire poterat. Sed ſi apertura teſtamenti opus erat, ne fraus in viceſima fieret, cur hoc in teſtamento tantum ſcripto, nequaquam vero in nuncupativo, quum & hinc fraus Fiſco creari poſſet? Vereor ſane, ne tot ego conjecturis lectori ſtomachum moveam, præſertim quum fieri poſſit, ut quod mihi veroſimilius, lectori improbabilius videatur. Sed quæque fuerit rei fortuna, animi mei ſenſus libens expromam. Quum ubique urbis delatores ad Fiſci commoda volitarent, fieri vix poterat, ut heres palam nuncupatus fraudem viceſimæ faceret: quod ſecus erat in teſtamento ſcripto: atque hanc varietatis cauſam fuiſſe opinor. Et quidem habemus in jure legatum, vel fideicommiſſum in Fiſci commodum intercidere, quod tacite relinqueretur incapaci: palam vero relictum, quamvis ſua vi caderet, minime tamen Fiſcum ſequi, quum in ipſa hereditate maneat, ſive apud eum, a quo relictum fuerat; atque hoc propterea quod delatorum induſtriam effugere non poſſet. Haud ſane aliter in cauſa noſtra factum puto, quum in teſtamento nuncupativo vix, aut ne vix quidem Fiſcum fruſtrari heres poſſit.

Sed ſatis quæ dicta ſunt, licet per veroſimiles conjecturas, ad caducariæ legis rationem veſtigandam. Quum autem Auguſtus duo maxime curaret, & ut ærarium expleretur, & Reſpub. civibus viduata prole augeretur, hinc quamquam caduca Fiſco cederent, quoſdam tamen in vitæ conjugalis gratiam excepit, quos Fiſco ipſi præferendos ſtatuit. Ita quippe ſanxit: *Si quis teſtamento facto decedit, iſque liberos ſuos, parentesque, uſque ad tertium gradum, heredes habebit, ſive alios quoſcumque, qui liberos habebunt, heredes inſtituet, ii caduca jure antiquo capiunto.* Quum autem lex liberorum nomine utatur, merito receptum eſt eo vocabulo, non tantum filios, ſed & deſcendentes omnes intelligi tum naturales, tum adoptivos.

Si

Si enim lex Papia duriuſcula eſt, quid mirum, ſi vulgo prudentes, ubi daretur occaſio, benigne eam interpretarentur?

Quid ſi filius eſſet emancipatus? Sane eodem privilegio frui videtur; quum nuptiarum beneficium id ſit, non autem patriæ poteſtatis: vel enim prælatio hæc nuptiarum erat præmium, vel filiorum procreatorum: nihil ergo referebat, filius eſſet ſuus, nec ne. Præter hæc ſi parentes ad tertium uſque gradum, a filiis heredes inſtituti, Fiſco in caducis anteferebantur, licet in filiorum poteſtate non eſſent, nec ipſi filios in poteſtate ſua haberent; plane hinc evincitur beneficium hoc filiorum non a patria poteſtate, ſed ab ipſa parentum qualitate oriri. Quum igitur emancipatio filiationis jura non diſſolvat, prælationis privilegio emancipatus filius carere non debet. Sed contra reſpondit Cajus (*a*) ad legem ipſam Juliam: *Nulla femina aut habet ſuos heredes, aut deſinere habere poteſt, propter capitis deminutionem.* Si enim excidebat filius a prælatione caducorum in hereditate matris, quia in ejus non erat poteſtate, eadem de cauſſa emancipatus filius in hereditate paterna privilegio prælationis deſtituebatur. Cur autem hoc, niſi ex aſſentatorum licentia, nempe ne fiſcus a caducis excideret?

Parentes etiam, ut diximus, Fiſco anteferebantur, ſi heredes a liberis ſuis ſcriberentur, & quidem uſque ad tertium gradum. Itaque ſi quis patri, matri, avo, aviæ, proavo, vel proaviæ inſtituto, inſtitutæque, coheredem dediſſet, hujusque portio caduca fieret, ea adcreſcebat adſcendentibus inſtitutis, iique æque ac liberi Fiſco anteibant. Demum potiebantur eodem beneficio quicumque liberos habentes, ſi forte heredes eſſent inſtituti: deficiente enim coheredie, vel collegatario horum pars conſortem ſequebatur. Quum autem maximum eſſet hoc beneficium, uſus invaluit, ut jus filiorum, ſi forte non eſſent, a Principe impetraretur. Qua in re egregium mihi Celſi reſponſum explicandi datur occaſio (*b*). Ait is: *Neratius conſultus, an quod beneficium dare ſe quaſi*

(a) *l.* 13. *D. de ſuis & legitimis hered.*
(b) *L.* 152. *de regulis juris*

Digitized by Google

viventi Cæsar rescripserat, jam defuncto dedisse existimaretur. Respondit, non videri sibi Principem, quod ei, quem vivere existimabat, concessisset, defuncto concessisse: quem tamen modum esse beneficii sui vellet, ipsius æstimationem esse. Mirum quantum locus hic, salebrosissimus quidem, Doctorum torserit ingenia. Sed quidquid ceteri scripserint, unus præ omnibus nodum solvit feliciſſime Heineccius vir clariſſimus, qui ita speciem fingit (*a*). Titius aditurus opimam hereditatem, videbat eam pro dimidia occupatum iri a Fisco, quum is esset orbus: petiit proinde, exoravitque sane jus liberorum a Principe, Trajano scilicet, quo imperante Neratius vixit, quique indulgentissimus profecto Princeps erat. Porrectis igitur Principi precibus, hereditatem adiit, qua vix adita vita defungitur. Eo tandem mortuo, quæstio hinc prodiit, an beneficium id & mortuo datum censeretur, ita ut pars caduca, quam Titius si viveret, jure antiquo cepisset, ad ejus heredes transmissa esset, an vero ab ærario vindicaretur. Sed quum id negotii ex ipsius Principis explicandum foret voluntate, an nempe privilegium, quod viventi se dare putabat, & mortuo prodesse vellet, recte respondit Neratius, *Ipsius nempe Principis æstimationem esse, quem modum esse vellet beneficii sui.* En patefactum responsum hoc obscurissimum, quod sane præter legis expositæ historiam, in lucem prodire non potuisset.

§. II.

De his, quæ pro non scriptis habentur, quæque sunt in causa caduci.

HAud mirum est Augustum tot bonorum species, eorumque divisiones in successionibus excogitasse, quum eo consilio omnia hæc conquisita sint, ut ærarium suum ditesceret: vix enim fieri poterat, ut in tanta rerum distributione nulla pars in Fiscum caderet. Id igitur est, quod

(a) *Ad L. Juliam, & Pap. lib. 3. cap. 3.*

Digitized by Google

quod nunc explicandum aggredior. Primum legis caput sic se habet: *Quæ ab initio deficiunt, vel in quibus testator postea mutaverit voluntatem, ea pro non scriptis habentur, eaque ii, a quibus relicta sunt, jure antiquo capiunto.* Itaque pro non scriptis ea sunt, quæ ab initio non consistunt. Hæc autem quamplurima sunt, scilicet legata, quæ sibi ipsi quis adscripserit, vel ei, quem habet in potestate; institutiones captatoriæ, legata adeo obscura, atque implicata, ut quid senserit testator intelligi prorsus nequeat; legata item, vel coheredis institutio in eum, qui tempore conditi testamenti e vita discesserit; demum legata omnia, in quibus testator voluntatem mutaverit, vel ab uno in alium transtulerit, vel rem ipsam legatam peremerit. Cuncta hæc, & similia erant pro non scriptis, quæ quidem haud ærario deferebantur, sed heredi ipsi hærebant, quia, ut scripsit Julianus (a), *proinde haberentur, ac si inserta testamento non fuissent.* Itaque par æquumque existimatum, ut heredi cederent, neque hereditatem minuerent. Quare de istiusmodi legatis scribens Plinius sic inquit lib. 11. epist. 16.: *Præsertim quum delatori locus non sit. Nam si verendum esset, ne quod ego dedissem, Populus eriperet, cunctatior forte, & cautior esse deberem. Quum vero liceat heredi donare quod in hereditate subsedit, nihil est, quod obstet illi meæ legi, cui publicæ leges non repugnant.*

Sed ad ea descendamus, quæ erant in *caussa caduci*, seu dicere mavis *quasi caduca*. Sunt hæc relicta omnia, quæ vivo testatore, post conditum ejus testamentum deficiunt, de quibus sic lex nostra: *Si quicumque hominum hæres, legatariusque, vivo testatore, post testamentum conditum decedat, conditioque deficiat, relictum in caussa caduci esto, & Populo quasi caducum defertor.* Lex ait. *Si quicumque homo*, ut doceamur legibus his caducariis non tantum viros, sed & feminas teneri. Quum enim in legibus pœnalibus mulierum sexus, utpote imbecillior, mitius puniatur, facile quis suspicari poterat, legi nostræ viros unos debere. Unde sane scriptum legimus illud Caji (b): *Hominis appellatione tam femi-*

(a) *L. 1. de his quæ pro scriptis.*
(b) *L. 152. D. de verborum significa.*

Digitized by Google

minam, quam masculum contineri non dubitatur. Quod responsum risu dignum videretur, nisi ex ejus epigraphe legis Juliæ, & Papiæ admoneremur.

Quando autem omnes lex hæc complectitur, num & Augustos, Augustasque? Sane de Principe insignem locum habemus apud Ulpianum (a): *Princeps legibus solutus est*. Quod quidem, quum ad legem nostram scriptum sit, exploratissimum est eum de capitibus caducariis intellexisse. Sed ut res clarius illustretur, memoria recolendum recenti adhuc Monarchia id Principes curasse maxime, ut, quamvis essent a legibus civilibus liberi, ne tamen viderentur tales, atque odium Civium subirent, Senatus sibi præberet immunitatem. Factum igitur Senatusconsultum fuit, ut eodem, quo ceteri, Principes jure tenerentur. Sed additum in eisdem legibus: *Ne D. Augustus, Tiberiusque, aut Claudius tenerentur, iis legibus, & successores soluti essent*: ut scriptum reliquit Dio lib. 58. Sed abs re non erit exponere, quid voluit dictum Ulpianus scribens: *Princeps legibus solutus est. Augusta autem, licet legibus soluta non est: Principes tamen eadem illi privilegia tribuunt, quæ & ipsi habent*. Nascente quidem Monarchia vidimus a Senatu Principes immunitate donatos: maxime vero in Augustas id factum credimus, ut de Livia a Dione Cassio memoriæ proditum est: atque hoc ut genti pristinæ libertatis cupidæ fucus fieret. Sed invalescente deinde Principatu, minime id a Senatu petendum existimatum est, quum Princeps ipse, cui Populus omne jus suum lege Regia detulerat, privilegia, quæ ipse haberet, per se Augustæ impertiri posset.

Sed operæ pretium est videre, quod nam fuerit privilegium hoc Principis, vel Augustæ in bonis quasi caducis. Sane quidem id non fuit, si Augusta diem suum ante testatoris mortem obiisset. Nam quis putet hereditatem, vel legatum, nondum sibi delatum, ad heredes suos eam transmisisse? Dicamus potius, si mortuo testatore ante apertas tabulas coheres, vel collegatarius decessisset, ejus portionem non Fisco, sed Prin-

(a) *L. 31. de legib. S. C.*

Digitized by Google

Principi, vel Augustæ accrescere, quod quidem adhuc dicitur quasi caducum. Quid vero Junius Mauricianus? Hic enim in l. 57. *D. de legatis* 2. sic tradidit: *Si Augustæ legaveris, & ea inter homines esse desierit, deficit quod ei relictum est; sicuti D. Hadrianus in Plotinæ, & proxime Imper. Antoninus in Faustinæ Augustæ persona constituit, quum ea ante inter homines esse desiit, quam testator decederet.* Hoc sane responsum quamvis eleganter satis Heineccius interpretatus sit, juvabit tamen, ut res ex caussis suis depromatur, quædam & nos adjicere. Jam ante monuimus per se Augustam non fuisse legibus caducariis solutam, nisi quod cum ea Princeps privilegium suum communicasset. Communicato autem hoc jure, si qui forte coheredes, vel collegatarii Augustæ essent, per hanc societatem & ii eodem privilegio sese potiri posse existimabant. Sic collegatarii Faustinæ, & Plotinæ se legibus caducariis, tamquam illarum socios, quæ immunes erant, solutos jactabant. Contra vero Fiscus, quum Augustæ ante testatoris mortem decessissent, quod iis relictum erat, occupavit, Augustæ privilegium earum collegatariis denegans. Quid si vixissent? Ne eadem quidem immunitate Augustali collegatarii uti potuissent. Quum enim privilegium hoc sit singulare, atque ad unas Augustas pertinens, cum aliis profecto communicari non poterat. Sed ut ad rem redeamus, legatario vivo, testatore decedente, vel conditione deficiente, legatum quasi caducum fiebat. Quid vero si legatarius incapax factus esset? Num caducum legatum, non secus ac si defeciisset? Hac adhibita distinctione, Ulpianus censuit rem transigendam (a): Vel in poenam servitutis incidit, & legatum extinguitur, quum æque ac mortuus censeatur; vel deportatus est, & secus judicandum, quum hic magis pendeat conditio quando spes est restitutionis, quam deficiat. Hæc quamvis plana sint, nolim tamen insigne Junii Mauritiani responsum omittere, quod ex dictis tantum poterit prorsus intelligi. Sic enim is (b). *Licet testatori repetere legatum ususfructus, ut etiam post*

ca-

(a) *L. intercidit* 58. *D. de conditionibus.*
(b) *L.* 23. *D. de usu, & usufr. legato*

Digitized by Google

capitis diminutionem deberetur. Et hoc nuper Imper. Antoninus ad libellum reſcripſit, tunc tantum eſſe huic Conſtitutioni locum, quum in annos ſingulos relegaretur. Sane legatum rei relictum, quoad vixerit legatarius, non unum legatum eſt, ſed tot legata, quot vitæ ejus anni ſunt, nec ſecus eſt in uſusfructus legato. Quum igitur in hac ſpecie tot ſint legata, quot anni, ſane videbatur non peremptum legatum, ſi forte legatario capite deminuto reſtituta eſſet libertas. Sed hoc tantum tacite fieri poterat, legando nempe uſumfructum, quoad legatarius viveret, quum ita videretur legatum ex ſui natura reviviſcere, minime vero expreſſa teſtatoris voluntate quam legibus fraudem facere Principes non ſinebant. Itaque excidebat omnino legatum uſusfructus, ſi expreſſe teſtator adjeciſſet, repetitum intelligi, capitis minutione ademta.

Satis ſuperque de bonis non ſcriptis, & quaſi caducis ediſſeruimus. Reliquum eſt ut diſquiramus, cur Princeps noſter bona non ſcripta Fiſco abnegaverit, & venientibus potius ab inteſtato, vel coheredi ſcripto ſine onere dederit. Sic, ſcripto herede, qui teſtamenti tempore incapax erat, inſtitutio pro non ſcripta dicitur, & proximo cuique hereditas defertur: item relicto legato ei, qui capere non poterat, apud heredem id manebat, & ſine onere. Contra vero ſi coheres, vel legatarius incapaces poſt teſtamentum facti fuiſſent, ærario pars deficiens, ut legatum, deferebatur. Quid hæ nugæ in Principe ſolertiſſimo, qui omnia conquirebat, ut rebus ſuis per tranſverſos cuniculos conſuleret? Ego quidem diu hujus rei rationem apud doctiſſimos quoſque interpretes quæſivi; neminem tamen vidi, qui ſibi difficultatem hanc, & quidem impeditiſſimam oppoſuerit. Sed ne & ipſe in idem incidam vitium, conjecturam qualem potero in medium ponere, quam alte ſilere, ſatius duxi. In comperto quidem apud omnes eſt, Auguſtum id præcipue curaſſe, ne legibus videretur adverſari, quippe qui tantum precario jure Imperium tenere, nempe quoad Populo adluberet, ſimulabat. Porro ſi non ſcripta caderent ad Fiſcum, directe profecto legitimæ ſucceſſiones viderentur everti, quum quæ haberentur tamquam teſtamentis non inſerta, proximiores ſequi deberent, vel heredem ſcriptum. Verum res non ita ſeſe habebat, ſi tempore teſta-

men-

Digitized by Google

menti, jus heredi, vel legatario capiendi fuiſſet: nam hic color quidam quæſitus erat, quod non legitimo heredi, ſed heredi ſcripto incapaci bona auferrentur, nec propterea ærarium diteſcere in proximiorum perniciem, ſed ex facto potius ipſius teſtatoris, qui legitimas hereditates teſtando evertebat. Itaque quum tempore teſtamenti legatum, vel coheredis inſtitutio ſtaret, poſtea autem id fieret irritum; hoc erat veluti ex aliquo inopinato caſu, unde heredes legitimi, vel teſtamentarii capere ſperaſſent, quum ab initio jus eorumdem jam cecidiſſet. Specioſe igitur efferebat grave non futurum, ſe heredibus legitimis, vel teſtamentariis lucrum illud auferre, quod ex mero eventu, & fortuna penderet, ſi ſcilicet non reſtitueret jus, quod tandem iisdem fuerat ablatum per teſtamentum. Sed hæc, quæ diximus, difficultate non carent, quum teſtamentum non niſi mortuo teſtatore, & adita hereditate vires ſuas exerat. Præter hanc, quæcunque ea ſit, conjecturam, nil aliud habeo, quod viris doctis aliqua ratione probari poſſit. Sed porro progrediamur.

§. III.

De caducis, ereptitiis, & vacantibus bonis.

DIximus de bonis non ſcriptis, & quaſi caducis; reliquum eſt demum, ut de bonis, quæ proprie caduca audiunt, deque vacantibus, & ereptitiis diſſeramus. De caducis caput ita concinnavit Heineccius: *Si heres pro parte, legatariuſve, quibus pure, vel in certum diem hereditas, legatumve relictum erit, poſt mortem teſtatoris, ante apertas tabulas teſtamenti decedet, vel pereger fiet, ea hereditatis pars, legatumve caduca ſunto, populoque deferuntor. Sive cœlibi, vel alteri cuivis plus, quam ex H. L. licebit, relictum erit, & id caducum eſto, populoque vindicator. Sive heres, legatariuſve poſt mortem teſtatoris ante eventum conditionis deficiat, hereditas, legatumve caduca ſunto Populoque deferunta.*

Quæ igitur poſt mortem teſtatoris, ante apertas tabulas deficiebant, caduca erant, dicebanturque. Hinc ſi heres pro

Digitized by Google

parte poſt teſtatoris mortem deficeret, vel incapax fieret, aut conditio, ſub qua ſcriptus erat, evanuiſſet, pars hæc caduca erat, neque coheredi, neque venienti ab inteſtato accreſcebat, ſed Fiſco deferebatur. Pro parte inquam heres: nam ſi eſſet ex aſſe, iſque vel tempore teſtamenti incapax, vel poſt teſtamentum, aut poſt teſtatoris mortem, ante apertas tamen tabulas, defeciſſet, hereditas non ærario, ſed legitimis acquirebatur, quod & ſupra diximus. Verum hic diſquirendi locus, cur id in herede ex aſſe, minime vero in herede ex parte. Ego ſane, quod in hiſce legibus caducariis dificillimum, curavi, ut earumdem rationem pro virili rimarer. An vero voti compos factus ſim, lectoris erit judicium: conatus certe ſum. Tametſi qui ex propoſito eas exponendas ſuſceperunt, quos inter eruditiſſimus Heineccius, politicas omnino cauſſas omiſerunt. Age igitur, atque ex arcana Reipub. gerendæ arte nonnulla ad conjecturas noſtras firmandas deſumamus. Princeps ille ſolertiſſimus quum in omnibus ſe legum cuſtodem, in ſpeciem ſaltem præferret, id maxime curabat, ne vel tranſverſum unguem a ſucceſſionum tum legitimarum, tum teſtamentariarum legibus videretur recedere. Jam vero jure caducario in herede tantum pro parte, minime autem in illo ex aſſe locum tenente, res ſalva erat. Etenim quum, deficiente herede ex aſſe, res ad legitimos heredes rediret, legitimarum ſucceſſionum juri nihil profecto derogatum: at vero heredis parte coheredi non accreſcente, teſtamentorum jus haud evertebatur, quum per coheredis aditionem integrum maneret. Itaque ea addicta Fiſco, videbatur veluti adventitium quoddam lucrum, ex quo coheres in Fiſci gratiam excideret. En fucum tanto oneri quæſitum: nam licet in ſpeciem videretur incolume teſtamentum, re tamen vera interturbabatur maxime: nam qui plures ſcribit heredes, vel legatarios de eadem re, id ſane vult, ut deficiente altero, alter in univerſum ſuccedat: omnium enim fermone tritum: *Jus accreſcendi ex ipſa teſtatoris voluntate prodire*. En traditam rationem, cur leges caducariæ in herede ex aſſe locum non haberent.

Dixi illud fuiſſe caducum, quod poſt mortem teſtatoris ante

ante apertas teſtamenti tabulas deficeret: ſed quum hoc luce indigeat, par eſt ut parumper in eo immoremur. Id ſane ſtuduit potiſſimum Auguſtus, ut hereditates teſtamentarias, quantum poſſet, & legata excerperet. Hinc jus accreſcendi ſuſtulit, novumque jus condidit, quo hereditates nonniſi apertis tabulis adirentur, nec legatorum dies cederet, niſi poſt earumdem aperturam. Et quidem quum legatorum caducitati non minus jus accreſcendi, quam alterum illud ad heredes tranſmittendi obſtet, quid mirum, ſi, ſublato accreſcendi jure, jus etiam transmittendi intra arctiſſimos cancellos coarctaverit? Id enim eſt non cedere legatorum diem, niſi tabulis apertis, nempe ut ita difficilius, rariuſque poſſet legatarius legatum adquirere, adquiſitumve ad heredes transmittere: quod enim adquiſitum non eſt, ad alium transmitti non poterit. Quo poſito, quem latet quot ſæpe ſuborirentur impedimenta, quominus tabulæ aperirentur? Quum igitur tanti intereſſet tabulas aperiri, quanti caducam hereditatem, legatumve non fieri, nil mirum, ſi cum tanto apparatu veteres ad hunc titulum de tabulis aperiendis ſcripſerint, totque quæſtiones agitarint, quæ vetuſtatis ignaris riſu quidem perdignæ videbuntur. Jam tamdem intelligo, penitiuſque pernoſco religioſiſſimum illud Ulpiani reſponſum (a): *Si ſua natura tabulæ patefactæ ſunt, apertum videri teſtamentum non dubitatur: non enim quæremus, a quo aperiantur. Si tabulæ non compareant, quia perditæ ſint, vel exuſtæ, futurum eſt ut ſubveniri legatariis debeat. Idem eſt ſi ſuppreſſæ, vel occultatæ ſint.* Memoria recolenda quæ ſupra diximus de tabulis aperiendis, ſic enim ſtatim totum Ulpiani reſponſum palam erit nempe teſtamentum ſcriptum, non vero nuncupativum aperiendum fuiſſe, quum heres noncupatus ſtatim mortuo teſtatore, hereditatem adire poſſet, atque ita dies legati ab ipſo mortis tempore cederet. Quid enim neceſſe erat teſtamentum illud aperire, quod utpote nuncupatum, ſua natura apertum erat? Hinc idem Jureconſultus (b) ſcripſit: *Si quis fecerit teſtamentum,*

(a) *L. ſi in duobus D. quemadmodum teſtam. aperiam.*
(b) *L. 12. D. eodem.*

Digitized by Google

tum, & exemplum, exemplo ejus quidem aperto, nondum apertum eſt teſtamentum, quod ſi authenticum patefactum eſt, totum apertum eſt. Quum igitur legatorum adeptio tota penderet ab apertura tabularum, perſpicue proditur ratio, cur tabulis exuſtis, vel deperditis, ſcripſerit Ulpianus noſter æquitate duce, legatatio alio modo conſulendum.

Diximus Fiſcum in coheredis, vel legatarii deficientis locum ſucceſſiſſe. Num vero quemadmodum in omne jus deficientium ſuccedebat, ita etiam eorum incomoda ſubibat? Dilucidius ſane quæſtio ſolvetur, expoſita lege *mortuo bove D. de legatis* 2. quæ ſic habet: *Mortuo bove, qui legatus eſt, neque corium, neque caro debetur.* Reſponſum hoc Pauli eſt ad *legem Juliam & Papiam*, quod quidem ridendum, niſi a cauſis ſuis repetatur. Quid enim ad legem noſtram; *Mortuo bove, qui legatus eſt, neque corium, neque caro debetur?* Sane quum Fiſcus in omne jus legatarii ſuccederet, nempe ad commoda, & incomoda; ita eum in locum legatarii ſubſtitui tradiderunt Jurisperiti, ut quidquid legatarius adquireret, ſi vixiſſet, idem & Fiſco petendi jus eſſet. Itaque quum aliquando, perempta re legata, legatarius quod ex ea ſupereſſet, conſequeretur, idem pariter & Fiſcus ei ſubrogatus habere poterat. Quo poſito, quæſitum, an bove mortuo, caro, & corium Fiſco deberetur. Et Paullus negans reſpondit, quum principali extincto ne acceſſorium quidem deberetur, quod eſt caro, & corium interempto bove, qui fuerat legatus. Hoc autem intellige, ſi antequam dies legati cederet, res legata ſine heredis culpa perimeretur: legato enim poſtquam dies cederet, ac proinde poſt dominii adeptionem pereunte, quod reliquum eſt, legatarium ipſum ſequitur: quia quod ex re mea ſupereſt, meum eſt. Sed quum inſequens §. majori obſcuritate laboret, par eſt ut ad lucem ſuam & is revocetur, nempe ut lex noſtra clarius pateſcat. Subdit Juriſconſultus: *Si Titio teſſera frumentaria legata ſit, & is deceſſerit, quidam putant extingui legatum: ſed hoc non eſt verum; nam cui teſſera, vel militia legatur, æſtimatio videtur legata.* Bartholus rem ſic brevi expedivit: *Legatum, cujus æſtimatio debetur, ita ad heredem traſmittitur, ſicut quan-*

Digitized by Google

quando res legata debetur. Quamvis autem effatum hoc verum esse possit, non tamen ad rem est appositum: satis enim epigraphe monet ad legem nostram id omne spectare. Verum quid ad legem Juliam, & Papiam disquisitio hæc? Num æstimatio legatario, ejusque heredi debetur, si res ipsa legata non valeat? Nimirum quum locum legatarii subiret Fiscus, eodemque modo, eo deficiente, hic succederet, quo heres, vel collegatarius; maxime intererat pernosse, an æstimatio legatario, si in vivis adhuc esset, deberetur, quum forte res ipsa legata ad eum non pertineret. Videamus autem quid sit legatum hoc tesseræ frumentariæ, quidque eo deficiente cadat in Fiscum. Tesseræ frumentariæ symbola quædam erant ex Principis liberalitate profecta, atque in vulgus jacta, quæ quantum frumenti ei, cujus in manum veniissent, præstandum esset, præferret. Non ipsa tamen tessera legari poterat: beneficium enim Principis, uti illa erat, quum sit personale, alteri cedi, legarive nequit. Sed si forte legaretur, pecunia ad eam emendam legata intelligebatur, unde profecto legatarius æstimationem consequebatur. Ex quo fit, ut quum is capere eam non posset, Fiscus, qui locum ejusdem subibat, cuique jus erat id ipsum habendi, quod legatarius, si vixisset, habuisset, in æstimationem illam succederet. En tibi responsum Pauli undique patefactum, re ab origine sua repetita. Præter hæc addit Paullus in §. 3. heredem jussum fundum dare, cujus commercium is non habeat, in ejusdem æstimationem obligatum esse. Quod etiam ad Fisci commodum redit, si ab hoc legato legatarius cadat. Quæ omnia huc recidunt, nempe ut doceamur, commoda omnia, & incommoda legatarii deficientis Fiscum subire.

Quæ huc usque de caducis diximus, illam caducorum speciem spectant, quæ herede, vel legatario ante apertas tabulas, vel antequam conditio impleretur, moriente, vel conditione eadem non confirmata, deficerent: reliquum modo est, ut pauca saltem de iis loquamur, a quibus & cœlebs cadebat. Cœlebs quidem solidum ex testamento alieno minime capere poterat; & orbus non nisi semissem. Verum facillime pœnam hanc effugere poterant, si intra centum dies ab a-

per-

Digitized by Google

pertis tabulis, legi paruiſſent. Hinc ſolebant ſæpe heredes inſtitui, modo mortuo teſtatore uxorem acciperent, liberoſque haberent. Quod ſane paſſim in jure occurrit. Immo ut teſtatores legatariis ſuis magis caverent, formulas quaſdam excogitarunt Juriſconſulti, quibus adigerentur heredes ad iis amplius dandum, quanto minus per legem capi liceret. En præclarum hac de re reſponſum Ulpiani, quod miſere a Triboniano ad Falcidiam detractum (*a*): *Si in teſtamento ita ſcriptum ſit, heres meus Lucio Titio decem dare damnas eſto: & quanto quidem minus per legem* (dele *falcidiam a* Triboniano intruſam) *capere poterit, tanto amplius ei dare damnas eſto, ſententiæ teſtatoris ſtandum eſt.* Huc autem redit reſponſum hoc. Quidam quantum vellet, cœlibi, vel orbo relicturus, ne legatarius relicto deſtitueretur, adjecit, ut quantum Fiſcus per legem noſtram auferret, tantum heres eidem rependeret. Quæſtio hinc enata, an caduco a Fiſco erepto, heres ad tantumdem teneretur, & rurſus an Fiſcus id idem quod ſuppletum, ſibi repeteret. Ajebant ſane quidam in Fiſci gratiam. Sed contra reſpondit Ulpianus, voluntati teſtatoris ſtandum. Neque enim quis duplici pœna puniendus: nec ſtatuta pœna Fiſcus contentus, fortunas civium debet inhiare. Poterat etiam impune cœlibi legari, ſi tantumdem & is heredi daret. Quum enim hic nihil lucri legatario eſſet, nullus Fiſco locus profecto dabatur. Sed non ne legatum hoc nullum, utpote utilitate omni carens? Minime vero, reſpondit ad legem noſtram Terentius Clemens (*b*): *Immo uberrimum* (ait) *videtur eſſe legatum: nam alias intereſt legatarii fundum potius habere, quam centum: ſæpe enim confines fundos etiam ſupra juſtam æſtimationem intereſt noſtra acquirere.* Hæc ad caducorum intelligentiam ſatis: videamus modo vacantia, & ereptitia, quibus etiam ærarium mire auctabatur.

Bona ereptitia ſunt, quæ ab herede, vel legatariis, tamquam indignis, eripiuntur; atque hæc Fiſco adquirebantur, ſi a quibuſdam perſonis diſceſſeris, in quarum commodum eadem

(a) *L.* 64. *D. ad l. Falcid.*
(b) *L. ſi cui fundus* 54. *de legat.* 2.

Digitized by Google

dem cederent. Hæc autem in duplici differentia ſunt: alia enim ab herede, vel legatario auferuntur ob contemptam teſtatoris voluntatem; alia vero ob delictum, quæ omnia quum palam omnibus, ſupervacaneum eſt in iis immorari. Quæ autem fuerint bona vacantia, ſatis ex lege noſtra intelligimus. *Si ante aditam hereditatem, agnitumque legatum per damnationem, ſinendi modo, vel per præceptionem relictum, heres, legatariuſve jus ſuum omittat, repudietve; hereditas, legatumve, ceu bona vacantia Populo vindicantor, neque heredibus deferuntor.* Itaque ſi ante apertas tabulas heres, vel legatarius deceſſiſſet, quæ bona teſtamento ad eos pertinuiſſent, caduca appellabantur. Sin vero ante aditam hereditatem, legatumve agnitum, vacantia. Sane hereditas non adita nec etiam tranſmittitur; ſi enim ubi nullum jus, ibi nulla tranſmiſſio eſt, heres quum ante aditionem nihil adquiſiverit, quid eſt quod ad alios tranſmittere poſſit? Secus vero eſt in filio ſub patria poteſtate exiſtente: quum enim hic ipſo jure, mortuo patre, heres ſit, nulla aditione opus eſt, qua hereditatem adquirat. Hinc in toto corpore juris vulgatiſſimum illud: *In ſuis heredibus aditio non eſt neceſſaria, quia ſtatim ipſo jure heredes ſunt.*

Igitur, ut ad rem redeam, vacantia bona illa erant, quæ, deficiente herede, ante aditam hereditatem, vel legatario ante legatum agnitum, Fiſco cadebant. Sed vacantia exiſtimabantur, ſi poſt mortem teſtatoris conditio, ſub qua legatum erat, defeciſſet. Hinc advertas velim cur in jure Romano, maxime vero in titulo *de conditionibus, & demonſtrationibus*, tam acriter diſputatum, num legatum, vel inſtitutio ſit conditionalis, & conditio uni adjecta in altero repetita cenſeatur. Et quidem factum hoc ad ærarii potiſſimum commodum, nempe ut legata, hereditateſque facilius intercideren, quum ſtante conditione ſæpe multa acciderent, quibus heres, legatariuſve vel deficeret, vel incapax fieret. Qua de re commoda nunc mihi paratur differendi occaſio, cur ad legatum adquirendum neceſſe fuerit ejuſdem agnitio. Nolim autem id intelligas de legato per vindicationem conceſſo: hoc enim ſi purum eſſet, ſtatim dies ab apertis tabulis cedebat. Quapropter

pter acquisita jam re legata, ad ipsius legatarii heredem actio eam consequendi transmittebatur. Sed non ita res se habebat ceteris in legatis, quod ut clarius pateat, res est ab origine sua arcessenda.

Lex duodecim tabularum quamvis amplissimam patri cuique familias potestatem legandi dedisset; attamen si testator rei dominium quiritarium non haberet, disponendi potestate excidebat: sic enim lex edixerat: *Pater familias uti legassit super familiæ, pecuniæ, tutelæve suæ rei ita jus esto.* Ut autem res etiam eas, quæ vel nulla ratione in suo dominio, vel tantum in bonis, sive in dominio bonitatio erant, legare posset, quasdam legatorum peculiares formulas ex ingenio suo Jurisconsulti excogitarunt, quæ usu diuturno adeo religiose invaluerunt, ut, si testator vel minimum aberasset, legatum corrueret. Atque hæ sunt formulæ illæ legatorum omnibus quidem pernotæ, nempe per damnationem, sinendi modum, ac per præceptionem. Itaque per damnationem res etiam aliena legabatur, scilicet ut heres cogeretur eam a domino emere, vel ejusdem pretium nolente domino rem vendere legatario persolvere. Erant quippe hæc omnia Augusti ævo usu recepta. Sed jurisperiti, qui undique rationes conquirebant, quibus ærarium ditescceret, legata hujusmodi quamvis pure relicta, tacitæ tamen conditioni subjiciebant, ut ita spes Fisco esset etiam apertis tabulis ea tamquam vacantia occupandi, si forte tacita conditio illiusmodi deficeret. Sic igitur rem ex ingenio suo adstruxerunt. Legato per damnationem relicto, legatarius actionem tantum personalem in heredem habet: quum vero actionem hanc non ante oriri affirmarent, quam legatarius declararet, se legatum agnoscere; nulla proinde agnitione facta, nulla actio exsurgebat, quæ ad heredes posset transmitti. Deficiente igitur ante legati agnitionem legatario, illud veluti vacans Fisco cedebat. Ex hoc sane lucem maximam feneratur illud Paulli affirmantis (a) *post diem legati cedentem, actio quæ inchoata non*

(a) *Lib. 3. recep. sentent. tit. 6. §. 3.*

Digitized by Google

non est, ad hæredem non transmittitur. Idem fatum erat legati sinendi modo relicti, quum utrique, heredi nempe, & legatario factum injungatur, illi ut sinat, huic ut sumat: & quidem deficiente legatario, legatum corruebat. Etenim quum factum personale esset, adeo hoc personæ cohærere censebatur, ut ab ejus herede exerceri non posset. Demum quum præceptionis legatum coheredi relinqueretur, ab ipsa hereditatis aditione pendebat: quare hereditate non adita, legati dies cessisse non videbatur. Quid de legato per optionem? Licet & hoc per vindicationem relinqui posset, conditionem adhuc in eo intellexerunt, nempe si legatarius ipse optasset. Ex his vide, quanta fuerit Jurisconsultis cura, ut Fiscus modis omnibus adaugeretur. Nam his subtilitatibus invectis, multifariam legatarius deficere videbatur: sæpe enim alibi degens legatum ignorabat; plerumque ei potestas cum herede agendi non erat: atque ita legato non agnito, tamquam vacans Fisco cedebat.

§. IV. & ULTIMUS.

De jure accrescendi, transmittendi, & de tacitis fideicommissis.

PLuribus caducorum speciebus ad ærarii opulentiam effictis, non modo ea agi opus erat, quæ ad illos facerent, sed ea etiam intercidere, quæ iisdem adversabantur. Tale profecto erat jus accrescendi, transmittendique hereditatem, legatumve: quo sane nihil legibus caducariis infestius. Itaque ne Fiscus dulci caduco destitueretur, sic Augustus sanxit, ut concinnator Heineccius docet: *Ante apertas tabulas, aditamque hereditatem, inter conjunctos heredes, legatariosque jus accrescendi in iis, quæ caduca, vel in caussa caduci sunt, excepto usufructu legato, ne esto?* Lex sane duodecim tabularum jusserat: *Si intestatus moriatur, cui suus heres nec escit, agnatus proximus familiam habeto*. Quibus ex verbis prudentes collegerunt, nullum prorsus legitimæ successioni locum fore, si quis testamentum condidisset: adversatur enim legitimo succes-

ceſſori expreſſa defuncti voluntas: quum ideo teſtetur, ut agnatis auferat bona illa, quæ lege ad eos redirent. Hinc orta eſt regula illa juris: *Neminem poſſe pro parte teſtatum, pro parte inteſtatum decedere: earumque rerum, teſtati puta, & inteſtati, naturaliter inter ſe pugnam eſſe.* Atque hæc ratio pura puta eſt, quapropter jus accreſcendi invectum, receptumque ſit, ut invito adhuc pars vacans accreſceret, ne ſcilicet teſtator pro parte teſtatus, pro parte vero inteſtatus deceſſiſſe videretur. Quod vero legata ſpectat, aliunde profecto idem jus derivarunt, nempe ex ipſa teſtatoris voluntate: quum qui duobus eamdem rem legat, id velit, ut nequaquam ea penes heredem maneat, ſed ut, uno deficiente, totum alter conſequatur. De his plura hic tradere ſupervacaneum exiſtimo: fuſe enim differendum mihi eſt, quum ad *legem unicam de caducis tollendis* oratio perrexerit. His prælibatis ad legem noſtram accedamus.

Ait lex: *Si quis ante apertas tabulas, aditamque hereditatem decederet*, eam fore caducam. Locus ergo non erat juri accreſcendi, ſi quis ex coheredibus ante apertas tabulas, aditamque hereditatem deceſſiſſet: quumque in jure regula ex oppoſitis deprompta, recepta ſit, hinc evinci videtur, juri huic locum fore, ſi quis deceſſerit, quando alter ex coheredibus hereditatem jam crevit. Atque hic nodus eſt ille, qui adeo doctiſſimum Cujacium implicuit, ut ab eo ſe extricare prorſus nequiverit. Verum ut nos, quantum datum fuerit, rem intelligamus, tantum memoria recolendum, quod ſupra præmiſimus, nempe tunc fuiſſe bona per legem noſtram caduca, quum plures eſſent heredes: ſi enim unus, iſque ante apertas tabulas, vel aditam hereditatem deceſſiſſet, nequaquam bona ad Fiſcum cecidiſſent, ſed ad legitimos potius rediiſſent. Cujus rei ratio, ut diximus, erat, tum ne Princeps legitimas hereditates appetere videretur, tum etiam ut vectigal hoc voluntarium haberetur: nam ſi illud coheres voluiſſet effugere, facile id ſibi fuiſſet hereditatem cernendo. Quum igitur inter coheredes locum tantum teneat, patet ratio cur leges caducariæ, in herede ex aſſe vim ſuam amittentes, inter coheredes tantum vigeant, qui, poſtquam alter defeciſſet, he-

re-

Digitized by Google

reditatem adibant: ſibi enim tribuendum erat, quum confeſtim adeundo caduca eludere potuiſſent.

Integrum igitur, poſt leges caducarias, ſervatum eſt jus accreſcendi, modo tamen pars hereditatis, vel legati vacaret, poſtquam alter adiſſet, vel agnoviſſet. En aperta Juriſperitorum reſponſa, quæ totum hoc dilucidius evincunt. Cajus ſic ſcripſit (a): *Qui ſemel aliqua ex parte heres extiterit, is deficientium partes etiam invitus excipit, ideſt tacite ei deficientium partes, etiam invito, accreſcunt.* Et Julianus (b): *Quum eadem res alteri pure, alteri ſub conditione legatur, aut quum alter pure, alter ſub conditione heres ſcriptus eſt, pars legati, vel hereditatis, deficiente conditione, accreſcit etiam heredi ejus, cui pure legatum, vel hereditas data eſt, ſi tamen hereditas ejus adita fuerit.* Quamvis autem jus accreſcendi omnino ſublatum non ſit, reſectum tamen quam maxime eſt, atque inter arctiſſimos cancellos cohibitum, ut facillime caduca omnia fierent, Fiſcique jura augerentur.

Sed quum legibus caducariis non minus jus accreſcendi, quam illud tranſmittendi adverſaretur, more ſuo Auguſtus, per ſubdolas quaſdam ratiunculas, id etiam imminuere curavit. Itaque ſtatutum eſt, ut legatorum dies non a tempore mortis teſtatoris ex veteri conſuetudine, ſed ab apertis tabulis cederet, ſi tamen legatum eſſet per vindicationem: nam ſi quid per damnationem, ſinendique modum relinqueretur, agnitionis adhuc tempus expectandum erat, ne caducum diceretur, atque ad heredes tranſmitteretur. Recolas igitur quæ de his ſupra diximus, ut tibi præſto ſit ratio, cur in ceteris legatis, excepto legato per vindicationem, id ſtatuerit Auguſtus. Sed hic commoda mihi paratur occaſio egregium illud Caji reſponſum exponendi, in quod, tamquam in ſcopulum quemdam offendere viſi ſunt juris interpretes. *Quod Principi* (ait ille (c)) *relictum eſt, qui antequam dies legati cedat, ab hominibus ereptus eſt, ex conſtitutione D. Antonini ſucceſſori ejus debetur.*

(a) *L.* 53. §. 1. *de adquir. vel omitten. hereditate.*
(b) *L.* 26. §. 1. *de condit.*
(c) *L.* 56. *D. de legatis* 2.

Digitized by Google

Sane mireris optimum Principem se in hereditatibus, atque legatis acquirendis, a jure communi exemisse. Sed velim advertas Caji mentem minime fuisse, ut Princeps adquireret legatum, idque transmitteret, cujus dies non cessisset a morte testatoris, se vivo; quum nusquam id Principi, per totum, qua late patet juris corpus, concessum reperiatur. Verba enim illa *antequam dies legati cedat*, intelligenda sunt de jure novo per legem nostram invecto, hoc est legati diem non nisi apertis tabulis cedere. Ab hoc igitur jure Princeps liber declaratus fuit: quod sane invisum minime videri poterat: nam si liberis parentibus, aliisque, quibus liberorum jus datum erat, jus accrescendi ex antiquo more, remoto Fisco, salvum erat, cur idem Principi negandum? Acerbum igitur videri non debet, si, qua ceteri inter cives fruebantur, immunitas a legibus caducariis data fuerit, ex jure vetusto, Principibus.

Jam satis de legibus caducariis. Sed antequam finem imponamus, quædam insuper advertenda sunt, ut magis magisque Augusti solertiam pernoscamus. Quum vulgata lege paratæ sint fraudes ad eam evertendam, atque undequaque homines conjurent, ut per transversos saltem cuniculos illudant; hinc omnium primo tacita fideicommissa inventa sunt, ut bona deferrentur iis, qui jure capere non poterant. Sed cur per tacitum fideicommissum, quum non minus tacite, quam aperte fidei sic committendo in legem peccaretur? nempe quod si quis palam rogatus promisisset, se restituturum incapaci, fideicommissum quidem concideret, & quamvis ærario non cederet, in hereditate tamen subsidebat, vel apud eum, a quo relictum fuerat, permanebat.

Mos etiam invectus incapacibus caussa mortis dandi ea, quæ jure capere per heredis institutionem, legatum, vel fideicomissum non poterant. Qua sane de caussa istiusmodi donationes passim legatis comparatas legimus, ut intelligeremus iis, quibus legari non poterat, ne donandi quidem caussa mortis jus esse. Solemne etiam fuit, ut per interpositas personas legi fraus crearetur, scilicet non ipsi incapaci, sed aliis ejus potestati subjectis relinquendo, nempe filiis, nepotibus, aliis-

aliisque. Quapropter Paullus Fisci commodis cum ceteris studens, clamavit regulam juris esse (a). *Cepisse quis intelligitur, quamvis alii acquisivit*. Sed præ his subtilissima erat ars illa, qua testatores servos incapacium instituebant, sub conditione libertatis. Quamvis enim dominum incapacem nec per servum capere posse, haud ignorarent; sic tamen rem componebant, ut dominus servum heredem ante additionem hereditatis manumitteret, atque ab eo hereditatem illam sibi, tamquam pretium manumissionis, clam stipularetur. Ita enim duo se consequuturos sperabant, & ne Fisco locus esset, quum manumissus hereditatem capere videretur, & ut dominus id lucri assequeretur, tamquam pretium manumissionis. Sed nihil actum censebatur, si fraus ista, subdola licet, excogitata pelluceret. Nam Terentius Clemens respondit, *Servum ad hereditatem admitti, si nihil in fraudem legis factum esset, l. 82. de adquirenda hereditate*. Ceterum nolim inter has fraudes enumeres cautiones illas, quas jurisperiti per substitutiones, aliasque vias excogitarunt, ut incapax capere posset, neu bona tamquam caduca, vel vacantia Fiscus occuparet: odiosa quippe lex caducaria habebatur, nec proinde interpretatione juvanda, de quo sane insigne prostat exemplum apud Paullum in *l. 29. de liberatione legata*.

Verum ingeniose Augustus, technis his omnibus occurrens, sanctione generali cavit, *ne quis in fraudem harum legum, quo magis caduca, & ereptitia is, qui capere non potest, capiat, quidquam admittere velit*. Qua profecto verborum comprehensione omnis fraus prohibetur, ne Fiscus callidis machinationibus eludatur: Ut autem cuncta in aperto essent, neve silentio caduca delitescerent, ingentium præmiorum spe allecti sunt delatores, qui quoquo versus discurrentes omnia conquirerent, latentesque hominum fraudes scrutarentur. Atque adeo sedulo res gesta est, ut nullius domus ab horum interpretationibus libera fuerit, quin in laqueum legis incideret. *Sane omnem domum* (scripsit Tacitus) *delatorum interpretationibus subversam .... & acriora ex eo vincula inditi custodes*,

&

(a) *L. 140. de verb. signif.*

& lege Papia Poppæa præmiis inducti, ut si a privilegiis parentum cessaretur, veluti parens omnium Populus vacantia teneret. Verum quam ex caducis partem delatores sibi caperent, adhuc sub judice lis est. Sub Nerone quartam accepisse Tranquillus prodit, antea vero mediam tanquam verosimile viris doctis probatur. Quum enim in jure partis nomen passim mediam rei partem complectatur, compertumque sit eos ante Neronem partem accepisse, evinci hinc facile potest, media caduca delatoribus cessisse.

Quum igitur delatorum turba præmiorum spe ad bona Fisco quæsita nuncianda inducerentur, mirum quot quantasque calumnias sine discrimine omnibus inferrent. Adeo sane delationis malum percrebuit, ut istiusmodi homines quasi grassatores, & latrones non solitudinem, non iter, sed templa omnia, & fora impeterent, nullaque jam testamenta secura, nullius status certus, non orbitas, non liberi prodessent. Sed quemadmodum sub malis Principibus perniciés hæc publica misere grassatur, sic sub bono Principe modis omnibus impeditur, ne in intemperiem suam erumpat. Quapropter ad frenum delationibus injiciendum multa quidem sub optimis Principibus statuta sunt. Et vero ad coercendum delatorum numerum imperatum est, ut deferre minime posset, cui & accusandi jus non esset; deinde ne delatores præmium acciperent, nisi delationes suas probassent; immo si judicio non vicissent, tanta pœna afficerentur, quanto Principis ingenio delationes forent magis minusve invisæ. Sane sub Nerva, Tito, Trajano severissime in illos sævitum est, ut pœnarum metu deterrita pessima hæc hominum colluvies calumniis abstineret. Sed omnium pulcherrimum Trajani fuit consilium, ut quivis scilicet seipse posset deferre, sibique in delationis præmium caducorum mediætatem acciperet. His omnibus puto unum adjiciendum, Fiscum bona hæc caduca, atque vacantia cum suis oneribus occupasse. Quum enim in locum coheredis, vel legatarii succederet, eorumdem commoda præripiendo, par æquumque erat, ut & onera subiret. Atque hæc satis ad absolutam præclarissimæ legis intelligentiam: in qua tametsi plus æquo immorati simus, certe equidem, lector hu-

humaniſſime, prolixa interpretatio uberrima rerum utilitate compenſabitur. Nam veſtigia legis hujus, quamvis per Juſtinianum abrogatæ, adeo per totum jus impreſſa adhuc manent, licet ad alienas ſæpe res detorta, ut jus noſtrum in maximam partem in obſcuro lateat, niſi ad hæc principia maxime referatur.

CAPUT X.

Ad legem Juliam Majeſtatis.

JAm ad leges pœnales, earumque rationes, Octaviano Auguſto imperante, inſpiciendas oratio mea pervenit. Quum enim hactenus leges explanaverim, quibus præcepta bene vivendi tradidit, rerum ordo poſtulat, ut leges nunc pœnales referam, quarum metu homines deterriti in officio continerentur. Et vero id eſt corrupti hominis ingenium, ut bonum plerumque minime ſequatur, vel a malo abhorreat, niſi ſi alterius boni ſpe erigatur, vel metu majoris mali deterreatur. Infirmæ profecto, imperfectæque leges, quæ præmiis, pœniſque ſuis deſtituuntur, quum utraque hæc, veluti firma propugnacula, jura omnia fulciant. Sed quum de ratione pœnarum ſecundum jus naturæ, & gentium ſuperiori libro multa quidem ſcitu perdigna, nec fortaſſe pervulgata congeſſerimus, optimum nunc factu duximus, de iiſdem ex rationibus a jure civili arceſſitis, differere, ſimulque exponere, qua de cauſſa in unum crimen aliæ ab aliis gentibus pœnæ, & ſæpe variæ ab eodem Populo inflictæ ſint, quum ceteroqui gentes omnes bene inſtitutæ crimina punienda fateantur.

Sane in ratione pœnarum id ipſum uſuvenit, quod in reliquo civili jure contigit. Quemadmodum enim legislatores omnes, licet id unum in communi velint, ut naturalis juſtitia ſarta tecta ſit, in mediis tamen deligendis, per quæ illam cives aſſequantur, paſſim differunt: nam ex civium more, ex loco, atque ex tempore, ex forma publici regiminis, ex variis philoſophorum ſententiis rem ita moderantur, ut juri naturæ non ſine maxima prudentia modo detrahant, modo

Digitized by Google

do addant: unde profecto jus civile effici ait Ulpianus; ita in criminibus puniendis eo modo ſeſe gerunt, ut pœnæ civium moribus, formæ regiminis, tempori, loci naturæ, philoſophorum rationibus reſpondentes in id unum conveniant, ut univerſalis juſtitia humana malitia depravata reparetur. Hæc igitur ſunt in cauſſa, quapropter pœnarum ſanctio alia, atque alia ſit, quum diverſis eæ rationibus a jure civili infligantur; omnes tamen ut univerſali juſtitiæ locus detur, quæ undique clamat maleficia punienda: quod quidem ut magis in propatulo ſit, rem exemplo aperiamus.

Quæ crimina vel minuunt, vel augent, ſunt perſona, res, locus, tempus, modus, & qualitas: adjuncta enim hæc ſunt, quæ hominum dolum, & malitiam magis, minuſve produnt; atque ita pœnarum etiam rationem vel adaugent, vel remittunt. Idem ſæpe adjunctum gravius, levius pro varia populorum ratiocinatione cenſetur. Sane furta domeſtica inter Romanos leviora exiſtimabantur, ut morte naturali digna numquam putarent. Nunquam enim, ajebant, domo efferes, quæ intra domeſticos parietes poſſis coercere. Quænam iſthæc inhumanitas hominem eodem tecto, eademque menſa utentem, a foco tuo, tamquam ab ara abſtractum, crudeliſſime morti obiicere? Qui paullo ante iiſdem, ac tu, ſacris utebatur, eoſdem lares colebat, eum nunc cernes in infelici arbore ſuſpenſum, vulturum, atque corvorum prædam? Contra vero alii in domeſtica iſtiuſmodi maleficia adeo invehebantur, ut morte ipſa ſontes plecterent. Non ne majori pœna dignus, qui arctiori juris vinculo nobis obſtringitur? Fur de trivio nullo nobis jure, niſi illo communi, per quod ſuum cuique tribuendum, obligatur; at eum, quem tecti, focique conſortione dignati ſumus, profecto ſanctius devincit conturbenii hæc neceſſitudo, per quam in omnibus eum nobiſcum conjurare quis neget? Ad hæc qui nobis confiſus ſe ſuaque bona concredit, nonne æquum eſt, ut ſummi officii rationes expectet? Nonne per domeſticum furtum ſancta hoſpitii jura offenduntur, quæ religioſe ſervari mortalium omnium maximopere intereſt? Nonne ea crimina majori pœna plectenda, a quibus difficilius cavemus? Alienis quippe cautius occurrimus

mus insidiis, domesticas vero quis vel solertissimus eludet, nisi leges pœnarum magnitudine impiorum cupiditates frenent? Demum quo major delinquendi copia, eo severius crimina coercenda. Eccuinam magis obvia sunt furta, quam domestico homini, qui penitiora domus novit, cujusque fide res nostræ commendantur? Videsis hinc qui fiat, ut certum scelus aliter alibi puniatur.

Sed plerumque mitior, vel acerbior pœna est ex ipso Populorum ingenio, quod aliter in alia vitia vehementius, vel placatius effertur. In quo sane quem præterit, quanta sit cœli, regionisque vis & potestas? Hinc profecto aliæ aliis proniores sunt ad virtutem aliquam, vitiumque gentes. Ita Legatus ille Rhodius in Senatu Romano apud Livium (a): *Gentes aliæ iracundæ, aliæ audaces, quædam timidæ, in vinum, in venerem proniores aliæ sunt: Athenienſium Populum fama est celerem, & supra vires audacem ad conandum, Lacædemoniorum cunctatorem: non negaverim totam Asiæ regionem inaniora parere ingenia, & nostrorum tumidiorem sermonem esse.* Et Cicero de Carthaginensibus: *Carthaginenses fraudolenti, & mendaces non genere, sed natura loci, quod propter portus suos multis mercatorum sermonibus ad studium fallendi studio quæstus vocabantur. Ligures montani, duri, & agrestes: docuit ager ipse nihil ferendo, nisi multa cultura, & magno labore quæsitum. Campani superbi bonitate agrorum, & fructuum magnitudine, Urbis salubritate, descriptione, pulchritudine.*

Ex quibus videas quantum loci indoles in hominum mores influat. Non ne experientia cernimus ventosa loca efferatiores, ac mobiliores homines parere; quieta vero humaniores, & constantiores? Cujus quidem ratio est, quod tranquilla mens ibi esse non potest, ubi nimia est corporis agitatio. Sic compertum est, Thraciam, Galliam, Britaniam, aliasque regiones, quæ ventorum impetu magis agitari dicuntur, ferociores alere gentes, quam ubi cœlum quietius est, ut de Assyria scribunt, Asia minori, atque Italia. Quid?

(a) *Lib.* 45.

Digitized by Google

non ne ipsa regionis sterilitas, aut fertilitas animorum in eodem Cæli, ac terrarum tractu dissimilitudinem progignit? Etenim Livius scripsit (a) nationes in uberrimo solo molles, & effeminatas esse. Contra loci sterilitas homines solertiores, atque temperatiores in lucem edere solet: nam duros exantlare labores, diu, noctuque anniti, atque omnium artium genere victum sibi quærere ipsa loci sterilitas cogit, ut de Athenienſibus memoriæ proditum est, quos labori deditos, temperantes, acutioris ingenii fuisse ob soli infelicitatem, novimus.

Ex quibus omnibus docemur, undenam passim tanta apud gentes varietas sit de eodem crimine pœnarum. Quum enim alii ad alia vitia procliviores sint, pœnæ quoque, quæ ab iis infliguntur, differre aliquantulum debent. Nolim tamen hinc putes hanc soli indolem, vel cæli temperiem ea vi in vitium pollere, ut aliquam necessitatem injiciat: in tantum enim liberum hominis arbitrium, Divina tamen ope adjutum, atque reparatum est, ut labem omnem, si velit, effugere possit, virtutique studere: nam secus neque pœnæ, neque præmio locus esset. Siquidem cur eum insectaris, qui male agit, non quod velit, sed quia loci ingenium, cœli temperies, vel aliud impediat, quominus bene faciat, & malum, etiamsi velit, vitet? Demum pœnæ etiam formæ civilis regiminis aptantur. Patet enim omnibus has in Democratia esse leviores, quam in Monarchia: quum enim, ubi democratice vivitur, ab ipsis civibus in communi leges perferantur, ne mireris mitius animadverti, si qui pœnis obnoxii sunt, iidem sint, ac qui leges pœnales condiderunt.

Hactenus de pœnis universim: sed quoniam de regimine Monarchico mihi instituitur sermo, in iis potius immorari, quæ huic Reipublicæ formæ conveniunt, puto. Quum Augustus in vetustatis simulatione mire delitesceret, nec aliquid novi in Monarchia sua præferret; in pœnis etiam sanciendis ita se gessit, ut in speciem leviores, quales antea fuerant, viderentur, quamvis revera graviores essent: graviores inquam, quum ut morum disciplina tunc temporis jam col-

(a) *Lib.* 45.

collapsa restitueretur, tum etiam ut ab recentis Monarchiæ invidia sibi caveret. Sed operæ pretium est videre, quam viam ad punienda crimina sapientissimi illi viri, Mecænas nempe, & Agrippa proposuerint sectandam. Quamobrem quum plerumque a male feriatis hominibus, quique recta institutione destituti sunt, peccetur, consultius sane est liberalem educationem ante omnia curare, & desidiam mollitiemque prohibere, quam peccantes deinde pœnis corrigere. Hoc profecto salubre fuit consilium, quod Agrippa Principi nostro tradidit. *Optimi ac egregii Principis est, non modo ipse ut omnia ex officio agat, verum ut qua ratione etiam reliqui omnes quam optimi fiant, prospiciet. Id autem tu ita præstabis, si non permittas omnia eos ex libito agere, ac deinde delinquentes corrigas; sed si priusquam peccaverint quicquam, omnia eos doceas, quæ exercentes & tibi, & sibi ipsis majori sint usui; omnemque omnibus occasionem propter divitias, nobilitatem, aut aliam quamcumque præstantiam, vitæ per desidiam, mollitiem, aut prava studia ducendæ præcidas.*

Quo sane monito quid præstantius, aut utilius? Hoc enim interest inter optimum Principem, & tyrannum, quod ille id maxime curet, ne cives in vitia dilabantur, vel recta institutione eos formando, vel pœnarum metu continendo; contra vero tyranni peccata etiam graviora, sub intempestivæ lenitatis fuco ultro dissimulent, immo & consulto foveant, si qui forte deinde in invidiam incidant, perdendi causam in promtu habeant, submissis accusatoribus, qui crimen in oblivione jacens opportune suscitent. Quamobrem non insulse vulgo traditum, tyranni leges utiles non esse, nisi quum violantur, & negliguntur: ut non mirum sit, si eas non educatione in pectoribus hominum, sed tantum in voluminibus atramento curent imprimendas, quo seminarium fiant pœnarum legislatorum libidini servientium.

Verum quum adeo sit mortalium natura depravata, ut vel liberalis aliquando institutio ad amolienda scelera satis non sit; tunc sane ad pœnarum vim deveniendum est, ut malo suo experiantur improbi homines, quam miserum sit peccare. Sed pœnæ modus statuendus est, ut neque gravior,

neque levior sit patrato crimine: debet enim adeo temperari, ut per quoddam veluti æquilibrium, medicina salubris fiat, qua animi vitia curentur. Si enim plus æquo rigidior, potius improbus ad insperatæ salutis periculum abducitur; si vero levior; satius ducit legem offendere, quam metu pœnæ a vitiorum illecebris averti. Humanitas autem, & æquitas in plectendis criminibus potissimum spectari debet, ut homines facilius ad frugem revocentur. Sic profecto sapientissimus ille monebat Augustum: *Nam natura multos homines eo rapit, ut contra leges delinquant: quæ si quis accurate persequi omnia velit, aut neminem, aut per paucos impunitos relinquat: sin humaniter æquitatem juri misceat, fortasse eos emendet. Lex enim quamquam necessario pœnas graves statuit, tamen naturam coercere non semper potest. Ceterum homines quidam quum occulta esse sua peccata putent, aut saltem mediocriter verbis castigantur, vitam emendant; partim quod metuunt, ne manifesti delictorum fiant, partim denuo peccare veriti: iidem palam factis vitiis suis, pudore projecto, aut immodice puniti omnia jura confundunt, ac conculcant, solisque naturæ impetibus serviunt? Quamobrem neque facile est omnes peccantes punire, neque decorum eos, qui aperte libidine mala feruntur, negligere.* His prælibatis ad rem veniamus.

§. I.

Quibus, & adversus quos, & ob quas res judicium Majestatis competat.

HÆc, quæ hucusque, carptim licet, de pœnis infligendis edisseruimus, faculæ veluti quædam erunt, quæ rebus dicendis prælucebunt: descendamus nunc ad crimina ipsa, quorum factus est ultor Augustus. Quoniam autem illud, quo Principis, vel Reipublicæ majestas læditur, longe ceteris magnitudine præcedit, de eo primum sermonem instituere constitui. Sed hic quum Pragmatici nostri sive quòdam intempestivæ lenitatis fuco, sive historiæ, rerumque publicarum ignoratione multa quidem a vero aliena nobis obtruserunt, fal-

sa

ſa ante omnia a veris ſecernere curæ mihi erit, quibuſque de cauſſis lapſi ſint, aperire. Majeſtas igitur, auctore Feſto, a magnitudine dicta, nihil aliud eſt, quam cujuſque rei dignitas atque amplitudo. Tribuitur ea non ſolum Principi, ſed Senatui, & Magiſtratibus; unde intelligimus illud Auctoris ad *Herennium lib. 2. Majeſtatem minuit, qui ea tollit, ex quibus rebus Civitatis amplitudo conſtat; velut ſuffragia Populi, & Magiſtratus conſilium.*

Itaque Majeſtas eſt ſumma in ſubditos, legibuſque ſoluta poteſtas. Quare imperandi conditionem eam dixit eſſe Tacitus, *ut non aliter ratio conſtet, quam ſi uni reddatur.* Quumque poteſtas hæc non ſolum Principis eſſe poſſit, ſed & Optimatium, & Populi, prout penes hos, vel illos ſumma Reipublicæ ſit, inde fit, ut is in Majeſtatem offendat, qui dignitatem eorum læſerit, vel minuerit, penes quos ſumma rerum eſt. Caveas autem credas hac tantum dignitate potiri, qui late imperant, eademque carere eos, quorum imperium anguſtius ſit: non enim ex imperii latitudine, ſed ex ipſa vi imperandi dignitatem hanc metimur, ita ut in illo ea inſedeat, qui ita imperat, ut ſuperiorem nullum, præter Deum ipſum rerum omnium moderatorem, & arbitrum, agnoſcat. Sed quæſtio hinc exurgit, nec ſane futilis, an fœderati, & qui alterius majeſtatem venerari tenentur, dignitate hac præfulgeant. Hac quidem in re certa ab incertis ſeparanda ſunt: etenim vel fœdus iniquum eſt, ut alterius quis ditioni ſubdatur, quemadmodum erant Populi dedititii apud Romanos, ſive ii, quibus imperandi quid jus eſſet; & quidem hi quum integra poteſtate careant, Majeſtatis jure deſtituuntur: vel fœdus eſt æquum, ut inter eos, qui ſummo imperio pollent, abſolutaque in legibus ſuis poteſtate fruuntur, ſed quibus unum impoſitum eſt, ut alterius Majeſtatem venerentur, ut de Carthaginenſibus proditum eſt, de quibus ſcripſit Polybius: *Patres conceſſiſſe libertatem* (a), *leges ſuas, & agrum inſuper omnem, & omnium aliorum bonorum poſſeſſionem, quæ ad Rempublicam, aut ad privatos pertinerent.*

Et

(a) *Fragment.* 142.

Digitized by Google

Et hic digladiantur inter se viri eruditi. Sed quam vis præclaro viro, & nunquam satis laudando Antonio de Matheis visum horum majestatem minui, quum alterius imperio aliqua saltem ratione subjiciantur; puto tamen ego, & his præcelsam hanc amplitudinem denegandam non esse. Si enim eorum leges, & constitutiones tales sunt, ut infirmari a nemine possint, neque ab his alteri provocatio ulla datur, non est profecto cur Majestatis jura imminuta censeamus.

Sed videamus modo quinam ii sint, quibus Majestatis crimen moveri possit. Sane si Majestas est absoluta imperandi potestas, evincitur, eos Majestatis reos agi, qui summam illius amplitudinem offendunt, cui subiiciuntur. Quumque duplici quis ratione alteri subdi possit, natura nempe, & jure, utrumque profecto pœna Majestatis teneri affirmandum est. Natura subditi sunt, qui ut tales nascuntur, jure, qui Civitatis communione gaudent. Sed inter istos allectos Cives minime eos enumerem, quibus honoris caussa Civitas communicata: absurdum enim est, hos pœna hac teneri, si in amplitudinem Civitatis deliquerint. Quibus Civitas ad honorem datur, hi ejus imperio non subjiciuntur. Itaque ubi subjectio abest, & Majestatis pœna abesse debet. Verum inter subditos recensendi etiam sunt, qui intra Civitatis fines domicilium contulerint, eoque, tamquam in sedem suam, sese receperint. Hoc enim ipso, quo domicilium, & sedem suam alibi collocaverint, ejus etiam Civitatis imperio se subjeciisse intelliguntur. Quod quum advenæ non fecerint, non ut Majestatis rei, sed tamquam hostes, si quid tale commiserint, puniendi sunt. Sed quid de Vassallis, sive feuda tenentibus? Poterunt ne, si quid in dominum peccaverint, ut rei majestatis peragi? Distinctione quadam & hic opus est: si enim domino feudi subjecti eum offenderint, in Majestatis pœnam incident; secus vero, minime. Explorati enim juris est, feudum utroque modo dari, concedique posse. Atque hæc de personis, quibus, & contra quas Majestatis judicium competat. Quibus autem modis Majestas lædatur nunc inspiciendum. *Majestatis crimen* (inquit Ulpianus (a)) *illud est, quod adver-*

(a) *L. 1. ad l. Juliam Majes.*

Digitized by Google

verſus Populum Romanum, vel adverſus ſecuritatem ejus committitur: quo tenetur is, cujus opera, dolo malo, conſilium initum erit, quo obſides injuſſu Principis intercideren; quo armati homines cum telis, lapidibuſque in Urbe ſint; conveniantve adverſus Rempublicam; locave occupentur, vel templa; quove cœtus conventuſque fiat, hominesve ad ſeditionem convocentur; cujuſve opera, conſilio, dolo malo conſilium initum erit, quo quis Magiſtratus Populi Romani, quive imperium, poteſtatemque habet, occidatur; quove quis contra Rempublicam arma ferat; quive hoſtibus Populi Romani nuncium, litteraſque miſerit, ſignumve dederit, feceritque dolo malo, quo hoſtes Populi Romani conſilio juventur adverſus Rempublicam; quive milites ſollicitaverit, concitaveritve quo ſeditio, tumultuſve adverſus Rempub. fiat.

Hæ ſunt læſæ Majeſtatis ſpecies graviores quidem, quum adhuc, leviores licet, ſuperſint; veluti ſi quis Imperatori maledixerit, vel ejus ſtatuas jam conſecratas conflaverit, aliudve hujuſmodi admiſerit. Ceterum Civitatis imperio translato ad Principem, ſi quis, quæ de Civitate dicta ſunt, in Principes commiſerit, reus majeſtatis erit. Itaque, ut uno verbo rem abſolvam, qui Principis Majeſtatem auſus fuerit evertere, vel minuere, partem eorum uſurpando, quæ ad Majeſtatem pertinent, criminis hujus reus agetur. Sed hic neſcio qua mente Hotomannus ſcripſerit, legis Juliæ Majeſtatis reos eſſe, qui partem Reipublicæ turbare conati fuerint, quum qui totam labefactare tentaverint, ii perduelles ſint: etenim reſpuitur id diſcriminis ab ipſo Ulpiano, qui haud ſecus ſcripſit lege Julia Majeſtatis teneri eos, qui Reipublicæ partem, ac qui integram evertere auſi fuerint. Riſu vero dignum, quod docet Bartolus, per ſecuritatem Populi Romani intelligendam fidem publicam, ſive ſalvum conductum; quum hæc ſecuritas nihil aliud ſit, quam Reipublicæ tranquillitas. Quam quidem ſecuritatem ille obturbat, qui hoſtili animo adverſus Rempublicam, vel Principes animatus eſt, qui nefariam iniit cum hoſtibus ſocietatem, qui hoſtium duces, accepto pretio, aut dimiſit, aut occultavit, quum id ipſum hoſtile ſit, & abominandum; qui exercitum contra Reipublicæ,

vel

Digitized by Google

vel Principis jussa retinet, neque successori tradit; qui Imperii secretum hosti prodit; quique demum consilio, vel ope hostes juvat, perduellis erit, ac læsæ Majestatis nomine tenebitur. Ecce tibi enumeratas fere omnes criminis hujus species: reliquum tamen est, ut aliquantulum in earum expositione immoremur. Sed initium a seditione, per quam periculosius quies publica turbatur, faciemus.

Est seditio Civium dissentio, *quod seorsim eunt alii ad alios*, sive cœtus, & turba Civium, ut publicam tranquillitatem intervertant. Sed cœtus istiusmodi, ut turba dici possit, decem saltem, vel quindecim hominibus constare debet. Jam vero si in unum conveniant vel quindecim, & telis lapidibusque sese adversus Rempublicam, vel Principem instruant, rei quidem Majestatis erunt. Sed quum Ulpianus subdat *in Urbe sint*, hinc data quibusdam imperitis cavillandi occasio, ut effutierint seditionem eam legis nostræ pœna puniri, quæ in Urbe fiat, minime vero si in Provincia. Sed absit hæc impertunæ lenitatis interpetratio. Non ne pariter in Provincia, atque in Urbe Principis Majestas, Populique securitas invadi poterit? Itaque ubivis seditio excitatur, pœna legis Juliæ plectetur. Erit tamen seditiosus homo perduellis, modo Principem offendat: si enim in privatos irruat, vim intulisse censebitur. Num autem una erit perduellium omnium pœna? Sane quidem quum in maleficiis dolus maxime peccantium spectetur, quo profecto alio alii homines delinquunt, non in eandem omnes pœnam incidisse putandum est. Certe auctores seditionum ceteris acerbius plecti debent, quum tantus non censeatur dolus in his, quantus eorum est, a quibus incitantur. *Multitudo* (dicebat Scipio) (a) *omnis, sicut natura maris, per se immobilis est: ut venti, & auræ cient, aut tranquilli, aut procellosi: & caussa in vobis, atque origo omnis furoris penes auctores est, vos contagione insanistis. Quin mihi ne hodie quidem scire videmini, quo amentiæ progressi sitis. Quid facinoris in me, quid in Patriam, parentesque, ac liberos vestros, quid in Deos sacramenti testes, quid adversus au-*

(a) *Livius lib. 28. cap. 27.*

auſpicia, ſub quibus militaſtis, quid adverſus morem militiæ, diſciplinamque majorum, quid adverſus ſummi Imperii Majeſtatem auſi ſitis. Æquum igitur eſt, ut in ſeditionibus aliter auctor, aliter ii, qui ab eo incitati ſunt, puniantur, quando Populus mare eſt ſua natura tranquillum, & tunc intumeſcit, quum a pravis concitatoribus, tamquam furioſis turbinibus, ſollicitatur.

Secunda hujus criminis ſpecies eſt, ſi quis dolo malo conſilium ineat Populi Romani Magiſtratus occidendi, qui imperium, poteſtatemque habet, ut docet Ulpianus. Ex quo falſa evincitur eorum opinio, qui eum perduellem tantum eſſe, qui in Principem irruit, nequaquam vero ſi aggreſſus fuerit Magiſtratum, autumant. Sane ſi perduellis eſt, qui ſecuritatem Reipublicæ interturbat, eodem nomine notandus eſt, qui ejuſdem magiſtratus interemerit; quum & ad publicam ſecuritatem faciat adminiſtrorum vitam ab inſidiis tutam ſervari. Sed nolim intelligas hoc & de quocumque gregario milite: recte enim tradit Juriſconſultus perduellem eſſe, qui eum magiſtratum occiderit, cui imperium ſit, poteſtaſque. Qua de cauſſa Seneca *controver. v.* ſcripſit: *Non ages mecum Reipub. læſæ, ſi Athenienſem Senatorem occidero, ſed cædis.* Hinc merito ridendi ſunt ex Pragmaticorum fæce illi, qui jactarunt ex Conſtitut. Arcadii ſolum perduelles eſſe, qui manus Imperatori impias intulerint; numquam vero ſi ceteros Principes occiderint, quum de uno Imperatore Romano Arcadius loquutus ſit. Num enim huic divinare licuit, Orbem Romanum tot in dynaſtias diſcerptum iri? Ceterum ſi Conſtitutio Arcadii illos etiam perduellionis incuſat, qui Principis conſiliarios occideret, cur & alios non cenſeret eadem pœna plectendos, qui Reges ſuos offenderent? Sed his nugis omiſſis, utiliora percurramus.

Perduellis etiam eſt, qui arma contra Rempub. fert, amicoſque Reipub. ſollicitat, ut hoſtes Populi Romani fiant. Quid enim tam hoſtile, quam Patriæ hoſtem armis, teliſque inſtruere, aut qui amicus erat, impellere, ut hoſtis Romani nominis fiat? Neque ab hoc crimine alienus eſt, qui Reipublicæ arcana prodidit, ut inde hoſtes juventur, ſive nuntium,

litteraſque miſit, ſignumque dedit, ut hoſtibus ferret opem. Sed quum Ulpian. hic generali loquutione uſus fuerit, ut innueret perduellem eſſe, quiſquis Reipublicæ arcana hoſtili animo vulgaſſet; neſcio cur Pragmaticis quibuſdam arriſerit inanis illa diſtinctio inter Principis Conſiliarios, ac ceteros, hoſque lege Julia majeſtatis teneri, illos vero perduelles eſſe: quum diſcrimen hoc longe ab hujus Juriſconſulti mente abhorreat: non eſt enim lenitas obtrudenda, ubi lex manifeſto reſiſtit, aut publica ſalus, quæ ſuprema lex eſt, aliud poſtulat. Nonne qui ſecreta Principis prodit, id facit, ut vel hoſtes, vel cives ad res novas excitentur? Hinc ſane Mathematici, atque ii, qui illos de morte Principis conſulebant, capite puniebantur: nam iſtis confictis vaticinationibus cives, aliique impellebantur ad res novas, ac ad quietem publicam peſſime interturbandam. Apte ad id quadrat illud Tertulliani, ſic ſcribentis adverſus gentes: *Cui opus eſt perſcrutari ſuper Cæſaris ſalute, niſi a quo aliquid adverſus illam cogitatur, vel optatur, aut poſt illam ſperatur, & ſuſtinetur? Non enim ea mente de cæſaris conſulitur, quam de dominis. Aliter curioſa eſt ſollecitudo ſanguinis, aliter ſervitutis.*

Sed quum etiam pertineat ad ſecuritatem Reipublicæ, exercitum non eſſe ſine Duce, neque Ducem ſine exercitu; merito adjicitur lege Majeſtatis teneri, *qui exercitum deſeruit, vel privatus ad hoſtes perfugit*. Quod reſpondit Ulpianus de privato, idem profecto & de milite gregario ſentiendum: non enim ſatis ad perduellionis crimen videtur, militis defertio, niſi idem ad hoſtes quoque perfugerit: ſecus autem, vel morte multatur, vel militiam tantum mutare jubetur l. 3. 4. & 5. *de re militari*, quemadmodum æquitas Judici ſuadebit, qui gravius, vel mitius ad coercenda crimina debet aſſurgere; prout magis minuſque publica ſalus periclitata ſit. Quid vero dicendum, ſi *quis* in bello *ceſſerit, aut arcem non tenuerit, aut caſtra conceſſerit*? Eum profecto Marcianus *l. 3. eodem* reſpondit perduellem eſſe. Sed hæc ſententia non ſine æquitate temperanda eſt: ſicuti enim lenitas minime probanda in legibus pœnalibus, ſi forte a mente, & a verbis ipſius legis aliena ſit; ita earumdem ſeveritas ultra naturalem ratio-

tionem in publicæ utilitatis ſpeciem exaſperanda non eſt. Expedit enim nocentem potius abſolvere, quam innocentem damnare. Itaque ſi dolo quis in bello cedat, aut caſtra concedat, perduellem audire haud abnuo: ſed ſi ignavia id, & formidine fiat, dignus nimirum non eſt, ut tam turpis nota ei inuratur, quum lex ipſa perduellem definiat, *qui hoſtili animo adverſus Rempublicam animatus ſit*. Et licet ignavia, metuſque doli omnis expers non videatur, quum meticuloſum hominem adhuc non lateat, mortem potius pro patria appetendam, quam ejus periculo vitam ſervandam; ea tamen eſt hominis imbecillitas, quæ ſæpe nulla virtute ſuſtineri poſſit. Superſunt & aliæ bene multæ perduellionis ſpecies, quas quum interpretatione noſtra minus egeant, libenter mittimus, ad illos tantum properantes, qui opem hoſtibus præbentes, eos armis, pecunia, commeatu, aliiſque rebus juvant. Sat enim prodit animum in nos infeſtum, qui hoſtibus noſtris indulgendo, iisdem fert ſuppetias.

Sed quum hac in re non ſecus, ac in ceteris criminibus dolus potiſſimum ſpectandus ſit, qui profecto pro adjunctorum ratione dijudicandus eſt; res propterea, quæ ſubvehuntur, perſonæ, quæ ſuppeditant, quibus ſubvenitur, cauſſa demum, quapropter opes hoſtibus feruntur, ad trutinam expendenda ſunt. Hæc enim maxime faciunt, ut an fuerit dolus, qualiſve dolus, aperte dignoſcatur. Nemo autem neget perduellem eſſe, qui pecuniam, arma, tela, equos ſciens dolo malo hoſti præbeat. Contra vero parcendum ei eſt, qui vi, metuque coactus, ut incendia, & agrorum populationem redimeret, hæc eadem fecerit. Quid ſi mercator, majoris fœnoris ſpe, pecuniam hoſti præbuerit? Artis ne ſuæ profeſſio, quum directe Rempublicam offendere noluerit, criminis pœna eximet? Minime gentium. Nam quamquam in ceteris omnibus ſcrutari liceat, quo animo quid patratum ſit, nullus tamen diſtinctioni locus, ſi quæ per ſe ad Reipub. perniciem tendant. Præterea a rationis ſenſu quam maxime abhorret, vel præ grandi lucro Populi ſalutem poſthabere. Sed quod attinet ad res, quæ hoſti præbentur, earum quidem uſus dolum, ſi qui fuerit, evincet. Et quidem trifariam eæ

diſpeſci poſſunt. Aliæ bello deſtinatæ ſunt, ut arma, tela; aliæ tam belli, quam pacis uſui communes, veluti equi, naves, commeatus, pecuniæ; aliæ demum nullius in bello uſus cenſentur, tantumque voluptati inſerviunt, ut ea, quæ ſunt ad delicias comparata, & ad luxuriam, mollitiemque impellunt. Nemo dubitat quin ea, quæ ſunt primæ claſſis perduellionis reos agant præbitores: quod idem & de illis, quæ domi, militiæque uſui ſunt, adfirmandum. Nam licet ad bella comparata proprie non ſint, in bellis tamen maxime juvant, quum quibus victui neceſſaria deſunt, bellum diu protrahere ii nequeant. Sed tertii generis res, ſi hoſtibus præbeantur, tantum abeſt, ut in perduellionis crimen incidatur, ut laude potius dignus, qui eas obtulerit, putetur. Quid enim aptius ad emolliendos, enervandoſque militum animos, quam quæ luxuriæ inſerviunt, profuſa liberalitate elargiri? Quid Cyro magis profuit ad fundendos, profligandosque Scythas, quam vinum illud, & edulia, quæ reliquerat in caſtris ſuis, fugam ſimulans? In quæ quum illi inconſulto ſe ingurgitaſſent, victi extemplo, atque profligati cecidere. Appoſitiſſima ad id ſunt Senecæ verba (a): *Pecuniam, quæ ſatellitem ſtipendio teneat, non ſubminiſtrabo: ſi marmora, & veſtes deſiderabit, nihil oberit cuiquam id, quo luxuria ejus inſtruitur: militem, & arma non ſuggeram. Si pro magno petet munere artifices, ſcænæ, & ſcorta, & quæ feritatem ejus emolliant, libens offeram. Cui triremes, & eratas non mitterem, luſorias, & cubiculatas, & alia ludibria Regum in mari laſcivientium mittam.* Itaque quum per harum rerum uſum perimatur magis hoſtis, quam juvetur, perduellionis crimine liberabitur is, qui adeo profuſe in eum ſe geſſit: dolo enim caret, ſine quo nullum committitur crimen, qui ſic indulget hoſti, ut tandem perdat. Quod ſi ita eſt, eccur in l. 1. C. *quæ res exportari non debeant*, prohibetur vinum, & oleum, & liquamen, vel aliud guſtus cauſſa ad barbaros exportari? Nempe ne ii rerum ſuavitate illecti, Orbem Romanum invaderent; quemadmodum Longobardos a Narſete in

(a) 7. *de. benef.* 20.

in Italiam pellectos legimus pretiosis nonnullis frugibus, quas ea terra fert, muneri missis: dolus enim, & quidem ingens hic subest, unde Majestatis crimen oritur.

Verum subit animum & illud disquirere, an prohibitio isthæc juvandi hostes omnes teneat, ut ne pater quidem filiis, liberi parenti, cognati cognatis, atque affinibus affines opem ferre, perduellionis pœna, possint. Salebrosa quidem est hæc quæstio, ut mire se torqueant, qui in eam incidunt. Et vero pugnant hic inter se humanitas, quæ inter sanguine junctos intercedit, & publica utilitas, quæ anteferri omnibus debet. *Cari enim*, dicebat Cicero (a) *liberi*, *propinqui*, *familiares*: *sed omnes omnium caritates patria complexa est*. Etenim res domestica stare nec poterit, si patria evertatur. Sane sapienter Valerius dixit (b): *Eversa domo, intemtatus Reipub. status manere potest. Urbis ruina penates omnium trahat secum necesse est*.

Quum igitur paria utriusque sententiæ videantur esse momenta, ecquid aliud in medium afferemus, ut quæstio hæc dirimatur? Sane quum crimina omnia par sit ex ipso dolo metiri, animus perduellem adjuvantis excutiendus omnino est, nempe qua mente, quove consilio opem reo attulerit, ut perduellione, an ut homini humanitatis officia præstet. Receperit, esto, domum dumtaxat uxor maritum, sequuta sit, instruxerit egentem viatico: sunt profecto hæc pietatis officia, nec crimini tribuenda. Contra vero si virum male in patriam animatum receptarit, armis instruxerit, commeatu, ingenti pecunia, præter necessitatem locupletarit, quo majori vi nocere possit, nihil sane ex hoc conjugali vinculo proderit, ut debitam pœnam effugiat: quum hæc omnia non humanitatis, sed doli causa facta censeantur, quo is ad struendas insidias paratior sit. Quæ sane advertenda sedulo sunt, ut intercesserit ne dolus, nec ne, pernoscatur, & num quis in legis laqueum inciderit, dijudicetur.

Sunt

(a) *Officior lib.* 1.
(b) *Lib.* 5. *cap.* 6.

Digitized by Google

Sunt qui credunt, perduellem etiam esse illum, qui reum ex carcere emiserit. Quum enim solius Principis sit, reum pœna liberare, videtur quidem ipsa Principis Majestas impeti, si reus eximatur a vinculis. Atque est opinionis hujus fundus lex ipsa nostra: *Qui confessum in judicio reum, & propter hoc in vincula conjectum, emiserit.* Sed vereor ne nimium lex exacerbetur: quid enim ad primum caput legis nostræ facit, si quis vilem hominem, latrunculum forte, quique nihil Reipublicæ nocere possit, e vinculis detraxerit? Secus vero reputandum, si is periculo sit Patriæ. Quo sane discrimine habito, nullum in prima specie perduellionis crimen censebimus; secus vero in secunda. Nec desunt, qui legem sic emendant, ut *in judicio confessum* addant voculam *hoc*, nempe eum perduellem esse, qui criminis hujus reum in judicio confessum emiserit. Sed salva res est, nec præter Codicum omnium fidem lacinia isthac fœdari lex debet; quum verba hæc, *confessum in judicio reum*, ipsi rei, de qua in tota hac lege agitur, scilicet perduellionis crimini congruant, ita ut hæc ostendatur sententia, si quis ob perduellionem, in vincula fuerit conjectus, atque ab eis emissus. Itaque supervacua est adjectio, quum ex legis ejusdem mente, & ex re ipsa sensus ejus patere possit.

Ea, quæ huc usque scripsimus, ad primum caput legis nostræ pertinent: nunc vero de iis pauca dicenda, quæ in altero capite continentur. Ea autem sunt, quæ adversus splendorem, dignitatem, atque existimationem Principis committuntur; ut si quis Principis statuas consecratas violaverit, nummos vultu Principis signatos adulteraverit, si purpura usus fuerit, vel veste *holoserica*: decet enim Principis vestes a privatis distare. Item si quis privatum carcerem habuerit, vexandi tamen inimici potius, quam invadendi Imperii caussa, alioquin in primum caput incideret. Tenetur etiam secundo capite, qui improbo petulantique maledicto nomen Principis lacessiverit; aut temulentia turbulentus obtrectator temporum ejus extiterit. Hæc sunt, quæ ad secundum caput legis nostræ pertinent: atque de iis ad Principem referendum est, ut is demum, pensata re, prætermittine, an ex-

exquiri crimen hoc in se commissum censeat. Sunt qui credunt, maledicta in Principem ex lege nostra minime punienda, quum per legem unicam *Cod. si quis Imperatori maledixerit*, a Theodosio, Arcadio, & Honorio, lex Julia ut superior videatur abrogata. Sed falsa omnino est hæc eorum sententia: non enim in laudata Constitutione cavetur, ut istiusmodi convicia ad Principem referantur, abrogandæ Juliæ legis caussa, sed ut is potius statuat, dignus ne sit miseratione an non, qui Imperatorum nomen maledicto lacessiverit. Sæpe enim Principis Majestati par non est in crimen hoc animadvertere, ne ex metu, & pœnarum severitate nomini suo reverentiam quærere videatur. De Domitiano enim scriptum, eum Majestatis crimina in arena colligere consueviſſe? Sed advertendum ante Augustum convicia isthæc nulli punitioni obnoxia fuisse: in omnium enim ore tritum illud erat, *facta arguenda, dicta impune esse debere*. Omnium igitur primus Augustus cognitionem de famosis libellis, per legis Majestatis speciem haberi voluit, quod sane in sequentibus deterioris ingenii Principibus inserviit ad alienam innocentiam evertendam, atque ærarium locupletandum. *Et Fiscum & ærarium locupletabant* (scripsit Plinius) *non tam Voconiæ, & Juliæ leges, quam Majestatis singulare crimen eorum, qui crimine vacarent*. Verum sub Principibus Christianis ad meliorem formam jurisprudentia Romana redacta, hæc statuere Theodosio adlubuit: *Si quis modestiæ nescius, & pudoris ignarus, improbo petulantique maledicto nomina nostra crediderit lacessenda, ac temulentia turbulentus obtrectator temporum nostrorum fuerit; eum pœnæ nolumus subjugari: neque durum aliquid, nec asperum volumus sustinere: quoniam si id ex levitate processerit, contemnendum est; si ex insania miseratione dignissimum; si ab injuria, remittendum. Unde integris omnibus, hoc ad nostram scientiam referatur, ut ex personis hominum dicta pensemus, & utrum prætermitti, an exquiri debeant, censeamus.*

§. II.

§. II.

De pœna legis Juliæ.

JAm de perſonis vidimus, & de cauſſis, ob quas in crimen hoc incidatur: reliquum eſt ut de pœna inferenda ſermonem inſtituamus. Sed hic temporum vices diſtinguendæ ſunt, & quidem ſeduſo, quum pro Imperatorum ingenio, alia aliis temporibus pœna inflicta fuerit, modo ſævior, modo remiſſior, prout Princeps, vel formidini, vel ſævitiæ, aut lenitati magis erat propenſior. Et quamquam ceteris in rebus ſequioris ævi politiam miſſam facere ut plurimum ſtuduerim, quum ea tantum quæ in manu erant, quæque ad tempus præſens ſpectabant, exponere animus fuerit; aliter vero in hujus legis interpretatione me gerere debere puto: nec tantum ut res ſub Auguſto ſe habuerit, ſed & inſequentium Principum mutationes enarrabo. Atque id profecto, ut oſtendam, perverſa Pragmaticorum in Legis Juliæ expoſitione effata non aliunde obveniſſe, niſi ex hiſtoriæ ignoratione, atque confuſa rerum notitia. Et quidem, ut ad rem veniamus, nullum videtur acerbiori pœna plectendum facinus, quam in vitam Principis inſidiæ paratæ, tum ob fractam fidem, quam intemeratam cives debent Regi ſervare, *non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam, quum nulla ſit poteſtas, niſi a Deo*; tum ob mala, quæ morte Principis oboriuntur, quibuſque publica tranquillitas labefactatur; tum demum quod vix eſt, ut ex occultis iſtiuſmodi proditionibus Princeps ſoſpes evadat. *Nam hoſtem adverſum opprimere, homini ſtrenuo haud difficile eſt; occulta pericula neque facere, neque vitare bonis in promptu eſt: Nonne arma aperta palam vitos, fraus & dolus occulta, neque inevitabilia. Nonne ſtatum militum fidem, & periculum ex ſingulis* (a). *Sunt cohortes ad latus Principis tegendum. Sed quid proderunt cohortes, alæqueæ ſi unus, alterque præſenti facinore paratum ex diverſo præmium petant? Nonne Regum exitus, ſi reputaverimus,*

(a) *Tacit.* 11.

mus, plures a ſuis, quam ab hoſtibus interemptos reperiemus (a). Propter hæc omnia, inquam, dixeris ſane nullam ſatis eo ſcelere dignam pœnam videri, potiſſimum vero, *quia non creditur, niſi perpetratum facinus ſit* (b). *Unde miſerrima Principum conditio, quibus de conjuratione comperta non creditur, niſi occiſis* (c). *Ægerrime enim vulgus credit, quod quiſpiam inermis inſidias armato ſtruat, & militibus cincto* (d).

Igitur quum tanti facinus hoc reputandum ſit, quid de ejusdem pœna ſtatuendum? Num inexorabiles leges ferendæ? Nullane ſpes veniæ? An omnes pari pœna afficiendi? Ita in hoc formidoloſus ſollicituſque Princeps erit, ut Majeſtatis crimina in arena colligat, atque ex omni re minus obſequenti crimen conficiat? Minime gentium: *quia non oportet omnibus, quæ ab his talibus dicentur, fidem adhibere, ſed acriter ea examinare & diſcutere* (e). *Quis enim innocens eſſe poterit ſi accuſaſſe ſufficeret* (f)? Itaque ſtudioſe illud Modeſtini dictum perpendendum, quo Judices potiſſimum docet (a). *Hoc tamen* (inquit) *crimen a judicibus non in occaſione ob Principalis Majeſtatis venerationem habendum eſt, ſed in veritate. Nam eo perſona ſpectanda eſt, an potuerit facere, & an ante quid fecerit, & an cogitaverit, & an ſanæ mentis fuerit, nec lubricum linguæ ad pœnam facile trahendum eſt. Quamquam enim temerarii digni pœna ſint, ut inſanis tamen illis parcendum eſt, ſi non tale ſit delictum, quod vel ex ſcriptura legis deſcendit, vel ad exemplum legis vindicandum eſt.*

Verum hiſce adhibitis cautionibus, ſi tamen crimen hoc plane probatum ſit, neque de eo ambigatur, quæritur an Princeps adeo erit inexorabilis, ut numquam reo indulgeat. *Sane quum nullum clementia ex omnibus magis, quam Regem aut Principem deceat .... quia magnam fortunam magnus animus decet .... & magni animi proprium eſt placidum eſſe, tranquil-*

(a) *Livius* 40.
(b) *Sueton. in Domit.* 21.
(c) *Dion* 52.
(d) *Dion* 52.
(e) *Ammian. XVIII.*
(f) *L. 7. ad l. Juliam Majeſ.*

Digitized by Google

quillumque, & injurias atque offensiones superne despicere (a); hinc Principis est, aliquando sceleris hujus pœnam prætermittere, vel saltem temperare. *Pœnam, si tuto poteris, dabis; sin minus, temperabis* (b). Hujusmodi enim clementiæ exemplum ad civium amorem in Principem conciliandum maxime proderit. *Quum Clementia non tantum honestiores, sed tutiores præstet, ornamentumque Imperiorum sit, simul & certissima salus . . . nihil enim glorioſius est Principe impune læso* (c).

Sed moderatio hic potissimum adhibenda est, ne beneficium in perniciem vertatur, quum ejus, cui confertur, merita, atque vita, & temporum conditio solerter sint expendenda. *Quoniam quidem conditione temporum incidunt quædam, quæ possint laudata puniri . . . . Non itaque semper & vulgo ignoscere decet: nam ubi discrimen inter malos, bonosque sublatum est, confuso sequitur, & vitiorum eruptio. Adhibenda est igitur moderatio, quæ sanabilia ingenia distinguere a deploratis sciat. Nec promiscuam habere, ac vulgarem clementiam oportet, nec obscissam: nam tam omnibus ignoscere crudelitas est, quam nulli* (d). Igitur si in pœnis quibuscumque remittendis, aut temperandis rationes has omnes Princeps optimus debet expendere, maxime vero in Majestatis-crimine, quum per hoc totius Reipublicæ salus periclitetur; quæ tunc stare poterit si salva sit Majestas Principis. *Quia illius cautio nostra cautio est . . . . . ne dum paucis sceleratis parcit, bonos omnes perditum eat* (e).

His præmissis, quæ non parum Principibus, æque ac Judicibus prodesse in pœnis sive inferendis, sive temperandis poterunt, ratio postulat, ut ad rem nostram propius accedamus. Sane concors est eruditorum opinio, pœnam læsæ Majestatis sub Augusto interdictionem aquæ, & ignis fuisse, quæ quum Civitatis jus perimeret, vocata fuit pœna capitis: sat enim

(a) *Seneca de Clemen.*
(b) *Idem loc. cit.*
(c) *Sallust. Catilin.*
(d) *Seneca ad Clemen.*
(e) *Sallust. Catilin.*

Digitized by Google

enim frequens est in jure pœna capitis pro amissione Civitatis, aut libertatis; quum verbum hoc *caput* non tantum naturalem vitam præferat, sed etiam civilem, quæ est civitatis, vel libertatis status. Ecce tibi, quæ scripsit Paullus de hac pœna (a): *Lege Julia Majestatis tenetur is, cujus ope, consilio adversus Imperatorem, vel Rempub. arma mota sunt, exercitusque ejus in insidias deductus est; quive injussu Imperatoris bellum gesserit, delectumque habuerit, exercitum comparaverit, sollicitaverit, deseruerit Imperatorem. His antea in perpetuum aqua & igni interdicebatur: nunc vero humiliores bestiis objiciuntur, vel vivi exuruntur; honestiores capite puniuntur. Quod crimen non solum facto, sed & verbis impiis maxime exarcebatur.*

Ex his patet, ante Paullum pœnam Juliæ legis Majestatis aliam ab interdictione aquæ, & ignis non fuisse. Sed multa hic expendenda sunt, & ab aliis fortasse minime animadversa; nempe an Augustus ipse pœnam hanc invenerit; quibusque ex caussis fuerit ab eodem vel recepta, vel instituta; num clementiæ spe, quam ille simulabat; demum an illius regimini congrueret. Sane occasionem illius pœnæ luculentissime refert Dio (b). Quum enim Octavius Cn. Cornelii Cinnæ insidias comperisset, anceps diu animus ejus cædem inter illius, & veniam fluctuare videbatur. *Ac neque dies, neque noctes sine cura, ac cum quiete agentem, Livia aliquando percontata est, quidnam rei eum a somno detineret.* Patefacta tunc animi sui sententia, quod scilicet incertus esset, utrum in Cinnam animadverteret, an vero indulgentia uteretur; prudentissima mulier, æque ac solertissima multis de caussis ad veniam hortata est; eumque ne Majestatis reos in posterum morte naturali afficeret, persuasit. *Quid enim mali* (inquit) *tibi inferat in Insulam quamdam deportatus, aut in villa, vel oppido non modo absque pecuniæ, vel servitiorum copia, sed etiam in custodia positus, sicubi res id requirat?.... Hominibus enim, non belluis imperas: eaque est unica benevo-*

(a) *Lib. V. sentent. tit. 29.*
(b) *Lib. 55.*

Digitized by Google

lentiæ ipſorum vere conſequendæ ratio, ſi hoc ipſum perſuaſum efficias, neque a volente, neque ab invito te quemquam eorum lœdi. Cogi quidem ad metuendum aliquem homo poteſt; ad amandum autem perſuaſione opus eſt: ea beneficiis in eum collocatis, quæque aliis videant tribui paratur (a). *Nonne crebro vulgi rumore laceraberis tamquam viros inſontes ob invidiam, aut metum extinxeris* (b)?

Quod ſapientiſſimum mulieris conſilium Auguſtus ſequutus, Cinnam non ſolum pœna ſolvit, beneficiiſque adeo ſibi devinxit, ut impoſterum ex hoſte acerrimo amiciſſimus factus ſit; ſed etiam in Majeſtatis reos deportationem ſtatuit, publicatis tamen, in Fiſci gratiam, eorum bonis. Sed quum bonorum hæc publicatio crimina omnia ſub Auguſto comitaretur, videndum hic eſt num Reipublicæ præſtet bona proſcriptorum propinquis magis, quam Fiſco adjudicari. Doctiſſimus Bodinus (c) rem ſic definiendam putavit, ut bona avita poſteritati ſervanda, cetera vero in Fiſcum redigantur, neque legitimarum hereditatum ſpes aliena culpa præcidenda. *Nonne iniquum videtur parentum culpam in liberos derivari?* Verum præterquamquod pœna hæc ipſi æquitati adverſatur, utilitati ipſius Reipublicæ non parum officit. Etenim egeſtate adacti homines, ſæpe ad furta, latrocinia, cædes impelluntur; maxime vero ii, quos ad otium, & inertiam affluentia rerum omnium educarat. Neque ſperandum, ut homines in deliciis, atque voluptatibus innutriti, ſellularias artes condiſcant, ne inertem tranſigant vitam, habeantque unde ſine ſcelere vivant. Contra putant alii, nullam pœnam præſentiorem ad deterrendos homines a flagitiis eſſe, quam metum ne liberi egeſtate laborent. Cupiditas enim poſteritati conſulendi adeo in omnium pectoribus ſedit, ut hujus rei cauſſa nullum vel arduum facinus ſit, quod audacter non aggrediantur? Itaque ſic affirmant, proſcriptorum bona Fiſco addicenda non filiorum odio, ſed ut parentes poſteritati ſuæ ma-

(a) *Idem loco cit.*
(b) *Tacit. XV. Ann.*
(c) *de Repub. cap. III. lib. V.*

Digitized by Google

maxime ſtudentes, abſtineant ſceleribus, ne liberos egenos relinquant. Sed quidquid ſit, meum non eſt in his amplius immorari, quum ad ea, quæ inſtituto meo magis inſerviunt, potius redeundum ſit.

Si Romanorum tunc temporis mores, regimen Auguſti, atque ærarii inopiam attente perpendamus, nulla profecto pœna ad avertendos homines a flagitiis præſentior videbitur, quam ut proſcripti, amiſſis bonis, in inſulam deportarentur. Unde mirandum non eſt, ſi Princeps ille callidiſſimus hanc non in ſolo Majeſtatis crimine, ſed & in ceteris ſtatuerit. An res ita ſe habeat, videamus. Quum Auguſti tempore non adhuc diverſarum partium ſtudia compoſita eſſent, & civilium ſeditionum reliquiæ adhuc per varias factiones alerentur; plures ſane ad ſupplicium producendi fuiſſent, ſi Majeſtatis crimen morte plecteretur. Quin nec ea quidem publica ſecuritas comparata eſſet, ſed novum potius odium incurriſſet Princeps, *tamquam viros inſontes ob invidiam, aut metum extinxerit* (a). Itaque ſatius duxit clementiæ ſpeciem ſimulare, reos in inſulam deportando, eiſque vitam incolumem ſervando; quam occidere: ut ſi ad meliorem frugem rediiſſent, veniam, ac nonnunquam beneficia conſequerentur, quod Cinnæ exemplo ſatis ſibi probatum fuit. Nec erat, quod periculum ex his metueret: quippe inſulæ addicti, bonis omnibus exuti, atque ab Urbe diſſiti, militari præſidio circumſepti, novas ciere turbas non poterant. Et quidem quum per id tempus ii civiles motus erumperent, qui bonorum copia ad comparandos ſibi milites valerent; nullum certe majus Principi præſidium, quam bonis rerum novarum cupidos multare, quæ deinde ad ærarium confluerent. Atque hoc procul profecto ab invidia, quum in ore omnium frequens illud ſit, expedire magis ut ſceleratorum bona cadant in Fiſcum, quam libidini alendæ inſerviant. Itaque fortunis ſuis Princeps expolians reum, ex omni parte ſecurus erit; *quum ex adverſo parentes, liberique eorum, qui interfecti ſunt, & propinqui & amici in locum ſingulorum ſuccedant.*

Sa-

(a) *Tacit. XV.*

Digitized by Google

Satis profecto hæc omnia Julius Cæsar pernovit: quare omnium primus in delictis puniendis bonorum publicationem invexit. En Tranquillum ita de eo loquentem: *Pœnas facinorum auxit: & quum locupletes eo facilius scelere se obligarent, quod integris patrimoniis eunulabant, parricidas, ut Cicero scripsit, bonis omnibus, reliquos dimidia parte multavit.* Recte Tranquillus scripsit, Cæsarem in facinorosos pœnam auxisse, siquidem bonorum publicationem adjecit. Etenim ante eum incognita illa erat. Nam, damnato reo, ejus bona heredem sequebantur. Per legem Corneliam de sicariis pars quædam ex bonis damnati excerpebatur, neque ea in Fiscum cadebat, sed heredibus potius defuncti dabatur, ut damna ejusdem, morte illata, ratione aliqua compensarentur.

Verum Augustus secus se gessit: non enim bonorum dimidium, uti Cæsar, sed cuncta ea publicabat ad locupletandum ærarium. Quumque insequentibus Principibus tutissimum Monarchiæ fulcrum pœna hæc visa fuerit, mirum non est, si adeo ea crimina sequeretur, ut etiamsi Judices in sententia non exprimerent, tacite tamen intelligeretur. Itaque bonorum publicatio sententiæ cujusque capitalis sequela effecta fuit, ut in *l.* 1, *&* 2. *de bonis damnatorum*. Quum autem rursus durum visum esset Justiniano, excludi a Fisco liberos, & parentes, novissima lege is ita cavit, ut, quocumque crimine reo damnato, excepto crimine Majestatis, in quo veteres leges servandas voluit, nulla publicarentur bona, si liberi essent, vel ascendentes ad tertium usque gradum; his vero deficientibus, Fisco caderent.

Vidimus quantum pœna hæc deportationis, cum bonorum omnium publicatione, Monarchiæ orsis congrueret, quum inde Principis securitas sequeretur, locupletaretur ærarium præter invidiam, atque omnia in clementiæ speciem simularentur. Videamus modo, quam acerba fuerit, atque ideo opportuna, ne quies publica motibus civilibus impeteretur. Etenim si Romanorum per id tempus mores perpendamus, facile quidem intelligemus, quam severa iis fuerit patria abesse, in insulam abigi, bonis spoliari, jure demum Civitatis carere. Et quidem quum sub Augusto rerum omnium copia

Urbs

Digitized by Google

Urbs affluëret, moresque civium in luxum, voluptatesque omnes pessumdati essent, non poterat non acerba nimis videri pœna illa, per quam Romani Civitate orbati, fortunisque omnibus destituti, ad omnium rerum egestatem redigerentur; & Senatorum filii, aliique summo loco nati, propter bonorum inopiam, honoribus avitis, summo quidem labore partis, excideren̄t, atque in turpissimam miseriam prolaberentur. *Quid*, dicebat Juvenalis, *salvis*, *infamia*, *nummis*? Hoc est reum infamiæ pœna afficere nil est, si procul bonorum publicatio sit. Ex his omnibus videsis pœnæ hujus acerbitatem, spectatis Romanorum moribus, Asiana luxuria adeo innutritis, magnam vim ad cives continendos habuisse.

Verum non in hisce tantum pœna hæc consistebat: erant quippe & alia, quæ peculiaria sunt Majestatis crimini, nec cum ceteris criminibus communia. Etenim sceleris hujus convictus, cujuscumque dignitatis esset, torquebatur *l.* 1. *C. de quæstionibus*; immo & cujuscumque ætatis homines, si ad testimonium provocantur, in Majestatis crimine torquentur *l.* 10. §. 1. *D. de quæstionib.* Si accusatores manifestis indiciis non convicerint reos, ut & ii, quorum opera, vel consilio alii ad accusationem prosilierunt, tormentis etiam subjiciuntur. Statutum item ut famosi, hoc est, qui jus accusandi non habent, mulieres, milites, hoc crimen deferre possint l. 7. D. *ad l. Juliam Majestatis*; audirentur item servi contra Dominos, & liberti contra patronos: quæ omnia quum universe, jure reclamante, in solo Majestatis crimine recepta sint, dixeris sane hanc pœnam præ ceteris esse acerbissimam. Quare ad rem appositissima sunt Plinii in suo Paneg. ad Trajanum verba, & mihi non omittenda. *Reddita* (inquit) *amicis fides*, *liberis pietas*, *obsequium servis*. *Verentur*, *& parent*, *& Dominos habent*. *Non enim iam servi Principis nostri amici*, *sed nos sumus*; *nec Pater Patriæ alienis se mancipiis cariorem*, *quam Civibus suis credit*. *Omnes accusatore domestico liberasti*, *unoque salutis publicæ signo*, *illud*, *ut sic dixerim*, *servile bellum sustuliſti*. *In quo non minus servis*, *quam dominis præstitisti: hos enim securos*, *illos bonos feciſti*. *Non vis interea laudari*, *nec fortasse laudanda sint*; *grata sunt tamen*

re-

recordantibus Principem illum in capita dominorum ſervos ſubornantem, moſtrantemque crimina, quæ tamquam delata puniret. Magnum, & inevitabile, ac toties cuique experiundum malum, quoties quiſque ſimiles Principi ſervos haberet.

Verum jam e memoria exciderat illud veſtigare, quod nonnullis errandi occaſio fuit, utrum, lata lege Julia, diſtinctio illa exoleverit inter perduellem, & Majeſtatis reum; an vero perſtiterit adhuc, ut perduellis morte naturali afficeretur, interdictum vero aqua & igni Majeſtatis reo fuerit. Sane Paulli locus ſupra laudatus dubitationem omnem perimit: ait enim lege Julia, *Majeſtatis teneri eum, cujus ope, conſilio adverſus Imperatorem, vel Rempublicam arma mota ſunt*: & ſubdit, *huic antea aqua, & igni fuiſſe interdictum*. Vide igitur indiſtincte crimen hoc, ſive in Rempub. ſive in Principem admiſſum, una eademque pœna punitum fuiſſe, nempe interdictione aquæ & ignis. Quod quum ita ſit, mirum profecto, ex interpretibus neminem adhuc rationem mutationis perſcrutaviſſe. Immo, quod magis eſt, ſæviſſimus etiam ille Sylla, ſi vera eſt lex Cornelia Majeſtatis apud Sigonium (*a*), Majeſtatis crimen, & perduellionem una eademque pœna perſequutus eſt, hoc eſt, interdictione aquæ & ignis. Si conjicere liceat, dicam Majeſtatis crimen ſub Cornelio, Julio, atque Octavio prorſus incognitum fuiſſe. Etenim quum antea nemo ex optimatibus jure proprio Majeſtatem vindicaret, ſed tamquam Reipublicæ Magiſtratus cenſeretur, factum eſt, ut in eorum perſona ipſa Reſpublica videretur offenſa, atque ideo reus uti perduellis puniendus. Quum vero ii, ſimulato hoc Magiſtratus nomine, Majeſtatem, ejuſque jura proprie exercerent, ideo demum invectam novam ſpeciem hujus criminis puto: quam profecto horrerebant Romani, quibus Regia poteſtas, & quidquid eam comitabatur, uti eſt pœna legis Juliæ, maximopere erat inviſa. Satius duxerunt illi Reipublicæ vultures, per clementiæ ſpeciem, perduellionem pœna interdictionis aquæ & ignis punire; quam de uſurpata Majeſtate Civium obſtrepentium querelas audire. Itaque

(a) *De judiciis lib. 2. cap. 29.*

Digitized by Google

que ad minuendam invidiam factum, ut Cives eorum tyrrannide preſſi, minime libertatem amiſſam ſentirent, & adhuc beneficio legis Porciæ, quæ Civem occidere vetabat, gaudere putarentur, maxime vero in perduellionis crimine, quod jura morte naturali plectendum ſanxerant.

Enarravimus hucuſque peculiaria quæque huic legi, ad Principis ſecuritatem firmandam. Videamus nunc Pragmaticorum quorumdam figmenta, ex ipſa legis ſævitate enata, quibus licet Modeſtinus reclamet, rem pro rei veritate tranſigendam, non autem ob Principalis Majeſtatis venerationem ſæviendum, tamen mire Principibus blandiri conſueverunt. Jactant quidem poſſe in hoc judicio procedi ſummarie, & de plano, ſine libello, ſine ſtrepitu, & figura judicii: quum enim crimen ſingulare ſit, poterit & a regulis juris recedi (*a*). Sed grave licet ſit facinus, omnique flagitio flagitioſius, cur a regulis ceterorum criminum, quæ probationes expoſcunt luce ipſa clariores, excipiendum? Nonne Tiberius, & Domitianus, ut rem exemplis firmemus, acerrimi hujus legis exactores, immiſſis antea accuſatoribus, dataque reo defenſione, judicia Majeſtatis nulla juris ſolemnitate omiſſa exercuerunt? Eo magis quod graviſſimum crimen quum id ſit, ejuſque naturæ, *ut vim pati* videantur, *etiam quibus probatur*, ut Div. Marcus dictitare ſolebat, pleniorem profecto cauſſæ cognitionem deſiderat. Quid igitur ſummarie procedendum, & ſine figura judicii, prætermiſſis probationibus omnibus, quibus ad veritatem detegendam opus eſt? Quod ſi manifeſta rebellio ſit, irruatque civis armatus ad Patriam delendam, non abnuo confeſtim in eum ſæviendum. Nec Prætoris edicta expectanda, ubi periculum imminens eſt, quando ſalus Populi ſuprema lex eſt.

Scripſerunt alii (*b*), probari poſſe hoc crimen per teſtes non idoneos, ſeu, ut ipſi loquuntur, *inhabiles*, inimico tantum excepto, quem ne in hoc judicio quidem admittunt. Verum generatim traditum; in capitalibus cauſſis teſtibus,

(a) *Decian. 7. capit. 27. nu. 13.*
(b) *Gomeſius 3. cap. 12. n. 14.*

Digitized by Google

atque apertiſſimis documentis opus eſſe. *l. ultima C. de probation.* At enim ad id criminis deferendum illi etiam probantur, quibus accuſare fas non eſt; ſed non quemadmodum in teſtis fide, atque manu, ita etiam in manu accuſatoris ſalus rei eſt. Putarunt alii reum iſtiuſmodi damnatum ab appellatione rejiciendum (a). Sed id, ut cetera, æque falſum: nam jus noſtrum iis dumtaxat appellandi facultatem denegat, qui manifeſtam violentiam commiſerint, quique ſimul & convicti, & confeſſi fuerint *l. 2. C. quorum appellati. non recipiuntur*. Itaque tunc non admittitur appellatio, quum ſeditio prærupta, factio cruenta, aliave juſta cauſſa moram haud patiuntur rei perimendi. Demum exiſtimarunt (a) perduellem, ejuſque filios nunquam præſcriptione tutos eſſe. Sed verum id eſt, ſi de præſcriptione quinquennii, ceteris criminibus communi, intelligatur; minime vero ſi præſcriptionem viginti quoque annorum rejicias: quum nominatim crimen hoc ab ea exceptum non ſit, extetque regula, omne crimen viginti annorum præſcriptione perimi. Dilucide enim Marcianus ſcripſit in *l. 3. D. de req. reis Quamcumque enim quæſtionem apud Fiſcum, ſi non alia ſit propria præſcriptio, viginti annorum ſilentio præſcribi D. Principes voluerunt*. Itaque has aliaſque falſo confictas interpretationes averſemur, Modeſtinum potius ſequentes, quum crimen hoc a Judicibus non in occaſionem ſævitiæ habendum ſit, ob Principalis Majeſtatis venerationem, ſed ad rei veritatem pernoſcendam.

§. III.

De pœna legis Juliæ Majeſtatis, ex Arcadii Conſtitutione.

EA, quæ huc uſque de pœna legis hujus edifferuimus, ſpectant quidem tempora, quæ Arcadium Imperatorem anteeunt. At vero ab eo pœna hæc adeo adaucta eſt per ejus Conſtitutionem in *l. quiſquis ad l. Juliam Majeſt.* ut a prio-

(a) *Decian. 7. cap. 48. n. 8.*
(b) *Farinac. quæſtione X. n. 29.*

Digitized by Google

priori illa longe nimis distet. Sane alienum videretur ab instituto meo, quod in Augustali jurisprudentia versatur, ad illa, quæ insequentibus temporibus invaluerint, excurrere. Sed quia, uti ante dictum est, Constitutio hæc a Pragmaticis, prout cujusque ingenium vel ad fucatam clementiam, vel ad intempestivam sævitatem proclivius fuit, pessime detorta est; ideo operæ pretium duxi, eam, quamvis extra metam provehar, hic exponere, a suis, purisque principiis rem arcessendo. Ait igitur Imper.: *Quisquis scelestam inierit factionem*. Quum vox illa prior infinitæ significationis sit, tam mares, quam feminas comprehendere, in confesso omnibus est; neque abest ratio ex ipsius legis mente petita: nam si & mulieres hostilia possint moliri, quænam ratio suppetit, qua a pœna excipiantur? Etenim in historia proditum est, Fulviam Antonii uxorem, Cleopatram auctore eodem Antonio, Zenobiam, Agrippinam Neronis matrem Imperium Orbis adfectasse. Rarum quippe hoc est, sed non adeo infrequens, ut dici possit ad legem non pertinere, quæ casus inopinatos minime respicit. Imo in diem experimur mulieres, quæ propter sexus infirmitatem in crimina vix insurgunt, si tamen audeant, præ ceteris esse promptiores: quapropter Comicus dixit, *Muliere nihil esse audacius*. Mulier honesta, esto, difficillime in adulterii crimen offendit; sed si semel adultera sit, cuncta honestatis septa prærumpit, atque furore maximo debacchatur. Falsa igitur omnino illorum opinio est, qui clementiæ fuco putant mulierem legis nostræ pœna procul esse, ne scilicet publicatis tantum bonis, ipsaque perempta, ejus memoria damnetur, ejusdemque filii infamia, egestateque laborent. Incassum hæc omnia, quia ubi expresse verba legis, & mens renuunt, ad pœnam temperandam ratio nulla suppetit. Verbum enim *quisquis*, ut diximus, infinitam vim habet, & ipsius legis ratio etiam mulieres complectitur. Porro pergamus.

Subditur in laudata lege: *Eadem severitate voluntatem sceleris, qua effectum puniri*. Num igitur conatus hujus criminis, toto jure clamante non conatum, sed effectum cujuscumque criminis pœna plectendum, hic puniendus erit? Minime

gentium, si absolute verba hæc intelligantur: quis enim excogitata peccata punit, *nisi solus Deus scrutator renium*? Itaque facta distinctione, temperandum id est, ut dicamus conatui istiusmodi aliquam ipsius sceleris inchoationem adjiciendam, qua malus animus in actum externum prorupisse videatur, aliquid nempe in necem Principis parando.

Sequitur pœna hujus criminis, qua tam reus, quam ejus filii afficiuntur: ille enim, publicatis bonis *gladio feritur*, ejusdemque memoria damnatur; filios vero non solum infamia sequitur, adeo ut egestate laborent, sed etiam indigni censentur, quibus bona aliqua, sive jure legitimo, sive testamentario, vel etiam ad alimenta ex quacumque parte accedant, & *mors sit solatium*, *vita supplicium*, quæ tantum Principis lenitate incolumis relinquitur. Quæ omnia quum longiori indigeant disquisitione, paullo latius tractanda sunt. Et quod attinet ad pœnam hanc in filios, qua licet criminis paterni participes non sint, infames tamen decernuntur, tantamque in egestatem adiguntur, ut indigni etiam habeantur, qui alieno beneficio leventur; certe quidem videtur sævissima, a qua summopere humanitas ipsa abhorreat. Si enim ibi pœna esse debet, ubi scelus est, sævities plusquam ferina erit, si pœnam contra innocentem exasperes; quum pœnales leges nocentibus terrori, innocentibus vero præsidio esse, communi omnium sermone dicantur. Quod quum ita sit, rationem videamus, quæ Imperatoris mentem ad id impulerit. Sane crimen hoc gravissimum quum sit, & tantæ perniciei, ut malis omnibus universam Rempublicam opprimat, quid mirum si rationes omnes excogitatæ sint, quibus deterreantur homines ab hoc scelere? Quid si metus etiam adjectus est, ne eorum filii in eam egestatem incidant, eamque miseriam, ut mors sit solatium, vita supplicium? *Hoc commune est* (inquit Tullius ad Brutum) *liberos puniri, quo liberorum caritas amiciores Reipublicæ parentes reddat*. Neque alienum est, si dixeris, quod in laudata lege subjicitur, ideo puniendos filios, *quia metuenda sunt in eis paterni, ideſt hereditarii criminis exempla*. Neque dixeris evanidum id esse, levisque momenti, quippe quod ab incerto eventu, exituque rerum de-

su-

Digitized by Google

ſumatur: *Plerunque enim parentes, liberique eorum, qui interfecti ſunt, in locum ſingulorum ſuccedunt.* Quæ ſane ratio, quum filiabus non ſatis congruat, quæ ſuamet natura, & infirmitate minus audeant, jure merito ſanxit Imper. ut eæ Falcidiam ex maternis bonis ſaltem percipiant. *Mitior* (inquit) *circa eas debet eſſe ſententia, quas, pro infirmitate ſexus, minus auſuras eſſe confidimus.*

Sed quum filios Conſtitutio noſtra exprimat, videndum nunc quinam filiorum nomine hic intelligantur, emancipati ne etiam, nepotes, adoptivi, legitimati, naturales, qui omnes filiorum nomine veniunt; an vero ſtrictius quidem ſoli filii, ut in pœnis genus ad ſui ſpeciem coerceatur. Sane emancipati hic filiorum nomine minime continentur, dummodo tamen ante crimen e patria manu exierint, & fraus procul abſit. Si enim in hac lege expreſſe habemus valere emancipationes, quæ ante legem factæ ſint, ſequitur inde, ut ad emancipatos ante crimen commiſſum, vel excogitatum pœna hæc non pertineat. Idem de adoptivis affirmandum eſt, ſi nulla fuerit fraus, ſaltem ex mente legis noſtræ, quum iis haud quadret ratio ab Imper. allata, quod ſint in liberis metuenda exempla paterni criminis: non enim tantus adoptantium amor eſt, ut adoptivorum ſtudio deterreantur a committendo crimine. Sed quid ſi aſcendens in locum nepotis, vel filii adoptaverit? Non ſuccedet quidem avo adoptanti nepos, quum ejus bona omnia occupaverit Fiſcus; verum infamis minime erit: nam ceterorum bona ſive jure legitimo, ſive teſtamentario capere poterit. Quod ſi in locum filii adſcitus ſit, atque in ejus poteſtatem, uti deſcendens, tranſierit, nec infamis erit: nam quum odioſa lex ſit, ejus quod ad filios pœna ita accipienda eſt, ut non commentum juris civilis, uti eſt adoptio vel in locum filii facta ab aſcendente, ſed naturam ipſam inſpicere debeamus. Quum igitur filii legitimi in lege noſtra, quæ utpote pœnalis in ſua primogenia ſignificatione intelligenda eſt, non contineantur, eo profecto minus & filii naturales, quibus & verba, & mens legis opponitur; quum filii non ſint, ubi injuſtæ nuptiæ, atque ii utpote dignitate, atque opibus carentes, inſurgere nequeant

ad

ad patris mortem ulciſcendam. Præterquam quod ſi Conſtitutio avita bona, & proximorum hereditates filiis aufert, illi profecto intelligendi, qui proximioribus ſuccedere poſſunt, quales non ſunt naturales. Sed quid ſi naturalis filius ſit legitimatus? Certe videtur pertinere ad Conſtitutionem, quum particeps fiat dignitatis paternæ, divitiarumque, quarum ope mortem patris perſequi facile audebit: qua quidem de cauſſa par eſt, ut egeſtate laboret, ne, ut diximus, nova moliatur in Principem. Anne demum nepotes hic filiorum nomine veniunt? Licet receptum ſit Nepotes filiorum appellatione contineri; verum tamen id erit, ſi de eorum favore agatur, nequaquam autem ſi de pœna, & quidem maxima: nam in pœnalibus nulla ratio ſuppetit, qua proferamus verbi ſignificationem, neque amor avi in nepotes, aut horum in illum tantus eſt, ut ille eorum ſtudio a crimine perpetrando deterreatur, vel hi ad mortem illius vindicandam inſurgant. His accedit, quod in eorum animis non tam recens indignatio eſt, neque tam acerba recordatio aviti ſupplicii, ut periculum ſit, ne quid per hos audeatur. Sed quum filius perduellis bona cum patris, tum propinquorum capere non poſſit, quidnam de iis fiet? Patris quidem Fiſcus occupabit, cetera vero per ſucceſſorium edictum, proximiori, vel ſubſtitutis deferentur: quum quod ad bona paterna, ſit indignus; quod ad cetera vero, incapax, & bona ad indignos pertinentia Fiſcus ſibi auferat, cetera incapaci relicta pro non ſcriptis habeantur. Hæc de Conſtitutione hac dicenda putavi; reliqua ad eam pertinentia lubenter omittenda cenſui, quum abunde in libro primo pertractata ſint.

§. IV.

Ad legem Juliam de vi publica, & privata.

PRoxime ad Majeſtatis crimen accedit vis publica, vel privata: ſiquidem tunc Princeps tutus eſt, quum omnia quieta ſunt, & tranquilla: atque illius Majeſtati injuriam infert, qui publicam pacem inter cives perturbare, atque

atque intervertere audet. Propterea quum de lege Majestatis hucusque plura differuerimus, ratio postulat, ut & de vi publica, privataque nonnulla saltem nunc disputemus. Itaque, ut ad rem veniamus, per bellorum civilium furorem potissimum vis exurgit: quare non mirum si Augustus tantum studii adhibuerit ad illam poenarum metu reprimendam, quum sub eodem reliquiæ civilium turbarum adhuc perstarent. Tranquillus hac de re ita scripsit (a): *Pleraque pessimi exempli correxit, quæ in perniciem publicam, aut ex consuetudine, licentiaque bellorum civilium duraverant, aut per pacem etiam extiterant. Nam & grassatorum plurimi palam se ferebant succincti ferro, quasi tuendi sui caussa: & rapti per agros viatores sine discrimine liberi, servique ergastulis possessorum supprimebantur: & plurimæ factiones, titulo collegii novi, ad nullius non facinoris societatem coibant. Igitur grassatores, dispositis per opportuna loca stationibus, inhibuit; ergastula recognovit. Collegia, præter antiqua, & legitima, dissolvit; tabulas veterum ærarii debitorum, vel præcipuam calumniandi materiam exussit. Loca in Urbe publica juris ambigui possessoribus adjudicavit. Diutiusnorum reorum, & ex quorum sordibus nihil aliud, quam voluptas inimicis quæreretur, nomina abolevit: conditione proposita, ut, si quem quis repetere vellet, par periculum pœnæ subiret.* Hæc Tranquillus, quæ quum multam legi nostræ lucem adferant, integra exscribenda duxi. Nunc legem expendamus.

Ajunt Jurisconsulti: *Lege Julia de vi publica tenetur, qui arma, tela domi suæ, agrove in villa, præter usum venationis, vel itineris, vel navigationis, coegerit. In eadem caussa sunt, qui turbæ, seditionisque faciendæ consilium inierint, servosque, aut liberos homines in armis habuerint: eadem legetenetur, qui pubes cum telo in publico fuerit. In eadem caussa sunt, qui pessimo exemplo, convocata seditione villas expugnaverint, & cum telis, & armis bona rapuerint. Eadem lege tenetur, qui hominibus armatis possessorem domo, agrove suo, aut navi sua dejecerit, concusseritque, expugnaverit. Item hac lege tenetur, qui quum imperium, potestatemve haberet, civem Romanum adversus pro-*

(a) *Cap. 32. in Octav.*

Digitized by Google

*provocationem necaverit, verberaverit, jusserit*que *quid fieri, aut quid in collum injecerit, ut torqueatur. Item Julia de vi publica cavetur, ne quis reum vinciat, impediatque, quo minus Romæ intra certum tempus adsit. Atque etiam qui dolo malo fecerit, quo minus judicia tuto exerceantur, aut Iudices, ut oportet judicent, vel is, qui potestatem, imperiumve habebit, quam ejus jus erit decernat, imperet, faciat. Ac qui nova vectigalia exercent, lege Julia de vi publica tenentur.* Hæc omnia jurisconsultorum fragmenta ex *tit. ad legem Juliam de vi publica* excerpta, in unum colligere duxi, quo commodius mihi esset legem Augusti expendere, unaque simul demonstrare quantam lucem leges accipiant, si earumdem ratio ab historia depromatur.

Jam vero quum ad vim faciendam proni homines, ex corrupta natura, atque adeo efferata, sint, maxime vero ad eam inferendam impelluntur, si quando insurgunt, qui tyrannidem appetunt. Hinc enim & sceleſtorum undique homines cogunt cœtus, quorum viribus adjuti, novas res moliantur. Quin homines de trivio turbarum cupidos inter hos misceri, passim legimus, ut divitum domos expilent, ipsique insontium fortunis ditescant, impunitatem in tanta rerum perturbatione sibi pollicentes. Hac sane de causa, compositis vix rebus, restitutaque pristina pace, protinus judicia de vi institui solent, sive ad res ablatas restituendas, sive ad novam vim metu pœnarum præcavendam: nam seditione compressa, non statim earumdem reliquiæ evanescunt, a quibus adhuc timetur. Lex igitur nostra maxime Augusti regimini congruebat, quum per id tempus perstarent adhuc quædam veterum factionum dissidia, quæ furentibus bellis civilibus inoleverant. His accedebat novum Augusti regimen, idque invisum: & quem latet quantæ turbæ, factiones, & seditiones novo sub regimine oboriri soleant? Quapropter appositissima fuit lex nostra, quæ per singulos quosque casus distincte cavit, ne vis quæcumque inferretur. Verum quia res omnes majori luce adspergunturr, si ab sua repetantur origine, propterea hæc omnia altius arcessenda sunt.

Ante legem Juliam de vi, Plautiam invenimus, qua ani-

animadvertebatur in eum, qui vim intuliſſet, ſive Senatui inſidias ſtruendo, Magiſtratibus vim inferendo, cum telo in publico ambulando; ſive quis ſeditionis cauſſa ſuperiora loca occupaſſet, ſive poſſeſſorem fundo cum hominibus armatis dejeciſſet. Eratque horum omnium pœna interdictio aquæ, & ignis. Legis occaſio ſeditio illa fuit poſt mortem Syllæ. Quum enim Lepidus Marianarum partium aſſertor, cum Catulo Syllano de actis Syllæ contendere cœpiſſet, ingens Civium diſcordia concitata eſt, victorque, pulſo ab Urbe, atque in Sardinia interfecto Lepido, Catulus hanc legem tulit cum P. Plautio Tribuno Plebis, unde ejus nomen. De qua Cicero ſic (a): *De vi quæritis, quam legem Q. Catulus armata diſſenſione Civium, Reipublicæ pene extremis temporibus tulit.* Itaque quum Clodius in Ciceronem inſurrexiſſet, ejuſque ædes armatis hominibus combuſſiſſet, lege Plautia de vi accuſatus eſt. Hanc autem legem Julium ſæpe rogaſſe ſcriptores tradunt, quum eam ad coercendos civiles motus ſatis aptam duxiſſet. Ex quo profecto intelligimus, quantum novo cuicumque regimini proſit pœnarum metus, ad vim reprimendam, ſive ut in præterita facinora per ſeditiones patrata animadvertatur, ſive ne vis impoſterum inferatur.

Quum igitur Auguſti tempore, civilium motuum non adhuc reliquiæ extinctæ eſſent, & vereretur ne novæ ſeditiones exorirentur, maxime vero ob recentem, eamque inviſam regiminis formam; opus ſane fuit, ut is legem de vi conderet, perque ea diſtincta capita, ne qua vis inferri novo regimini poſſet. Itaque rem ſingulatim expendamus.

De vi publica tenetur, qui arma, tela, domi, agrove in villa præter uſum venationis, vel itineris, vel navigationis coegerit, præter ea, quæ quis promercii cauſſa habuerit, hereditateve ei obvenerint. Non ſolum vim illatam lex prohibet, ſed etiam inſtrumenta ea vetat, quorum ope facillimum eſt ad vim inferendam devenire, uti ſunt arma, tela, aliaque hujusmodi, quibus, ſi quis ea domi, vel agro habeat, proclivius eſt alii nocere. Sed cur in lege ſubditur, ne quis

(a) *Orat. pro Sextio.*

Digitized by Google

domi, vel in agro arma teneat? Sane ante legem noſtram quamvis privato nefas eſſet in Urbe arma ſervare, fas tamen ei erat extra Urbem in agro tenere, quum ariſtocratico regimini, vel democratico non adeo adverſetur, ſi quo privatus modo arma teneat: quod ſecus eſt in forma monarchica, ubi penes unum vitæ, neciſque jure manente, nemini ſuamet auctoritate licet ſe ſuaque defendere, ſi ab inculpata tutela ob imminens periculum diſceſſeris: quo in diſcrimine, quum præſto eſſe non poſſit judicis manus, ſatius eſt vim vi repellere, quam eam per injuriam pati. Omnia igitur arma quocumque loco ſervata, Auguſtus prohibet, ut minus conſona privatis ſub novo regimine. Sed quid eſt, quod ea excipiantur, quæ quis promercii cauſſa habuerit, aut hereditate obvenerint? Nonne armorum fabrica, ac commercium privatis omnibus interdicta ſunt, quum de regalibus Principis cenſeantur? Fateor quidem id, Monarchia jam adulta: ſed naſcente, uti ſub Auguſto, res erat, indulgebantque quidem leges illorum promercium, ne vetuſtæ libertatis reliquiæ tam cito deperire viderentur, atque democraticæ dominationis veſtigia omnino deleta. Itaque libertas hæc uſque ad Marcianum ſtetit, ſub quo vulgata Conſtitutio, *ne arma quis venderet Barbaris l. 2. quæ res exportari non deb.* oſtendit privatos adhuc tunc temporis armorum uſum, atque promercium tenuiſſe. Sed poſtmodum omnem illorum uſum privatis interdictum ſatis conſtat.

Tenentur etiam de vi, qui *turbæ, ſeditionique faciendæ conſilium inierint, ſervoſque, aut liberos homines in armis habuerint*. Quantum hæc omnia ad vim inferendam faciant, experientia ſatis perdocet. Nulla quippe cædes, aut vis illata, aut ſeditio erumpit, quorum antea inter male feriatos homines, per cœtus, & collegia communicatum non fuerit conſilium. Jure merito igitur hominum armatorum in recenti Monarchia cœtus, & collegia prorſus vetita, præter ea, unde nihil mali timeretur. Præterea ſcripſit Paulus: *Lege Julia de vi publica, damnatur qui aliqua poteſtate præditus Civem Romanum, antea ad Populum, nunc ad Imperatorem appellantem, necarit, necarive juſſerit, torſerit, verberaverit, condem-*

demnaverit, in publica vincula duci jusserit. Quæ profecto novæ huic Augusti dominationi mirum in modum conveniebant. Nam sub Monarchia non amplius ad Senatum, sed ad Principem de sententiis in Provinciis appellare fas erat; adeo ut de vi teneretur Magistratus ille, qui adversus pristinam libertatem reum impediret, quominus ad Principem appellaret. Quod ut magis intelligatur, adlubeat planius explicare illud Marciani dicentis: *Lege Julia de vi publica caveri, ne quis reum vinciat, impediatque, quo minus Romæ intra certum tempus adsit*. Hi sane in Provinciis sunt, quibus quum Civitas Romana data esset, a Præsidum sententiis ad Principem licebat appellare: sed apud eum intra certum tempus sisti debebant. Hos autem appellantes si quis ex Magistratibus impediisset, ne prosequerentur appellationem, vel in carcerem conjiciendo, vel verberando, hac pœna tenebatur, quum non parum offenderet Principis Majestatem non censendo Civem, cui jus Civitatis Princeps dedisset, quemadmodum se gessit Marcellus, qui in Cæsaris contumeliam illos verberari jusserat, quibus Cæsar fuerat jus Civitatis elargitus.

Quæ huc usque edisseruimus, ad vim publicam pertinent, quæ licet olim a publica persona, hoc est, Magistratu inferretur, deinde tamen sic appellata, quæ cum armis fieret, quum quæ sine armis, dicatur privata. Vidimus igitur ut Augustus contra immoderatam Magistratuum potestatem se gesserit: nunc brevi tradendum, qua ratione adversus privatorum audaciam civibus consuluerit. *Qui convocatis hominibus vim fecerit, quo quis verberaretur, pulsaretur, neque homo occisus erit, aut fecerit, quominus quis in jus produceretur; utve ex agro suo sine armis dejiceretur, quive ipse dejecerit, spoliaverit; qui quæstionem de alterius servo habuerit; qui improbe coierit in alienam litem; qui debitori suo debitum per vim extorquere conatus fuerit, atque si quæ sunt ejusdem generis, patraverit, lege Julia de vi privata tenetur, publicatione tertiæ partis bonorum, cum infamia multatur*: *ut* Sigon. *de publ. judiciis*. Itaque hac lege damnatus nec Senator, ne Decurio, nec Judex esse, nec honore ullo frui poterat; quum contra de vi publica damnato aqua, & igni interdiceretur; cui deinde pœnæ successit deportatio. Non solum au-

Digitized by Google

tem lege hac tenebantur, qui vim in bona, vitam, vel libertatem, ſed etiam in alienam pudicitiam intuliſſent. Ex quibus profecto intelligimus, quantum lex hæc novo regimini firmando, moribuſque civium ſanandis congrueret. Neque enim quidquam Monarchiæ adverſatur magis, quam vis ſive publica, ſive privata, in vitam, libertatem, pudicitiam, atque in bona Civiam illata. Quum autem hujus legis pœna aſperior, ut ſupra dixi, ſit, nempe ut illius metu homines ab inferenda vi deterrerentur, haud fere minor in vi privata, quam in publica videtur.

Etenim ſi acerbum nimis erat civilibus commodis orbari, atque ex illa Urbe, ubi Imperii majeſtas verſabatur, ad infeliciſſimam quamdam Inſulam dejici; minus profecto dura videri non poterat in vi privata publicatio tertiæ partis bonorum, & infamia, ſi expenderis, quanti per id tempus eſſet jus Civitatis, & Romanorum aviditas in honoribus appetendis, ſub novo potiſſimum regimine, ubi Auguſtus novos in dies creabat Magiſtratus, in ſpeciem quidem veteribus honeſtiores, re autem vera, qui novo regimini convenirent. Ex quibus profecto omnibus hac pœna damnati, ſi Magiſtratus eſſent, qui vim intuliſſent, excidebant; ſi vero privati perpetuo repellebantur. Hæc ſunt quæ ad noſtræ legis intelligentiam putavi explicanda. Sed e memoria prorſus exciderat quid innuant verba illa Tranquilli in hac lege inſerta, & ſuperius relata (*ergaſtula recognovit . . . Diuturnorum reorum, & ex quorum ſordibus nihil aliud quam voluptas inimicis quæreretur, nomina abolevit*) exponere. Sane omni procul dubio laudatus Auctor jus privati carceris, quo creditores in debitores ſuos utebantur, ab Octavio abrogatum oſtendit: nam ſi in legem peccabat, qui per vim creditum repetebat, ſuaque auctoritate vindicabat, dixeris ſane privatum carcerem vetitum, nec profecto præter rem. Si enim jus hoc cum democratico regimine conveniebat, quum Majeſtas penes Populum maneret, nequaquam vero affirmari id debet ſub Monarchia, ubi jus vitæ, & necis, atque in omnium ſtatum poteſtas penes unum reſidere debet.

§. V.

Digitized by Google

§. V.

Ad legem Juliam de adulteriis, quidque sit adulterium, & a quibus committatur.

JAm ad legem Juliam de adulteriis coercendis pervenimus. Sed præ omnibus velim advertas, quam rationem tenuerit Augustus in legibus condendis, ut civium felicitati consuleret, & novi regiminis firmitatem stabiliret. Primo quidem leges ad Civitatis tutamen, ornatumque tulit, ut curam illius præseferens, omnes ad sui amorem alliceret; deinde per legem Juliam, & Papiam omnem vim adhibuit, ut Urbem civibus, factionum furore exhaustam, repleret, ærarium jamdiu expilatum locupletaret, atquè a vaga venere ad matrimonii castitatem civium mores, metu pœnarum, & præmiorum spe, impelleret. Hinc munita per has leges ad bonam frugem via, vim publicam, & privatam coercuit, ut quies sarta tecta foret. Sed incassum hæc omnia, si matrimonii castitas polluatur, si fallatur conjugi fides, si familiarum deturpetur splendor, atque aliena soboles per adulterium supponatur. Si enim non stat fides conjugalis, quænam reliqua erunt integra? Quænam dissidia, bonorumque jactura non oborietur? Itaque jure merito Augustus postquam a venere vaga Cives avertit, & vim repellere conatus est, matrimonii castitatem intemeratam servari per legem nostram jussit; quum & in ceteris rebus tranquillitas esse minime possit, ubi adulteria perpatrantur.

Quum igitur tot tantaque mala ex adulteriis proficiscantur, quid mirum si apud gentes omnes gravissimis pœnis hoc in crimen animadversum sit? Illud autem puniri non tam scripta lex, quam ratio omnibus insita suadet. *Nec si, regnante Tarquinio* (a), *nulla erat Romæ scripta lex de stupris, iccirco non contra illam legem sempiternam Sextus Tarquinius vim Lucretiæ attulit. Erat enim ratio profecta a rerum natura, & ad recte faciendum impellens, & a delicto avocans, quæ non*

(a) *Cic. lib. 2. de L. L. cap. 4.*

non tum denique incipit lex esse cum scripta est. Orta est autem simul cum mente Divina. Hinc jure merito ubique terrarum criminum gravissimum adulterium existimatum fuit, vel apud gentem illam, quæ libidini maxime indulgeret, ut Parthi fuere, apud quos nihil prorsus pœnis plectebatur, præter quam adulterium (*a*). Lacedæmonios, si quem diris devoverent, nulla alia imprecatione usos literis proditum est, quam ut adulterio domus ejus fœdaretur (*b*). Apud Græcos omnes receptum fuit, ut adulteri impune possent occidi. Hæc quum ita sint, haud reor ante legem nostram nullam aliam Romæ fuisse contra adulteros. Etenim Marci Catonis Gellius (*c*) nobis hæc verba servavit: *In adulterio uxorem tuam si deprehendisses, sine judicio impune necares: illa te, si adulteares, digito non auderet contigere, neque jus est*. Sed nos rem paullo altius more nostro repetentes, viro, ex Romuli instituto, jus necis in adulteram fuisse, dummodo rem cum cognatorum consilio peregisset, facile affirmamus. Nam quum Romulus occidi mulierem permisisset, quæ vinum bibisset, qui proximus intemperantiæ gradus a vino ad venerem inconcessam esse soleat; fas erit hinc colligere, & adulteram potuisse a viro occidi. His præmissis, rem ipsam pertractamus.

Quantum Romæ Augusti tempore impudicitia ferveret, fat est in comperto: nam lege hac nostra vulgata, ne ipsius quidem legislatoris domus procul erat ab adulteriis; quum & filiæ, & neptis adulteria adeo permota essent omnibus, ut Principi legis nostræ pœnam vel in suos exercere opus fuerit. Necesse igitur maximopere fuit legem condere, ut cohiberetur impudicitiæ licentia. Etymon adulterii quod attinet, mirum quot in origines se traxerint Grammatici. Sed quia nos, vocularum notationibus prætermissis, de rebus magis solliciti sumus, certum habemus adulterare pro corrumpere acceptum esse, ut quum dicimus adulterinos nummos, pecuniam adulterare. Est igitur adulterium vitiatio, ac corruptio ejus, quæ al-

(a) *Justin. lib. 4. cap. 3.*
(b) *Suida verb. adulter.*
(c) *Lib. X. cap. 23.*

Digitized by Google

alteri nupta est. Hinc justæ nuptiæ ubi sunt, ibi & adulterium, si conjugis frangatur fides. Itaque quum penes Romanos inter servum, & ancillam non nuptiæ intercederent, sed contubernium; ea de causa in corruptorem ancillæ non pœna adulterii, sed injuriarum, vel legis Aquiliæ animadvertabatur. Sed pro muliere nupta intelligo eam, quæ honeste vivit, pudicitiamque suam minime prostituit, aut artem ludicram exercet: quæ omnia quum longiori disquisitione indigeant, opus est, ut a fontibus suis repetantur.

Ignominiosæ feminæ sunt, quæ stola matronali, idest, pudore, abjecta lenocinium faciebant, artemque ludicram, sive operas suas in scenam saltandi, vel cantandi causa locabant. Erant autem ejusmodi femellæ a pœna legis nostræ immunes; dummodo tamen apud Ædilem nomen suum professæ essent: putabant enim antiqui, satis posse effrenem mulierum impudicitiam coerceri, si cogerentur eam publice, non sine turpi nota, penes Ædilem profiteri. Si vero nec id quidem impediret, quominus mulier improbam hanc professionem iniret, lex eam tolerabat, habebatque immunem a pœna. Verum quum multæ ad evitandam legis Juliæ pœnam, utque luxuriarentur impune, hanc professionem facerent, vel in scenam operas locarent, vel lenocinium exercerent; provide S. C. sub Tiberio provisum, ne hæc fraus extra legem esset. Ita autem rem hanc enarrat Tranquillus sub Tiberio: *Famosæ feminæ, ut ad evitandas legum pœnas, jure, ac dignitate matronali exolverentur, lenocinium profiteri cœperant: & ex juventute ordinis utriusque profligatissimus quisque, quominus in opera scenæ arenæque edenda S. C. tenerentur, famosi judicii notam sponte subibant: Eos, easque omnes, ne quod refugium in tali fraude cuiquam esset, exilii pœna affecit.* Verum quamvis eæ, quæ professionem hanc iniissent, extra pœnam legis fuerint; non tamen omnibus sine discrimine impudicitiam profiteri licebat, sed illis tantum, quibus Ædilis indulgebat, vilioribus nempe quibuscumque. En verba Taciti (a): *Eodem anno gravibus Senatus decretis libido feminarum coer-*

(a) II. *Ann.*

coercita, cautumque ne quæſtum corpore faceret, cui avus aut pater, aut maritus eques Romanus fuiſſet. Nam Viſtilia prætoria familia genita, licentiam ſtupri apud Ædiles vulgaverat, more inter veteres recepto, qui ſatis pœnarum adverſus impudicas in ipſa profeſſione flagitii credebant. Exacta eſt a Titidio Labeone cur in uxore delicti manifeſta ultionem legis omiſiſſet? atque illo prætendente, ſexaginta dies ad conſultandum datos nec dum præteriiſſe ſatis Viſum de veſtilia ſtatuere eaque in inſulam ſeripbon abdita eſt. Ex quibus vide non omnibus per S. C. datum ut impudice viverent, etiamſi id profeſſæ fuerint, ſed iis tantum quibus lex non obſiſteret. Itaque ut vela contrahamus, erant extra legem illæ, quæ pudicitiam ſuam vulgaverant, artemque ludicram extra fraudem profeſſæ fuerant. Sed quæ ſupra dicta ſunt velim intelligas de vetuſto Romanorum jure, nam jure novo, quum nuptiæ iniri poſſent cum lena, ſcenica, & tabernæ famula, iſtæ quidem adulterium patrabant, ſi fidem conjugi fallerent; ibi enim adulterium eſt ubi matrimonium intercedit: quod ſane vidit Sex. Cæcilius, in cujus ore frequens illud erat *legem Juliam ad omnia matrimonia pertinere, nec ſolos Atridas amare uxores ſuas.* Sed nos ultra progrediamur.

Quæſtio moveri ſolet, an, ſi uxor pudicitiam vulgo proſtituerit, incidat in adulterii crimen, qui cum ea rem habuerit. Sane heic pugnare videntur Ulpianus, & Diocletianus; nam hic in *lege* 22. *hoc tit.* ait, *ſi ea quæ ſtupro tibi cognita eſt, & paſſim venalem formam exhibuit, ac proſtitutam meretricio more vulgo ſe præbuit, adulterii crimen in ea ceſſat.* Sed contra Ulpianus ſcripſit *in l.* 13. §. 2. *hoc tit.* . *Sed in ea uxore poteſt maritus adulterium vindicare, quæ vulgaris fuerit.* Quam antinomiam antequam componamus, brevi exponendæ ſunt futiles Pragmaticorum opiniones. Quidam crediderunt (*a*) primum mulieris corruptorem adulterii pœna teneri, ceteros vero deinceps minime; quum extra ordinem, & mitius puniendi ſint, ipſa muliere excepta, quæ ſemper ut adultera exiſtimatur, ſed rectius tradidit Doctiſs. Anton. de Mat-

[a] *Clar. d. adulter. Farinac. quæſ.* 14.

Matthæi Doctorum facile Princeps opinionem hanc a fori cancellis, quibus aliquando hæsit, prorsus eliminandam, hac innixus ratione. Ibi adulterium est, ubi uxor corrumpitur. Sed matrimonium nec per unius, vel alterius, ne per multorum quidem adulteria solvitur, sed jure civili per sententiam tantum Judicis, postquam scilicet maritus inscripserit in mulierem, probatoque crimine uxori repudium miserit, ut ex novella 117. *cap. VIII.* §. 2. Igitur mœchi erunt omnes, qui cum alterius uxore rem habuerint. Atque hoc, ne in procacis feminæ potestate sit flagitiis suis solvere sanctissimum matrimonii vinculum, & multis vectoribus receptis posteriores de pœna legis subducere. Verum qua ratione Ulpianum cum Diocletiano conciliabimus? Hac quidem distinctione inter mulierem, quæ marito deserto, passim, & sine delectu meretricio more se prostituit, & eam, quæ stupratoribus quidem corpus committit, non tamen maritum deserit, nec passim, nulloque habitu delectu. Atque in priori quidem specie crimen adulterii cessat, in posteriori vero minime. Quæ sane præclara conciliatio ipsius laudati Auctoris est, & a me ejusdem verbis exscripta. Quæ autem dixi de matrimonii nempe solutione per adulterium, velim accipias de jure tantum civili, non vero de Canonico, quo per adulterium quoad torum tantum, minime vero quoad vinculum matrimonium dissolvitur.

Ab justis uxoribus ad injustas gradum faciamus, ut, an adulterium & in iis sit, videatur. Porro ea injusta dicebatur uxor, quæ sine legitimis solennitatibus ducta erat, nempe si non accepta aqua, & igni, vel sine coemptione; erat etiam uxor injusta, quam uxorem ducere jura non sinebant, ut si peregrina, vel a peregrino civis ducta sit, si minor duodecim annis, vel ea, cum qua incestum committitur, vel filia familias, sine parentum consensu. His prælibatis cum ipso Ulpiano (a) sic dicamus. *Plane sive justa uxor fuit, sive injusta, accusationem instituere vir poterit. Nam ut Sen. Cæcilius ait, hæc lex ad omnia matrimonia pertinet.* Itaque quamvis legis nostræ verba ad justam uxorem summo jure videan-

(a) *L. si uxor §. 1. D. ad l. Jul.*

tur pertinere, attamen conniventibus oculis, ea etiam ad injusta matrimonia proferuntur, ut tamen vir accuset mulierem jure extranei, non jure mariti, ut & ipse Ulpianus subdit in eadem lege §. IV. Sed quid de sponsa? Idem profecto affirmandum, Ulpianus enim expresse ait §. III. ibidem. *Divi Verus, & Antoninus rescripserunt, etiam in sponsam hoc idem vindicandum: quia neque matrimonium qualecumque, nec spem matrimonii violare permittitur.* Sic autem Deus loquutus est per Oseam IV. v. 13. (a): *filiæ vestræ fornicabuntur, & sponsæ vestræ adulteræ erunt.* Quem locum exponens Hieronym. in *cap. quapropter* 27. quæst. 1. apud Gratian. ait. *Notandum est quod in filiabus dicit fornicationem futuram, in conjugibus adulteria, quæ sponsali conventione initiantur, & commixtione corporum perficiuntur.* Sunt igitur sponsæ quasi initiatæ conjuges, ut qui eas violet, conjugium ipsum offendere videatur. Sed velim advertas quam proclive sit in jure errare, si rerum origines ignorentur.

Etenim vir apprime doctus Covarruv. acriter tenet non esse adulterium, si forte violatur sponsa de futuro, bene vero de præsenti. Quo præmisso discrimine credidit Ulpianum de adulterio in sponsa per verba de præsenti intelligendum esse. Sed quam inepta hæc distinctio? si is antiquum nuptiarum morem pernosset, haud quidem tam manifesto errasset. Nam sponsæ apud veteres a spondendo dictæ sunt, eoquod solemne apud eos erat ante initum matrimonium uxores spondere, hoc est futuras stipulari. Quapropter quum penes Ulpianum aliud sponsalia non sint, quam mentio, & promissio futurarum nuptiarum, id excogitavit Covar. quod directe eidem Jurisconsulto adversatur. Dura sane provincia est, jus Romanum pernosse, si ab historia mens aliena sit.

§. V.

(a) *IV. ver.* 13.

Digitized by Google

§. V. & ULTIMUS.

De adulterii pœna, & quinam de eo accuſare poſſint.

JAm diſſeruimus quid ſit adulterium, quive & quæ adulterii teneantur, reliquum eſt ut nunc ſermonem inſtituamus de pœna adulterii. Sane pœna hæc alia ab aliis ad Juſtinianum uſque inflicta fuit; ſed quum nos de Auguſtali juriſprudentia diſſerere polliciti ſumus, in hac tantum, ne a propoſito diſcedamus, immorabimur. Concors eſt eruditorum opinio legis Juliæ de adulterio pœnam fuiſſe relegationem. Neque mireris quod dixerit Tribonianus capitis pœnam: ſiquidem id huic in more fuit, ut in legibus pœnalibus, ſi quid forte acerbius a Juſtiniano ſancitum fuerit, id plerumque veteribus tribueret; atque hoc, ne Imperatori ſuo crearetur invidia. Ceterum excidit e Triboniani memoria illud Papiniani reſponſum *in l. Claudius* 13. *de bis, quæ ut indignis*, ubi Mævius dicitur damnatus adulterii duxiſſe Sempronıam uxorem non damnatam, eamque heredem inſtituiſſe, quod ſane fieri non potuiſſet, ſi morte naturali adulter puniendus fuiſſet.

Sed heic inveſtigare animum ſubit, cur in Romanorum mores adeo tunc temporis in luxuriam debacchantes, mitior hæc pœna, quæ nec libertatem, neque Civitatem adimeret, fuerit ſtatuta. Et quidem lex pœnalis quum ea eſſe debeat, ut peccandi voluptatem exſuperet, per quam ſcilicet homines metu majoris mali quam voluptas peccandi ſit, deterriti ſe ſe a flagitiis abſtineant, dixeris relegationem hanc non tanti fuiſſe, ut mores Romanorum ſanare poſſet; ſed ſecus judicaveris, ſi Auguſti ingenium introrſum inſpicias, ſic enim ille in pœnis inferendis adniſus eſt, ut eæ in ſpeciem mitiores viderentur, re autem vera tanta acerbitate eſſent, quanta opus eſſet ad corruptos mores ad frugem redigendos. Itaque quamvis relegatio levior in adulteros pœna videatur, ſpectatis tamen Urbis deliciis, a quibus aberant, & rerum omnium penuria, in quam incidebant, non poterat quin aſ-

Digitized by Google

perior existimaretur. Jure igitur merito ejus acerbitatem poeta accusat (a).

Qualis erat nuper tragico pollutus adulter
Concubitu: qui tum leges revocabat amaras.
Omnibus, atqui ipsi Veneri Martique timendas.

Sed ut res magis pateat, huc Tranquilli verba appositissima afferre duxi. Is enim relegationem Augusti filiæ, & neptis enarrans sic scripsit (b). *Relegatæ usum vini, omnemque delicatiorem cultum ademit, neque adiri a quoquam libero, servoque, nisi se consulto, permisit, & ita ut certior fieret, qua is ætate, qua statura, quo colore esset, etiam quibus corporis notis, vel cicatricibus.* Ex quibus vide quantum acerba Romanis fuerit relegatio. Siquidem pœnas non ex nostris moribus, sed pro ea tempestate, in qua latæ sunt, expendamus oportet.

Sed præter hæc singularia quædam sunt in lege nostra ad pœnam in tanti flagitii reos adaugendam. Nam vindicem illum gladium, quem Augustus & Patri in filium, & domino in servum in nova hac Reipublicæ forma abstulerat, patri in filiam, ejusque adulterum, & in lenones in ipso scelere deprehensos viro concessit, ut ita mortis imminentis metus, mulieres, adulteros, atque lenones ab hoc flagitio absterreret. Præter hæc adjecta est infamia, atque amissio dotis, qua mulier plectebatur, de quibus sane omnibus singulatim agendum est. Permittitur patri adulteræ, ut occidat adulterum quemlibet domi suæ, vel generi in ipsa turpitudine, actuque obscæno, ipsoque in opere perpatrando deprehensum, modo simul cum adultero eodem impetu interimat & filiam. Quam ingentem sane potestatem ideo lex indulsit patri, quia eum parcius ea usurum persuasum erat. Num enim suæmet sobolis amor sinit, ut occidat adulterum, si & filia simul interficienda est? Quamvis domus suæ ignominia, atque ira in adulterum excandescens animum ejus vehementer exasperent, vincit tamen procul dubio sanguinis sui caritas, quæ ut parcat adultero, suadet, quum plus sibi ex filiæ

(a) *Juvenalis saty.* 2. *ver.* 29.
(b) *Octav. cap.* 65.

Digitized by Google

filiæ morte lugendum esset, quam ex morte adulteri exultandum. Hæc de patre lex sanxit, quæ quum sit pœnalis, minime extenditur ad Avum, neque filiam emancipatam complectitur.

Ceterum potestas hæc uxorem interficiendi adulterumque viro facta non est, quum nulla cognati sanguinis inter hos intercedat caritas, ut credere liceat virum, ut mulierem servet, non interfecturum adulterum: adeo enim dolor recentis injuriæ amorem conjugalem evertit, ut nihili pendat uxoris vitam, dum ne viventem relinquat suæ ignominiæ auctorem. Itaque vir neque adulteram, neque adulterum occidere poterit, secus vero lege Cornelia de sicariis tenebitur, aliqua tamen adhibita lenitate. Nam Imperatores aliquanto iræ parcentes exulcerati conjugis mitigavere pœnam, censueruntque eum in opus perpetuum tradendum, si esset humilior, honestiorem vero in insulam relegandum. Sed quamvis vir interficere nequeat adulterum, excipiendæ tamen sunt personæ turpes, nempe lenones; qui artem exercebant ludicram, qui lucri causa in scænam producebantur, quique demum per Prætoris edictum infamia notati erant. Hos profecto impune potest maritus interficere, verum non ubique, sed domi suæ deprehensos, ubi scilicet pudicitia prostituta magis ejus animum exulcerat. Quapropter Quintilianus (a) ait. *Occidisti adulterum, quod lex permittit, sed quia in lupanari cædes est;* sed adultero occiso, statim a se dimittere debebat uxorem, ne non tam honestatis, quam ultionis causa videretur hominem interemisse, quod leges vix ferrent. Sed quum quos interficere licet, magis eos fas sit membro aliquo mutilare, sæpe mariti adulteros, aliosque criminis hujus conciliatores membris detruncabant. Ex quo sane more quum Poetæ dicteria, jocosque struxerint, ad hæc liceat nobis ex his pauca quædam excerpere, Horatius ita (b)

Hic se præcipitem, tecto dedit, ille flagellis
Ad mortem cæsus, fugiens hic decidit acrem
Prædonum in turbam: dedit hic pro corpore nummos
Hunc

(a) *Lib. V. cap. X.*
(b) *Lib. 1. serm. saty. 2. ver. 41.*

Digitized by Google

Hunc perminxerunt calones: quin etiam illud
Accidit, ut quidam teſtes, caudamque ſalacem
Demeteret ferrum. Jure omnes, Galba negabat. & Martial. (*a*).

Quis tibi perſuaſit nares abſcindere mœcho?
Nil hac peccatum eſt parte marite tibi
Stulte quid egiſti? nihil hic tua perdidit uxor.
Cum ſit ſalva tibi mentula Deiphobii

Et Plautus omnium lepidiſſime (*b*).

Facio, inquit, *quod Mœchi non ſolent*
Salva vaſa, domum reporto, ubi vaſa ſunt virilia, quæ aliquando mœchis amputabantur, unde Terentius in Eunuch.(*c*) *minatur id quod mœchis ſolet.*

Præter hæc mulier adultera dotis jacturam patitur, nam maritus ſibi retinet dotem, donationem propter nuptias, & ex paraphernis tantam partem, quanta eſt tertia dotis, dummodo tamen ipſe leno non fuerit, quod ex jure ante legem Juliam proficiſci ſcribunt eruditi, nempe ex veteri judicio, quod de moribus appellabatur, quoque uxor ob detectam ejus turpitudinem ſexta dotis parte multabatur, vel octava, ſi turpitudo eſſet levior, quæ actio, quia per legis Juliæ judicium ſilebat, ideo pœna illius in legem ipſam Juliam conjecta eſt. Nolim tamen intelligas virum totam dotem ex veteri lege Julia, prout fuit ab Auguſto perlata, retinuiſſe. Nam pars tantum illius penes maritum manebat; reliquam Fiſco occupante, quamvis ex inſequentibus Principum Conſtitutionibus totam deinde vir perciperet. Habet etiam hoc crimen in accuſatione ſua multa ſingularia, quum ex lege noſtra accuſandi facultas daretur omnibus, quia judicium publicum erat. Maritus, & pater accuſabant, ut injuriam ſuam ulciſcerentur; extranei vero ut publicam honeſtatem tuerentur. Sed maritus neque uxorem, neque adulterum accuſare poterit, niſi ante uxorem dimiſerit, deinde vero electio ſibi erit, utrum adulteram, an adulterum corripere velit. Poteſt tamen maritus non ſecus ac pater, vel jure mariti, ſive patris

(a) *Lib.* 3. *epig.* 84.
(b) *Actio. IV. Scæn.* 2. *ver.* 40.
(c) *Act. V. ſc. V. ver.* 15.

Digitized by Google

tris accuſare, vel jure extranei; ſi primum, ambobus ſexaginta dies præſtituti ſunt, quibus elapſis querelam ſtruent jure extranei. Diſcrimen autem ingens eſt; nam jure mariti, vel patris accuſantes ceteris omnibus præferuntur, nec calumniæ pœnam, ſi crimen non probaverint, timebunt, quum nec inſcribere trepidanti ſtilo teneantur. Cur enim criminaberis eos de calumnia, quos juſto tactos dolore ad accuſandum impulſos credas? Minor etiam ſui matrimonii injuriam perſequuturus accuſare poterit; nequaquam vero ſi qua ſibi comperta ſit alienarum uxorum violatio, ne inconſultæ ætatis calore paſſim matrimonia turbentur. Item prohibet lex Julia ſervos adulteræ, vel Patris ejus intra ſexaginta dies manumitti, ne de quæſtione ſubducantur. Hæc ſunt quæ de hac lege dicere habui. Conſtitutiones enim inſequentium Principum, quæſtioneſque a Pragmaticis interjectas lubenter omitto, quum inſtituti mei ratio, ut dixi, ſit Auguſtalem Jurisprudentiam ex publico tunc temporis regimine, atque ex Populi moribus exponere. Sed velim advertas Auguſtum per legem hanc non tantum adulteria, ſed & ſtuprum, inceſtum, & quæcumque alia impudicitiæ monſtra prohibuiſſe, nam quum id in votis haberet, ut deperditam in luxuria Civitatem ſanaret, par erat ut ejus ſpecies omnes vetaret. Porro legi noſtræ præluſiſſe mihi videtur Plautus quamvis diu ante Auguſtum vixerit. Sic enim hic in Curcul. A. I. S. I.

Ita tuum amorem conferto ſemper ſi ſapis,
Ne id, quod ames Populus ſi ſciat, tibi ſit probro.
Semper curato, ne ſis inteſtabilis,
Quod amas, amato teſtibus præſentibus.
Ph. Quid iſtuc eſt verbi? Pa. Caute ut incedas via:
Ph. Quin leno hic habitat. Pa. nemo hinc probibet,
nec vetat
Quin quod palam eſt venale, ſi argentum eſt, emas.
Nemo ire quenquam publica prohibet via.
Dum ne per fundum ſeptum facias ſemitam,
Dum te te abſtineas nupta, vidua, virgine
Juventute, & pueris liberis, ama quid lubet.

Verum ad abſolutam rei hujus tractationem duo mihi expendenda ſuperſunt, ex quibus quantum Princeps noſter ad-

Digitized by Google

adnisus fit, ut ad castitatem, ac pudicitiam Cives suos revocaret, pateat. Sunt autem hæc tum prohibitio ex ipsa lege Julia de adulteriis ne fundus dotalis Italicus alienaretur a viro, invita uxore, vel ea consentiente pignori obligaretur; tum S. C. Vellejanum, quo cautum ne uxor pro viro intercederet. Sed quid hæc ad pudicitiam? Maxime, nam quum per id tempus divortia essent frequentissima, periculum sane erat, ne vir dote deperdita mulierem domo expelleret. Itaque hoc modo frenum quoddam divortiis, ex quibus ad impudicitiam transitus fit, injectum est. Jure igitur merito caput hoc de *fundo dotali Italico* legi Juliæ de adulteriis additum est a Paullo *recep. sent.* II. 21. quippe quod unum idemque argumentum respicit. Eadem est ratio, cur per legem Papiam statutum, ut divortium nonnisi coram septem testibus fieret, nempe ut favore castitatis conjugalis divortiorum libertas coerceretur. Sed lex prohibuit fundum Italicum alienari invita uxore, quia si fundus esset in solo Provinciali, nulla uxori vel consentienti potuisset nocere alienatio, quum proprietas esset Populi Romani, ac proinde nullus daretur locus usucapioni contra mulierem dotem suam vindicantem. Additur obligari fundum dotalem non posse, ne uxore quidem consentiente, mulieres enim sicut difficilius ad alienandum inducuntur, sic proniores sunt ad obligandum.

Sed de S. C. Vellejano magis sollicitus sum, cur nempe prohibitio ne mulier pro viro intercedat, pudicitiæ servandæ profit. Sane sub Augusto primum mulierum fidejussionibus cautum, dubitare nos minime sinit Ulpianus, qui sic ait (a). *Et primo quidem temporibus D. Augusti, mox deinde Claudii edictis eorum erat interdictum ne feminæ pro viris suis intercederent. Postea factum est S. C. quo pleniſſime feminis omnibus subventum est.* Non me latet per hoc mulierum facilitati, qua pro viro, aliisque intercedunt, prospectum esse, sed præter id earum etiam honestati consultum esse docent Jurisconsulti, Ulpianus enim sic ait (b) *Feminæ ab omnibus officiis civilibus, vel publicis remotæ sunt; & ideo nec ju-*

(a) *L. 2. D. ad S. C. Vallej.*
(b) *L. 2. D. de regulis juris.*

Digitized by Google

judices esse possunt: nec magistratum gerere: nec postulare: nec pro alio intervenire, nec procuratrices existere. Itaque prohibita est mulierum intercessio, non tam propter infirmitatem consilii, quam ut earum pudicitia servaretur, ne virilibus officiis sese miscentes honestatem suam in discrimen conjicerent. Hinc scripsit Callistratus (a) *feminæ remotæ videntur ab officio argentarii, quum ea opera virilis sit.* Quæ quum ita sint, dixeris sane omnem Augustum adhibuisse curam, ut mulieres servarent pudicitiam, atque ideo virilia officia eas exercere vetuisse, inter quæ merito intercessiones pro viro enumerantur.

CAPUT XI.

De regiminis Provinciarum forma ab Augusto institutæ, legibusque pro eisdem latis.

HActenus edisseruimus de legibus Augusti; quæ regimen Civitatis, Civiumque mores respiciunt. At vero quum iis Provinciæ non tenerentur, nisi expressis verbis intra earum statuta comprehensæ essent, par ideo est, ut expositis Imperatoris nostri constitutionibus, quæ ad Urbem pertinent, ad eas deveniamus, quæ Provincias respiciunt, non minus enim illæ, quam istæ novo regimini respondere debebant. Sed ante omnia advertendum est, Urbanas leges eo fuco oblitas, ut pristinam libertatem servare viderentur, atque id ad invidiam immutatæ Reipublicæ avertendam: Provinciales vero nullo prope arcano involutas. Provincialium enim hominum parum profecto intererat, uni magis, quam pluribus parere, modo in duriori conditione non essent. Itaque Augusti studium, quod ad Provincias, in eo tantum versabatur, ut illarum incolæ ab inopia, ad quam redacti fuerant Magistratuum avaritia, sublevarentur, atque ut Consules, & Prætores, quibus earum cura credebatur, non ea militum vi, divitiarumque copia pollerent, quibus novas res molirentur. Itaque in Provincialibus Augusti legibus recensendis, id mihi

(a) *L. 11. D. de edendo.*

erit curæ, ut palam faciam Principis noſtri ſtudium, quo homines illi ad conditionem meliorem redigerentur, coercita nempe legibus ſuis Præſidum avaritia, atque eorumdem poteſtate, ne quid inde timeret, minuta. Sed quum hæc omnia ſatis a me exponi nequeant, niſi antea ſpecimen veluti quoddam Provinciarum florente Republica tradatur, inde propterea exordiri ratus ſum, ut oſtendam non Urbis tantum, ſed & Provinciarum formam novatam, ut cuncta exorienti Monarchiæ apte congruerent.

§. I.

De antiquo jure Provinciarum.

EA fuit Romanorum in victos mira ſolertia, ut magis humanitatis officiis, quam armorum vi, atque metu eos regerent. Hinc penes eosdem conſuetudo invaluit, ut duriori, aut meliori loco haberentur, qui magis, minuſve eorum arma defatigaſſent. Hinc profecto ortum eſt varium illud jus coloniarum, municipiorum, Præfecturarum, Provinciarumque prout cujuſque gentis meritum poſtularet, aut rerum novarum metus ſuaderet. Sed in Orbe Romano duriſſima erat conditio Provinciarum, quæ ſuis fortunis, legibus, Magiſtratibusque expoliatæ ab arbitrio victoris pendebant. Nolim tamen ex hoc inferas adeo Provinciales preſſos, ut omnia per fas, perque nefas in eos, prout adluberet Præſidi, licerent. Vide quam ſalutaria præcepta ſapientiſſimus ille Romanorum Tullius Q. Fratri tradiderit. *Non itineribus tuis* (ait) *perterreri homines; non ſumtu exhauriri; non adventu commoveri; eſſe quocumque veneris & publice, & privatim maximam lætitiam, quum Urbs cuſtodem, non tyrannum; domus hoſpitem, non expilatorem recepiſſe videatur, & denuo. Præclarum eſt ſummo cum imperio fuiſſe in Aſia triennium, ſic ut nullum te ſignum, nulla pictura, nullum vas, nulla veſtis, nullum mancipium, nulla forma cujusquam, nulla conditio pecuniæ (quibus rebus abundat illa Provincia) ab ſumma integritate, continentiaque deduxerit.*

Ait Feſtus, *Provinciæ appellantur, quod Populus Romanus*

Digitized by Google

nus eas provicit ideſt ante vicit. Itaque victor profligatis hoſtibus, debellatiſque rem hoc modo componebat. Nuncios de parta victoria cum haſtis laureatis, litteriſque lauro involutis Romam mittebat, conſulebatque Senatum, quas leges victis dari placeret. Senatus vero decem mittebat Senatores, ex quorum conſilio Imperator de hoſtium fortuna ſtatueret. Tum ille legatos hos conſulendo victis certas leges præſcribebat, & Civitatibus aliis de Populo Romano benemeritis ſuis legibus, atque Magiſtratibus uti indulgebat, alias vero omnibus his, bonisque exſpoliabat. Quidquid autem Imperatori legatos conſulenti viſum eſſet, ſilentio per præconem indicto publice Civibus omnibus indicebatur, qua re abſoluta ille Romam properabat relicto aliquo, qui præeſſet. Atque hoc eſt in Provinciæ formam redigere. Sed iſtiusmodi leges in triplici verſabantur differentia; alias enim victor dabat ex legatorum conſilio, quas Præſidibus deinde obſervandas tradebat, ferebant alias Romani, illas ſcilicet, quibus & Provinciales tenebantur: aliæ demum ſunt, quas Præſides ſub auſpicio Magiſtratus Edictis ſuis condebant, quibus edicebant, quo ordine, quaque ratione jus de rebus ad jurisdictionem ſuam pertinentibus dicturi eſſent. Præter hæc vectigalia erant, quæ Romanis Provinciales pendebant. Sed ex Magiſtratuum potiſſimum Edictis jus Provinciale ortum eſt, in quibus concinnandis ſic ſe gerebant. Quædam ex Prædeceſſorum Edictis in ſua transferebant, quæ propterea *Tralatitia* dicebantur, quædam ex edictis Urbanis excercebant: alia demum pro temporum rerumque conditione ipſi nova adjiciebant, ut quæ ad adminiſtrationem Provinciæ, ſumtus, & rationes Civitatum, pactiones cum publicanis, uſuras, ſyngraphas, hereditates, poſſeſſiones aliaque hujusmodi pertinebant. Quæ profecto omnia quum elegantiſſime Tullius proſequutus ſit, ejus verba non ſunt prætermittenda (*a*), *Romæ* (inquit) *compoſui edictum, nihil addidi, niſi quod publicani me rogarunt, quum Samum ad me veniſſent, ut de tuo edicto totidem verbis transferrem in meum*. (En partem tralatitii Edicti) *diligentiſſime ſcriptum caput eſt, quod pertinet ad minuendos ſumtus Civitatum,*

(a) *Epiſt. ad Famili.* III. 8.

quo in capite sunt quædam nova salutaria Civitatibus, quibus ego magnopere delector. Atque hæc est pars Edicti novi. Tertiam vero partem ex eodem habes ad Atticum VI. I. *breve* (inquit) *edictum est, quod duobus generibus edicendum putavi: quorum unum est provinciale, in quo est de rationibus Civitatum, de ære alieno, de usuris, de syngraphis: in eodem omnia de publicanis, alterum quod sine edicto satis commode transigi non potest de hereditatum possessionibus, de bonis possidendis, magistris faciundis, vendendis, quæ ex edicto postulari, & fieri solent*, tertium *de reliquo jure* dicundo *reliqui*. Dixi me *de eo genere mea decreta ad Edicta Urbana accomodaturum*. Ex quibus intelligis totius Edicti partes, & quæ in illis continerentur, secundum quæ Præses jus diceret.

Verum quia Provincia non legibus tantum suis privabatur, sed etiam Magistratibus, iisque parere debebat, quos eo Roma mittebat, post leges Provinciales, reliquum est ut de Magistratibus nonnulla disseramus. Eorum, qui in singulas Provincias mitti solebant, alter generali nomine Præses nuncupabatur, alter vero Quæstor. Præsidum officio initio Prætores functi sunt, sed deinde, si quod grave immineret bellum, Consulibus Provincias regendas tradere mos fuit. Hinc nata divisio, ut Provinciæ aliæ essent Prætoriæ, Consulares aliæ, prout Prætoribus, vel Consulibus committerentur. Sed sub Augusto, qui cuncta in speciem pristinæ libertatis, ad novum regimen componere studebat, alia nomenclatio inolevit. Nam quum is Provincias partitus esset cum Senatu; huic pacatiores, ut immunis esset ab omni cura, & labore, quemadmodum simulabat, tradidit; sibi autem bellicosiores reliquit, ubi scilicet vis militaris versari debebat: haud enim voluit, ut legiones sub Senatus potestate essent. Quos autem Senatus mittebat, ii Proconsules veteri vocabulo in vetustæ libertatis honorem appellati sunt. Sed ab Imperatoribus missi varie dicti modo *legati Augusti*, *Proconsules*, *vel Proprætore*, *Præfecti Augustales*; *Legati Cæsarum*, *modo Consulares*, *Correctores*, *Juridici*. His omnibus prælibatis, ac veluti confuse potius collectis, quam ordine suo enarratis opportunum jam est rem ipsam aggredi, atque ex dictis patefacere, quid novi induxerit Augustus, ut cuncta nascenti Monarchiæ congruerent. §. II.

Digitized by Google

§. II.

De jurisdictione, & imperio Præsidum, Quæstorumque in Provinciis.

QUum Romani Principatus in Provinciis fere robur esset, tum ob vim militarem, quæ ibi versabatur, tum ob annua vectigalia, quæ a Provincialibus ad ærarium pensitabantur, sane illarum administratio libera Repub. in Populi potestate erat; deinde vero in Senatus, vel Optimatum quorumdam manum pervenit, prout cujusque valeret auctoritas. Sed rem ab origine sua repetendo invenio quotannis olim Consulibus, & Prætoribus a Senatu Provincias decretas, imperium autem lege Curiata, ut Doctissimo Sigonio visum, in comitiis a Populo datum, & si quo forte impedimento successor in Provinciam se conferre non posset, idem tunc Populus prorogabat imperium. En præclarum Livii locum lib. III. de bello punico. *Prorogatum Philoni imperium est, ut Proprætor Galliam eamdem Provinciam obtineret cum iisdem legionibus, quibus Prætor obtinuisset. Quod Lucio Veturio, idem in Cajo Aurunculejo decretum ab Senatu latumque, & de prorogando imperio ad Populum.* Verum anno Urbis sexcentesimo quarto ob quæstiones perpetuas institutas L. Calpurnio Pisone Trib. Plebis, & Censorino, ac Manicio Consul. alia invaluit consuetudo, nempe ut Prætores, qui Provincias sortiti essent, Romæ per annum, ut quæstionibus præessent, morarentur, deinde vero ad suam quisque Provinciam ex S. C. proficiscerentur. Hoc autem jus sæpe Populus adnisus est, ut Senatui eriperet, Provincias extra ordinem mandando, atque earumdem imperium prorogando, in speciem quidem ut Magistratibus illis bene de Repub. merentibus gratificaretur, re autem vera ut Senatus a tanto jure excideret; quare Sempronius Gracchus, quamvis popularis libertatis studiosissimus, id tamen æquo animo ferre non potuit, atque ut Senatus suam pristinam auctoritatem recipere, vehementer adlaboravit, nempe ut *Provinciæ futuris Prætoribus, ac Consulibus quotannis a Senatu decernerentur.*

Verum pulchrum est videre, quam semitam Sylla in hac Pro-

Provinciarum administratione persequutus sit. Et quidem quum is toto conatu Populi jura infringere studuisset, Senatusque auctoritatem augere adnisus esset, minime putandum est Provinciarum regimen, quod tanti intererat, penes Populum reliquisse. Hinc legem tulit, *ut qui Provincias ex S.C. obtineret, is imperium tandiu haberet, quoad in Urbem rediisset*. Id autem mire Populi labefactabat potentiam. Quum enim Senatus interesset, ne Provinciarum Magistratus mutarentur, tamdiu illi Provincias obtinebant, quousque Senatus successorem non misisset, nec sane eum mittebant, nisi quum e re sua esset. Itaque Senatus quum Aristocratiam maxime foveret, sæpe passus est, ut ii potissimum diu tenerent imperium, qui Populi possent imminuere auctoritatem. Sic Lucullus septem annos Ciliciæ, & Asiæ præfuit. Sed quamvis consilium hoc Senatus auctoritatem maximopere extolleret, fiebat tamen aliquando, ut is ad summam rerum adsurgeret, qui diuturno tempore in imperio fuerat, quemadmodum a Julio factum legimus. Quare suamet hic experientia doctus potentiam nonnisi ex hac imperii continuatione, & diuturna Provinciarum possessione oriri, ne & alii eadem ratione adversus se insurgerent, legem tulit dum Dictator erat, ut *nemo Prætoriam Provinciam plus anno, Consularem plus biennio obtineret*. Verum eo interfecto, quum Principatum Antonius anhelaret, ejusque cardinem callide pernosset, mirum non est, quod hic viribus omnibus adniteretur, ut per Tribunos lex rogaretur, qua Consulares Provincias sexennium obtinerent, quod profecto ei inter maledicta Tullius objecit inquiens. *Quæ lex sæpius flagitata, quam ne Prætoriæ Provinciæ plus quam annum, quam biennium Consulares obtinerentur*. Et quidem jure merito ait *sæpius hanc legem flagitatam* quum tanti interesset, ne longe protraheretur Provinciale imperium, quanti erat, ne per id summa rerum penes unum perveniret. Istiusmodi Provinciarum administrationem ab origine sua depromptam ad Octavianum usque perducere duxi, quo planius deinceps exponam, quas is rationes inierit, ne Provinciarum Magistratus adversus nascentem Monarchiam novis rebus studerent. Sed prosequamur modo cetera, quæ Præsidum Provincialium spectant potestatem.

De-

Digitized by Google

Decreta per Senatum Provincia, ejuſque Magiſtratui a Populo lege curiata imperio mandato, Provinciæ ornamenta eodem S. C. decernebantur. Erant autem hujusmodi ornamenta ſubſidia omnia ad eam adminiſtrandam neceſsaria, nempe latitudo exercitus, militum ſtipendia, legatorum viaticum, cohors, comitatus, & cetera ejuſmodi. Sed in hoc comitatu erant Legati, hoc eſt Præſidis Vicarii, quibus ſolebat jurisdictio tantum, non autem imperium ſive poteſtas mandari, quum merum imperium alteri delegari non poſſet. Erant etiam Tribuni militum, Centuriones, Præfecti, Decuriones, aliique militarium operum, rationumque adjutores: præterea Scribæ, accenſi, præcones, lictores, interpretres, tabellarii, aruſpices, cubicularii, medici, & quæ quotidianæ vitæ prope ſocia fuit juvenum cohors, quæ cohors prætoria, & quaſi prætoria dicta eſt, in quem numerum referendi quoque ſunt contubernales, hoc eſt adoleſcentes illi, qui Provincias adibant, ut artem addiſcerent militarem. Præter hos erat Quæſtor, qui publicam pecuniam tractabat; ejuſque cogendæ curam gerebat. Sed velim hoc advertas fuiſse in comitatu, & qui jurisdictioni in re civili, & qui in criminalibus animadvertendis poteſtati, & qui rei militari præeſſent, quum Magiſtratus Provincialis jus hæc omnia complecteretur. De quibus omnibus dicendi nunc ſatis commoda mihi præbetur occaſio.

Hoc comitatu Prætor ornatus ad Provinciam ire feſtinabat, ſed ab Urbe non diſcedebat, niſi antea nuncupatis in Capitolio pro Republica votis. Itaque paludamento, lictoribus, reliquiſque ſumtis imperii inſignibus proficiſcebatur, ſalutatis amicis. Sed ſi quæ adhuc expedienda negotia ſupereſſent, tunc extra Urbem aliquandiu morabatur, quum intra Urbem fas non eſſet cum imperio eſſe, ubi vero ad Provinciam perveniſſet, de adventu ſuo deceſſorem faciebat certiorem, ut de ſtatu Provinciæ moneret. Sed triginta diebus elapſis per legem Corneliam deceſſori a Provincia diſcedendum erat.

Poſt hæc munere ſuo fungi novus Magiſtratus incipiebat, quod ut dictum eſt, in poteſtate vertebatur, & imperio. Hujus autem erat habere exercitum, bellum, ſi quando

Digitized by Google

do opus esset, gerere, illius vero controversias judiciales dirimere, ac crimina persequi. Quæ duo sic ipse exercebat, ut æstatem fere rei militari, hyemem vero cognitioni caussarum addiceret. Nos vero primum de jurisdictione, deinde de militari imperio verba faciemus. Itaque quum munus suum minime Præses exercere in tota Provincia valeret, nisi iter per eamdem agendo, ideo opus ei erat totam, qua late patebat, Provinciam peragrare, & modo hic modo illic ea expedire negotia, quæ sibi offerrentur. Verum ingentis erat, Romanorum moribus luxu corruptis, id itineris sumtus: quare in hac Provinciæ lustratione misere opprimebantur incolæ, ut necesse fuerit Magistratuum Provincialium avaritiam coercere. Hinc variis legibus præscriptum est, quid a Præside Provinciam percurrente imperandum esset. Prætori igitur advenienti tectum, lectum, ligna, salem, fænum, atque alia hujusmodi præbere tantum debebant provinciales. Exercebant autem potestatem suam Prætores singulis fere quibusque oppidis, utque commodum cuique esset, conventum, sive forum edicto destinabant, diemque quo jus dicturi esset. Sed non ita cuncta expediebant, nam erat & cognitio domestica, quæ intra Prætorium, & in cubiculo querelis Provincialium audiendis tota occupabatur. Hæc autem quæ domi Prætor transigebat, ea fere per diplomata annulo suo obsignata perficiebat. Ex quo illud Tullii ceterum obscurissimum ad Q. Fratrem intelligemus. *Sit annulus tuus* (inquit) *non ut vas aliquod, sed tamquam ipse tu, non minister alienæ voluntatis, sed testis tuæ*. Quibus verbis sanctitatem justitiæ per annulum, quo Prætor negotia domi transacta obsignabat, prætulit.

Porro veniamus ad negotia, quæ Prætor in foro, sive in Basilica expediebat; hæc autem vel ad jus privatum, vel ad publicas quæstiones, nempe ad punienda crimina comparata erant. De omnibus his carptim saltem nonnulla tradam, quæ, instituto meo inserviant. Et quod attinet ad privatas controversias, de iis Prætor jus dicebat, omnibus judiciorum solemnibus servatis, quibus forum Romæ utebatur. Is igitur per hæc solemnia suum cuique jus reddebat, & quidem ex legibus in gratiam Provinciæ latis, quas profecto vel Impe-

Digitized by Google

perator ex decem legatorum consilio, ut supra relatum est, in ordinanda Provincia condiderat, vel Populus Romanus, aut legatus, vel Consules, aut Prætores, vel Præfecti in gratiam Provinciarum tulerant. Et quidem quas Populus, vel Senatus constituisset, eæ publici juris esse dicebantur, ut de repetundis scripsit Tullius de *divinatione* ita. *Civibus quum sunt ereptæ pecuniæ, civili fere actione, & privato jure repetuntur. Hæc lex socialis est, totaque sociorum caussa constituta.* Verum quum non omnia jure scripto præcaveri possint; hinc de quibus negotiis lex scripta non erat, Prætor Edicto suo statuebat. Quam autem rationem heic teneret, jam supra occupavimus. Sed advertas Præsidi minime licuisse condere Edictum Provinciarum legibus adversum, aut iis, quæ ipse vel Romæ, vel in ipsa Provincia in suo adventu edixerat. En de hoc præclarum Tullii locum in epist. ad Atticum. *Cum ego in Edicto translatitio, centesimas me observaturum, haberem, cum anatocismi anniversario ille ex syngrapha postulabat quatuor. Quid ais inquam? possum ne contra meum edictum?*

Porro Prætor in basilica, seu in Tribunali consistens, atque in sella Curuli sedens, scribisque, lictoribus, præconibusque stipatus, qui eidem præsto erant, ut mandata facesserent, jus dicebat, cujus quidem duæ erant partes, nempe decretum, & judicii datio. Decreta sententiæ Præsidum fuerunt sine Judicum consilio, ut in manumissionibus, emancipationibus, in interdictis, in bonorum possessionibus, in dando tutore, in addicendo, quemadmodum & Romæ Prætor Urbanus se gerebat in iis rebus, quas ipse consilio decemvirorum expediebat. Judicia vero sententiæ fuerunt, quas Judices a Prætore litigatoribus judicium postulantibus dati, re cognita ferebant; quod docere videtur auctor ad Herennium, quum dixit, *judicatum esse id, de quo aut sententia lata, aut decretum interpositum esset;* quibus verbis & Prætoris, & Judicum cognitionem exprimere voluit. Atque hoc quidem modo privatarum controversiarum cognitionem Magistratus Provinciales exercebant, quæ proprie dicta est jurisdictio. Nec sane dissimili modo judicia publica, quæ quæstiones nominabantur, habita sunt, quum eadem judiciorum solemnitas, sicuti Ro-

Digitized by Google

mæ factitari solebat, observaretur; hoc tantum habito discrimine, quod Romæ alii jus dicerent inter cives, & peregrinos, alii judicia publica exercerent, quum ex adverso in Provinciis unusquisque Prætor his omnibus dirimendis præesset. Itaque Præses consilio suo omnia hæc expediebat, sententiamque in reum proferebat ex ea lege, quæ de quoque crimine cognoscendo ac vindicando lata fuerat. Hinc vel absolvebat, vel damnabat reum, *si liqueret*, vel *comperendinabat*, si res certo non appareret. Quod si adeo res anceps esset, ut ab ea se se extricare non posse videret, Romam *reiiciebat*. Ex quo illud Tullii ad Suplicium Græciæ Prætorem intelligere licet; *per gratum mihi feceris, si eos quando cum Senatore res est, Romam rejeceris*, & quod in Verrem dixit, *si ex Provincia Siciliæ tota statuas idoneum Judicem, aut recuperatorem nullum posse reperiri, postulat a te, ut Romam reiicias*. At enim quum Provinciæ Romanæ latitudo maxima foret, qui fieri potuit, ut omnibus Prætor jus diceret? Sed præsto erant legati, qui tamquam Prætoris ipsius vicarii ejus curam excipiebant, ejusque vice judiciales controversias dirimebant. Itaque Prætor jurisdictionem suam his mandabat, nequaquam vero potestatem in facinorosos animadvertendi, quum hæc ad merum imperium pertinerent, quod speciali lege sibi creditum cum altero communicari non poterat.

Explicata jam Præsidis potestate tam in re civili, quam criminali, ad ejusdem imperium accedamus. Sane necesse erat, ut non juris dicundi modo potestatem haberet, criminaque plectendi, sed exercitus etiam ducendi. Qui enim sine militari imperio potuissent Præsides in fide Provincias continere, aut a finitimorum hostium incursionibus, aut latronum populationibus tutas eas præstare? Verum sicuti potestas integritatem, æquitatem, humanitatemque Præsidis desiderabat, sic imperium prudentia, severitate, & fortitudine exercendum erat. Quum enim id nihil aliud esset, quam jus habendi exercitum, belli gerendi, totiusque rei bellicæ administrandæ; certe quidem prudentia, atque severitate, quum ne disciplina militaris dilaberetur, tum ne temere bellum gereretur, opus erat. Itaque scripsit Tullius: *Demus imperium Cæsari, sine quo exercitus haberi, bellum geri, res militaris*

ad-

Digitized by Google

administrari non potest; exercitum hunc ipse Præses vel ex S. C. novum in Urbe conscribebat, vel veterem a decessore suo, aut a legato ejus in Provincia accipiebat, acceptumque lustrabat, ordinabatque habita publica concione, ac proposito edicto emendabat, si quæ opus esset ut corrigerentur. Habebat autem Præses jus in milites, ut non solum privatas eorum controversias dirimeret, sed crimina etiam ad extremum usque supplicium puniret. Num enim sine tanta hac potestate potuisset in officio militarem insolentiam continere? Impotens profecto est quæcumque dignitas, si animadvertendi potestatem ab ea sejungas.

Ceterum hanc tantam potestatem sive in gerendo bello, sive in fœdere percutiendo, sive in milite plectendo Præses non ex sua tantum sententia, sed & adhibitis in consilium Senatoribus, si qui forte in castris essent, aliisque idoneis hominibus, quod castrense consilium, vel Senatus appellabatur, exercebat. En quæ de hac re scripsit Sallustius: *Metellus* (inquit) *propere cunctos Senatorii ordinis ex hibernis accersiri jubet; eorum & aliorum, quos idoneos ducebat consilium habet; ita more majorum ex consilii decreto per legatos Iugurthæ imperat argenti pondo ducenta millia*. Porro quia tanta Præsidum potestas in re militari gerenda plerumque in caussa erat, quapropter rebus novis studerent, variis proinde legibus repressa fuit per Syllam primum, Julium Cæsarem deinde, ac postremo per Octavium, ut infra suo loco dicemus. Sed antequam hinc discedamus, omittendum non est cetera omnia in Provinciis Præsides curasse, potissimum vero rem frumentariam, tributariam, ac vectigalia, quibus omnibus per Edicta providebant. Quumque sæpe tributa, & vectigalia plus æquo Provincialibus imperarent, caussam hinc nactus Octavius legibus suis & hanc potestatem coercendi, ut mox differemus. Demum erat etiam in Provinciis quæstor, qui publicæ pecuniæ curam gereret, quæ aut ex ærario deprompta in usus esset ipsius Provinciæ, aut in Provincia exacta ad ærarium referretur. His de antiquo jure Provinciarum ex numquam satis laudato Carolo Sigonio excerptis, ad novam earumdem formam, Octaviano imperante, properemus.

Digitized by Google

§. III.

De regimine Provinciarum imperante Octaviano Augusto instituto.

QUum Octavianus Augustus novam Reipublicæ formam instituisset, quemadmodum in Urbe ita se gessit, ut omnia nascenti Monarchiæ, quamvis ad pristinam libertatem restituendam viderentur composita, congruerent; ita profecto rei provinciali consultum est, ut cuncta novo ejus regimini responderent. Et quidem duo potissimum erant, a quibus optimo Principi cavendum erat, vis Præsidum militaris publica pecunia munita, atque avida eorumdem intemperies, qua in Provincialium fortunas, libertatem, famam, honestatemque immaniter insæviebant. Per eam quidem ad nova molienda incendebantur; per hanc vero Principis nomen invisum fiebat. Quum igitur nihil Provincialium referret, uni, vel pluribus parere; id unum præstare Imperator debebat, tum ut eorum securitati adversus magistratuum licentiam prospiceretur, tum ne tanta militum copia, atque auctoritatis potentia iidem pollerent, qua possent recenti regimini adversari. Itaque Principem nostrum sollertissime hæc omnia curasse ostendam: evincam equidem, optime eum cavisse, ut Provinciarum administratio orienti Monarchiæ conveniret. Rem igitur aggrediamur.

Nulla major hominum amorem alliciendi ratio est, quam beneficiorum collatio; nam, ut sæpe dictitare solebat Græcorum ille sapientissimus Plutarchus, quamvis mortalium natura ferinum quid habeat, non tamen tantum est, ut eo exui nequeat, maxime vero si benevolentiæ indiciis sæpe impetatur. Quapropter Imperator noster sapientissimus, quum pluribus beneficiis, otii dulcedine, frequentibusque congiariis civium omnium amorem sibi devinxisset, ne videretur minori caritate Provincias prosequi, liberalitatem, benignitatemque suam in easdem mire ostendit. Qua de re sic Tranquillus (*a*). *Urbium quasdam fœderatas sed, ad exitium licentia præcipites, liber-*

(a) *In Octav. cap.* 47.

bertate privavit. Alias aut ære alieno laborantes levavit, aut terræmotu ſubverſas denuo condidit, aut merita erga Populum Romanum allegantes, latinitate, vel Civitate donavit. Et alibi (*a*). *Ad hunc modum urbe urbaniſque rebus adminiſtratis, Italiam duo de triginta coloniarum numero deductarum abs ſe frequentavit, operibuſque, ac vectigalibus publicis plurifariam inſtruxit: etiam jure ac dignatione urbi quodammodo pro parte aliqua ædequavit, excogitato genere ſuffragiorum, quæ de magiſtratibus urbicis decuriones colonici in ſua quiſque colonia ferrent, & ſub diem comitiorum obſignata Romam mitterent. Ac nec ubi aut honeſtorum deficeret copia, aut multitudinis ſoboles, equeſtrem militiam petentes, etiam ex commendatione publica cujuſque oppidi ordinabat; at iis, qui ex plebe regiones ſibi reviſenti, filios filiaſve approbarent, ſingula nummorum millia pro ſingulis dividebat.* Quæ omnia conſulto ex Tranquillo exſcribere volui, ut palam facerem, quantum Principis noſtri in Provincias ſtudium fuerit, ut eas ad novum regimen, ſub quo tot bonis fruerentur, ſervandum incolume impelleret. Num enim majora libertatis, gratique animi indicia eſſe poſſunt, quam ea, quibus uſus eſt Octavius in Provinciis? Earum inopiam ſublevavit, publiciſque vectigalibus inſtruxit, hoc eſt, certum ex publicis vectigalibus eis reditum aſſignavit. Ad hæc bene de Republica meritis honores etiam contulit, nempe jus Civitatis, ut militiæ, ac comitiorum participes eſſent. Excogitavit propterea illud ſuffragiorum genus, quæ in ſua quiſque Colonia ferret, obſignataque Romam mitteret. Nam licet antea Coloniæ idem jus haberent, multoties tamen ob Urbis diſtantiam, ne tanto itinere defatigarentur, fruſtra id erat, quem enim præterit, ut ſuffragium ferrent, opus fuiſſe ad comitia accedere? Hæc autem nova ſuffragiorum ratio ab Auguſto inventa, mirum eſt, quantum Provincias ad res ejus illexerit; prope enim quæque nitebatur omnibus ejusdem votis ſuffragari. His in univerſum de Octavii cura in Provincias veluti dicendorum facibus præmiſſis, ad rem propius feſtinemus.

Duo igitur in Provinciis potiſſimum erant, quæ novæ re-

(a) *Cap.* 46.

Digitized by Google

regiminis formæ ab Auguſto inſtitutæ maxime oberant, ſumma Præſidum poteſtas, & immanis Provincialium vexatio. Et quidem illa tam in re civili, quam in militari imperio adeo late, ſtante Republica, ut ſupra vidimus, diffundebatur, ut Præſides, Provinciarum Reges potius, quam Reipublicæ Magiſtratus dixeris. Hi etenim Edictorum nomine leges ferebant quaſcumque; jus vitæ, & necis in Provinciales exercebant; tributa, quæ vellent, imperabant; milites, quum in ſua poteſtate eſſent, ad extremum uſque ſupplicium plectebant; exercitum ducebant; fœdus demum percutiendi, arma quocunque adlubebat, inferendi, jus iiſdem erat. Quique dixerit hanc tantam Magiſtratuum Provincialium poteſtatem cum Monarchia conſentire. Hac vero tanta auctoritatis vi pollentes adeo per fas, perque nefas in Provincias veluti in prædam hoſtilem irruebant, ut avaritia, luxuriaque cuncta miſcentes, motus undique civiles excirent, ut non earum adminiſtratores, ſed everſores potius viderentur. Itaque hæc omnia videns Octavius, manibus, pedibuſque conatus eſt, ut & ipſe unus Princeps toto in imperio eſſet, & Provinciarum commoda procul a Præſidum direptionibus tutaretur. Rem igitur perſequamur a militari imperio, quod magis eſt, exordientes.

Quum igitur Principum interſit, vim potiſſimum militarem penes ſe manere; Princeps noſter *Provincias validiores, & quas annuis Magiſtratuum imperiis regi nec facile, nec tutum erat, ipſe ſuſcepit, ceteras Proconſulibus ſortito permiſit, & tamen nonnullas commutavit, interdum, atque ex utroque genere pleraſque ſæpius adiit*: hæc Tranquillus (*a*), quæ quum lucidius pateant ex Dione, ejus verba exſcribere hic non pigeat: tradit is Auguſtum id feciſſe (*b*) *ſub hac ſpecie ut Senatus optimis imperii partibus, tuto perfrueretur, ipſe laboribus, & periculis objectus eſſet: at revera ſub hoc prætextu inermis & imbellis eſſet, & ipſe ſolus arma, & milites haberet*. Ecce tibi a Dione clarius expoſitum, quod aliquanto obſcurius Tranquillus ſcripſerat. Et quidem ſatis compertum eſt.

(a) *Octav.* 47.
(b) *Dion lib.* 54.

Digitized by Google

eſt Romanæ militiæ copias prope omnes in Provinciis conſediſſe: ſive enim ad turbas forte imminentes componendas, ſive ad Provinciales in officio continendos, ſive demum ad eos ab exterorum incurſionibus tutandos perquam neceſſe erat, ut in Provinciis maxime vis militaris verſaretur. Quumque Prætor jus exercitus ducendi haberet, ac proinde milites in ejus poteſtate forent, facile erat, ut is vel ſua cupiditate impulſus, vel Senatus ſententia inductus in orientem Monarchiam inſurgeret. Itaque, ut tantum a ſe periculum Princeps noſter averteret, militum copias penes ſe ſe eſſe voluit. Partitus igitur Provincias cum Senatu, pacatas, ubi nullo militum præſidio opus erat, ei relinquere, bellicoſas vero ſibi retinere ſtatuit, ne ſcilicet, ut is ſimulabat, Senatus militaribus curis implicaretur, utque quieti, & otio ampliſſimus ille ordo vacaret, quæque pacis erant, ſapientiſſimis ſuis conſiliis exornaret; quum ex adverſo imperium proconſulare curarum plenum, & laboris apud ſe eſſet priſtinæ libertatis ſervandæ cauſſa inſtitutum. Sane hæc externa ſpecies imperii proconſularis, quod ſibi retinuit, non multum antiquo Reipublicæ juri adverſabatur. Nam ſi forte in Provincia Prætoria repentini motus erupiſſent, Senatus ſtatim eo Conſulem, amoto Prætore, amandabat. Itaque Auguſtus ferociores has, bellicoſioreſque provincias, uti Proconſul, regens nihil videbatur antiquam Reipublicæ formam immutare, quum ſimulate objiceret, ſe ſe proconſulare imperium veluti jure precario ex Senatus, Populique ſententia, & quoad eis adluberet, nempe quouſque Provinciæ pacatiores factæ fuiſſent, tenere. Sed, quod mirandum, nunquam deinceps in ſpem pacificandarum provinciarum ventum eſt, quum non deficerent ſimulatæ cauſſæ, quapropter imminentes ſaltem turbæ prætexerentur. Quare factum eſt, ut Auguſtus proconſulare hoc imperium, ubi Majeſtatis cardo verſabatur, toto vitæ ſuæ curriculo obtineret, ſuæque poſteritati veluti rem hereditario jure delatam relinqueret.

Sed quamvis Senatus per hanc Provinciarum deviſionem inermis factus eſſet, ſæpe tamen fiebat, ut in ejus Provinciis motus aliquis erumperet, ad quem ſedandum militaribus copiis opus eſſet. Verum hic non deerant artes Principi noſtro,

ut

Digitized by Google

ut rebus conſuleret ſuis, nec milites in poteſtatem Senatus redirent. Nam quum pacatam Provinciam habebat, Senatui tunc tradebat, ac vice illius accipiebat is ſeditioſam, ut a belli cura ampliſſimum ordinem eriperet, ut Tranquillus ſcripſit. Etenim quanti intereſſet milites Imperatori devotos eſſe, ſatis perdocuerat experientia in Mario, Sylla, Pompejo, ac demum in Cæſare, qui omnes nonniſi legionum favore, præſidiorumque provincialium opibus ad ſupremum dominatum pervenerant. Contra vero ut Cæſaris potentia ad faſtigium prope evecta effringeretur, nulla major ratio occurrit, *quam ut ei ſuccederetur ante tempus*, adeo ut ſcripſerit Suetonius (*a*), *ab Optimatibus datam operam eſſe, ut Provinciæ futuris Conſulibus minimi negotii ideſt ſilvæ, callesque decernerentur*. Vide hinc, quanti fuerit inermes Provincias Senatui dediſſe, eaſque ſi quid novi inſurgeret cum pacatioribus commutaſſe.

Quum ſic ſe geſſiſſet Auguſtus in Provinciarum adminiſtratione, ne earum occaſione Senatus res novas moliretur; videamus modo quanta ſtruxerit, ne Præſides auctoritate ſua luxuriantes turbas excitarent. Sane exploratum ſatis eſt, Magiſtratuum poteſtatem, qualis in Ariſtocratia eſt, cum Monarchia convenire non poſſe, *ubi neceſſe eſt, ut omnes, exuta æqualitate juſſa Principis expectent*. Qua de re ſapientiſſimus Mecænas Principem monuit, ut priſtinam Magiſtratuum auctoritatem uſque adeo minueret, quoad formæ novi regiminis aptaretur. Hæc ſunt ejus verba. *Magiſtratuum autem poteſtatem antiquitus iis conceſſam nequaquam ſervabis, ne eodem res recidat: ſed honore eorum integro relicto, tantum potentiæ detrabes, ut neque dignitas eorum diminuatur, neque novi aliquid moliendi facultas ulli adſit*. Hoc ſaluberrimo ſane conſilio is imbutus, Præſidibus a Senatu in Provinciam miſſis, jus milites habendi, & extremo ſupplicio provincialium crimina plectendi ademit, id obtendens inanem eſſe hanc poteſtatem in iis Provinciis, a quibus utpote pacatis nihil timeretur; ſed revera ut rebus conſuleret ſuis. En præclarum Dionis locum. *Neque enim*) ait ille) (*b*) *ulli Proconſuli aut Propretori, præfectove licebat gladio*

(a) *In Jul. cap.* 19.
(b) *In Octav.* 53.

Digitized by Google

dio se accingere : quo ipso licentia necandi militis adimebatur : nam & Senatoribus, & equitibus, quibus alterum conceditur, alterum quoque adest, & paucis interjectis ita subdit. *Hæc ergo ita statuta sunt, de Senatoribus iis, qui potestatem mortis in subditos habent. Mittuntur enim, & quibus ea non est, in eas provincias, quæ Populi Romani esse dicuntur, iique ex quæstoribus, & legatis eorum, qui provincias gubernant sorte diliguntur.* Vide quantum pristina Præsidum auctoritas immutata fuerit sub Augusto, ut & a jure habendi exercitus, & Cives morte multandi exciderint. Sed ita fieri oportuit, nam ubi Monarchica forma est, non ne jus vitæ & necis penes unum Principem versari debet? Quum ergo Senatus æque ac Populus uni, eidemque Principi subderetur, par non erat, ut Proconsules in Provinciis jus gladii haberent, quando & ille a jure necis jam exciderat.

Contra vero jus ducendi exercitum, militesque capite plectendi Præsidibus a se in provincias suas missis dedit. Nam frustra esset eorum potestas in parum tutis Provinciis, ubi neque militibus imperandi, neque in sontes animadvertendi jus esset. Sic enim Dio loco cit. *A se porro designatis præter nomen Proprætorum, hoc etiam tribuit, ut plusquam annum essent cum imperio, quatenus videlicet ipse statuisset, ut militarem habitum gestarent, gladiumque, & jus capite plectendi militis haberent.* Sed ne & ii potestate hac elati Rempublicam interturbarent, duplici remedio consultum est; primo quidem imperatum ne in Centuriones, Tribunos, aliosque illustres viros jus necis haberent, utque ii ad principalem cognitionem servarentur; nam ut Mecænas Principem nostrum monebat, periculosum quidem erat in primarios viros a Magistratu præter Principem animadverti. Sic enim docuit. *Hi autem omnes casus ad Consularem referentur, nisi qui ad Centuriones, ac primarios privatorum hominum pertinent: quorum puniendorum nemini alii potestatem facere tu debes, ne is adeo formidabilis aliis fiat, ut contra te etiam aliquando quidquam conetur.* Deinde cautum, ne iis plures præsto essent, ut idem auctor fuit. *Quod autem dixi alterum ex Prætoriis debere militibus præfici, ita accipiendum est, si pauci quidem milites in exteris Urbibus sint, aut una legio*

Urbana; ſin duæ Urbanæ legiones eodem in loco byberna habeant (plures enim his ut uni committas nequaquam tibi auctor fuerim) oportebit duos prætorios diviſo imperio, legionibus, ac rebus Civitatum privatorumque hominum præeſſe. Sapientiſſimum quidem conſilium; nam quem latet armatorum copias dominationis cupidis maxime ad novas res moliendas opitulari?

Ex quibus omnibus intelligimus, quantum priſtina Magiſtratuum poteſtas in Provinciis, ubi Præſides potius ut Reges, quam ut Reipublicæ Magiſtratus omnia moderabantur, diminuta fuerit, nempe ut ea novo Reipublicæ imperio quadraret. Sed heic animum ſubit veſtigare, qua ratione factum ſit, ut æquo ii animo tantam dignitatis ſuæ deminutionem paſſi ſint, nec ullos ad jus vetus retinendum motus exciverint. Sane ne credas defuiſſe voluntatem, bene vero pœnarum metu coercitos, *ut potius præſentia, & tuta, quam præterita, & periculoſa mallent*. Siquidem boni Principis eſt comminationibus magis cavere, ne delicta patrentur, quam peracta punire. Præter hæc imperia Auguſtus non niſi aliqua temporis intercedente intercapidine, mandare ſolitus erat, ut Romani poteſtate defuncti, antequam ad eamdem advocarentur, ad vitam privatam redigerentur, ibique Cæſari demiſſius obedire perdiſcerent. Quod eumdem Mecænatem monuiſſe Dio refert (*a*) *Majora imperia nequaquam unum ex alio eidem tribuenda cenſeo: cum quod nihil intereſt, in eadem ne aliquis Provincia, an vero in diverſis continenter, diutius, quam expedit cum imperio ſit, tum quod bi aliquo inter Magiſtratus ſuos interjecto intervallo, domum reverſi, ac privatim viventes, meliores redduntur.* Enimvero Magiſtratus quum per frequentem ad privatos mores reditum, alteri parere aſſueſcat, in poteſtate deinde Principis auctoritatem non dedignabitur, nec contra eumdem quid audebit. Sed neque diuturniora, neque multo breviora imperia eſſe debent; illa enim hoc habent, ut ad ſupremum dominatum Magiſtratum alliciant; hæc vero, ut non ſatis apte Cives gubernentur, quum munus ſuum deponere is debeat, ubi primum mores Ci-

(a) *Dion lib.* 52.

Digitized by Google

Civium pernoſcere didicit. Qua de re ſapientiſſime Mecænas rei civilis doctiſſimus ait. *Idemque neque minus triennio (niſi quis quid deliquerit) neque plus quinquennio Magiſtratum obeant. Nam & annui illi Magiſtratus, ac pauco tempore circumſcripti, hoc habent, ut quum quis aliquid in iis addidicerit, prius decedat, quam ejus ſpecimen exhibere poſſit: & diuturniora imperia multos ad faſtum, ac tentandas res novas extollunt.*

Verum quum, quæ huc uſque edifſeruimus, alia ad Præſides, quos Senatus ad Provincias mittebat, alia vero ad delectos a Principe pertineant, videamus modo quæ omnibus indiſcriminatim præſcripta fuerint, ut eorum poteſtas ea eſſet quæ Monarchiæ conveniret. Sed quum hæc omnia non niſi ab eodem Dione edoceantur, ejus verba hac etiam in re exſcribenda ſunt, ait is (a): *hæ vero leges ad omnes ex æquo Provinciarum adminiſtratores erant factæ. Ne quem delectum militum agerent: ne pecuniam, præter eam, quæ conſtituta erat, exigerent, Senatus, Imperatoriſque injuſſu. Cui ſucceſſor miſſus eſſet, is ut ſtatim ex Provincia abiret, ac ne in re deundo domum tempus tereret, ſed intra tertium menſem Romam reverteretur.* His omnibus conſona ſunt, quæ ſcripſit Tullius in Piſonem de Gabinio Syriæ proconſule. *Exercitum eduxit e Syria. qui licuit extra Provinciam? Tribuit ſe mercenarium Comitem Regi Alexandrino. Quid hoc turpius? In Ægiptum venit: ſigna contulit cum Alexandrinis. Quando hoc bellum, aut hic ordo, aut populus ſuſceperat? Cæpit Alexandriam. Quid aliud expectamus u furore ejus: niſi ut ad Senatum tantis de rebus geſtis literas mittat? Hic ſi mentis eſſet ſuæ: niſi pœnas patriæ, diiſque immortalibus eas quæ graviſſimæ ſunt furore atque inſania perderet: auſus eſſet, mitto exire de Provincia: educere exercitum: bellum ſua ſponte gerere, in Regnum injuſſu Populi, aut Senatus accedere. Quæ quum plurimæ leges Veteres, tum lex Cornelia Majeſtatis, Julia de pecuniis repetundis planiſſime vetant.* Quod autem in hoc Tullii loco animadvertendum, illud potiſſimum eſt a Cornelio

(a) *Dion in Octav. lib.* 53.

Digitized by Google

Sylla primum, deinde a Julio, quamvis deinceps & ab Octaviano per leges Majestatis Præsidum potentiam coercitam, ut Principis injussu nec exercitum ducere, nec delectum habere, nec demum imperium retinere, ubi successor advenisset, aliaque hujusmodi facere possent. Etenim quum hæc omnia, Monarchia invecta, ab unius arbitrio pendere debeant; quumque Principatus specimen omnium primus Sylla dederit, quid mirum, si ab eodem ea vetita fuerint, deinde vero ab insequentibus Principibus Julio nempe, & Octaviano, ut Provinciarum regimen novo regimini accomodarent. Quæ profecto sic etiam complexus est Marcianus *in l. duodecim tabularum 4. D. ad legem Juliam Majestatis. Eadem lege tenetur & qui injussu Principis bellum gesserit, delectumve habuerit, exercitumve comparaverit: quive cum ei in Provincia successum esset, exercitum successori non tradiderit: quive imperium, exercitumve Populi Romani deseruerit.* Num enim instituto Principatu ea pollere potestate Magistratus debebant, quæ sub Aristocratia vigebat? An potius ita se se sub Principe debebant gerere, *ut omnes exuta æqualitate, jussa Principis adspectarent?* His ergo finibus imperio militari per Provincias circumscripto, bene profecto consultum, ne Præsidum auctoritas in novam Reipublicæ formam insurgeret.

§. IV.

Ad legem Juliam repetundarum.

VIdimus jam, quot modis militare Magistratuum Provincialium imperium debilitatum sit, eoque redactum, ut orientis Monarchiæ quietem interturbare non posset. Sed hæc in cassum adhuc, si Provinciarum in Principem auferas amorem, eæ enim præsentis regiminis pertæsæ, quas turbas Præsidum impotentia non poterat, non sine maxima rerum perturbatione excitassent. Quapropter Princeps noster sapientissimus effræno Præsidum imperio effracto, id studuit ut per leges saluberrimas Provinciarum amorem sibi alliceret, nempe earum commoda promovendo, ne Præsides in Provincialium bona, libertatem, honestatemque, uti antea florente

Re-

Digitized by Google

Republica, furerent. Quod quidem per legem repetundarum severissime latam, satis probe assequutus est. Ut autem eam planius exponamus, pauca prius repetenda sunt, quo aperte magis intelligatur, quantum Imperator Provinciarum commodis per hanc legem prospexerit.

Proficiscentibus in Provincias Præsidibus a Senatu decernebatur, quanta pecunia ex publico ad milites alendos, quantum viaticum in legatos, cohortem, comitatum, ceteraque hujus generis darentur. Hujus rei rationem expressit Tullius. *Majores nostri neminem, qui cum potestate, aut legatione in Provinciam esset profectus, tam amentem fore putarunt, ut emeret argentum; dabatur enim de publico: ut vestem; præbebatur enim legibus; mancipium putaverunt, quo & omnes utimur, & non præbetur a Populo. Sanxerunt ne quis emeret mancipium, nisi in demortui locum*, & ne putes hunc leges ævo suo latas respexisse, vide quid scripserit Livius in bello Persico: Magistratus (inquit) *mulis tabernaculisque, & omni alio instrumento militari ornabantur, ne quid tale imperarent sociis.* Verum corrupta deinde Romanorum disciplina, mirum quot a Præsidibus excogitatæ artes ad Provinciales opprimendos. Sane quum frequentibus peragrationibus Provinciam percurrerent, tum ut pro Tribunali sedentes suum cuique jus redderent, tum ut cetera omnia curarent; objicientes, non ea impendio suo peragenda, quæ in eorum utilitatem cederent, miserum in modum Provinciales vexabant. Ad hæc quum vectigalia curarent, jusque milites imperandi, si quando delectum habere opus esset, jactarent; his de causis immensum prope erat, quod a miseris Provincialibus extorquebatur. Quæ omnia quum dilucidius appareant ex Cæsaris contra Scipionem Syriæ Proconsulem dictis, ea exscribere ne pigeat. *Civitatibus, Tyrannisque magnas imperaverat pecunias; item a publicanis suæ Provinciæ debitam biennii pecuniam exegerat, & ab eisdem insequentis anni mutuam præceperat, equitesque toti Provinciæ imperaverat. Interim acerbissimæ imperatæ pecuniæ tota Provincia exigebantur, in capita singula servorum ac liberorum tributum imponebatur. Columnaria, ostiaria, frumentum, milites, remiges, arma, tormenta, vecturæ imperabantur, cujus modo rei nomen reperiri poterat,*

hoc

hoc ſatis eſſe ad cogendas pecunias videbatur.

His jam præmiſſis videamus modo, quam ſemitam ſectatus Imperator noſter fuerit, ut improborum Præſidum rapinas a Provinciis averteret. Certum quidem eſt, plurimum eum ſeveriori lege ſua de repetundis ad Magiſtratuum Provincialium ſordes coercendas profeciſſe. Sed antequam præclaram hanc legem aggrediamur, vimque ejusdem oſtendamus, grave ne ſit, quas alias, ut Provinciis opitularetur, rationes inierit, advertere. Etenim quum ſæpe, ut paullo ſupra innuimus, Provincias, quas gerebant, vexarent Præſides vel immenſis annonis, quas veluti muneris ſui honorarium exigebant, vel per vectigalia, quæ ipſi curabant; bene Provincialibus conſulendum ratus eſt Imperator iſtiuſmodi direptionum cauſſas præcidendo. Et quidem ſic ſe ſe geſſit Auguſtus ex Mecænatis conſilio, qui ita eum monuit: *ceterum omnes illi, quibus aliquod extra Urbem imperio committitur, ſinguli ratione ſui officii congruentem accipiant mercedem. nam neque ex ſuis facultatibus in alienis locis vivere eos conſentaneum eſt, neque rurſum impenſis, ac nullo certo modo definitis ſumptibus eos uti* (a). Quo porro ſaluberrimo conſilio Principem edoctum ſic ſtatuiſſe laudatus ſæpe auctor refert (b). *Certum etiam ſtipendium iſtis Curatoribus ut etiam Proconſulibus, edicto conſtituitur: quia tum etiam Cæſar, ut merces eis ſua daretur, cenſuerat. Antiquitus quidem qui aliquod a Republica munus ſuſcepiſſent, omnia ſuis ipſi impendiis agebant. Sub Cæſare primum accipere ſtipendium ceperunt: non idem omnes, ſed quemadmodum muneris eorum rationi congruebat.* Atque hoc quidem inſtituto amota fuit cauſſa omnis, quapropter Præſides ingentem Provincialibus pecuniæ vim ad impendia ſua ſublevanda imperarent, quum laborum ſuorum mercedem, ſumptuumque expenſas publice acciperent.

Non autem his Auguſtus contentus fuit; ſed porro progreſſus eſt. Etenim ne publica pecunia diriperetur, neu ejuſdem cogendæ gratia Provinciales vexarentur, novam hac in re inſti-

(a) *Dion lib.* 53.
(b) *Dion lib.* 53.

Digitized by Google

ſtituit rationem, ejusdem Mecænatis documentum. *Ceterum Romæ ſatis eſt ad unamquamque rationem pecuniæ colligendæ, foris autem in ſingulis Provinciis, unico Equite, qui, quot opus fuerit adminiſtros, ſub ſe habeat ex Equitibus ſumtos, ac ex libertis. Nam hos quoque eis adjungi prodeſt, ut & famulis tuis præmium virtutis extet, & non deſint tibi, ex quibus vel invitus cognoſcere poſſis, ſi quid peccatum fuerit* (a). Itaque tanto viro auctore, Ærarii Curatores inſtituit ad publicam Provinciarum pecuniam colligendam, ut priſtinam Quæſtorum poteſtatem minueret; iisque libertos ſuos tamquam perpetuos vigiles addidit, ut ſi quid forte peccaſſent, ſibi fidelius denunciarent. Sed Paullus ad legem *Juliam de vi publica* ait: *Qui nova vectigalia exercent lege Julia de vi publica tenentur*. Si caput hoc legis noſtræ ab Julio, vel Octaviano latum fuerit nec potius ex aliquo deinceps S. C., affirmarem ſane id ab iis factum, ut Quæſtorum auctoritatem in vectigalibus exigendis labefactarent. Jam vero ad legem *de repetundis* accedamus.

Hanc quidem doctiſſimus Sigonius in ſuo immortali opere *de jure Provinciarum tit. de publicis judiciis* ſic refert. *Prætor, qui ex hac lege quæret, de eo quærito, qui quum aliquam poteſtatem haberet, pecuniam ob judicandum, decernendumque acceperit, vel quo magis, aut minus quid ex officio ſuo faceret. Item de eo, qui comes Judicum pecuniam acceperit. Qui ob denunciandum, uel non denunciandum teſtimonium, pecuniam acceperit, cui damnato teſtimonium publice dicere, aut Judex eſſe, poſtulareve non liceat. Item de eo, qui ob militem legendum, mittendumve æs acceperit, quive ob ſententiam in Senatu, conſiliove publico dicendam pecuniam acceperit, vel ob accuſandum, vel non accuſandum. Item de iis, qui Magiſtratus Urbani plus domi muneris in anno acceperint, quam quod ſit aureorum centum. Item de eo, qui ob Judicem arbitrumve dandum, mutandum, jubendumve, ut judicetur, quive ob non dandum, non mutandum, jubendumve, ut judicet; quive ob hominem in vincula publica conjiciendum, vinciendum, vincirique jubendum, eque vinculis dimittendum, quive ob homi-*

(a) *Idem lib.* 52.

minem condemnandum, absolvendumque; quive ob litem æstimandam, judiciumque capitis, pecuniæve faciendum, vel non faciendum aliquid acceperit. Qui in acceptum tulerit opus publicum faciendum, frumentum publice dandum, præbendum, sarta tecta tuenda, antequam perfecta probata, præstita lege erunt. Quod contra hanc legem Proconsuli, vel Prætori donatum erit, non liceat usucapi. Venditiones, locationes ejus rei causſa pluris minorisve factæ, irritæ sunto, neque usucapio esto priusquam in potestatem ejus, a quo profecta res sit, beredisve ejus veniat. Item de eis, qui munus publice mandatum accepta pecunia ruperunt. Item de eo, qui ob negotium faciendum, aut non faciendum per calumniam pecuniam accepit. Hæc laudatus auctor, sed ex Tullio hæc & alia habemus. *Prætor qui ex hac lege quæret, de eo quærito, qui proconsule, aut Proprætore cædes, adulteria, & stupra in Provincia fecerit. Qui jus in liberos Populos de pecuniis creditis dixerit. Qui de Provincia cxierit, aut exercitum eduxerit, & sua sponte bellum gesserit. Qui modum in imperato, & æstimato frumento exigendo excesserit. Qui libertatem sociis non conservaverit. Qui aurum coronarium aut imperaverit, aut acceperit sine S. C. Qui quidquam a sociis præter fenum, & quatuor lectos, & ligna acceperit. Qui rationes in Provincia apud duas Civitates non reliquerit, & easdem totidem verbis ad ærarium non retulerit & ultra eriginta dies Comites in beneficiis detulerit. Ut Prætor quærat ab iis, ad quos pecunia pervenerit.*

Hanc legem consulto integram exscribendam censui, ut cuivis inde intelligere liceat, quantum fuerit Julii Cæsaris, ac deinde Octaviani, qui eamdem confirmavit, studium, ut provincialium vita, libertas, honestas, fortunæque omnes a Præsidum, aliorumque Magistratuum rapinis tuta forent. Et sane si quis attente omnes ejusdem partes expenderit, certe quidem fatebitur, omnem viam illis præclusam, quominus in Provinciarum commoda subdole, more suo, impeterent. Lex generali sermone adversus eos, *qui munere, officio, Ministerio publico funguntur*, sancita est. Quare & Comites Præsidum, & Officiales, & assessores, cognitores, judicesque pedaneos complexa est. Sæpe enim quod per se non facit Præses, simulato alterius nomine facit, vel si se inscio, familia

Digitized by Google

lia ejus delinquat, etiam ipse, de quo peccatum est, tenetur. Nam ut sapienter hac de re scripsit Tullius (a) *si innocentes existimari volumus, non solum nos abstinentes, sed etiam nostros Comites præstare debemus. Primum omnium opera danda est, ut eos nobiscum ducamus, qui nostræ famæ, capitive consulant, deinde si in hominibus eligendis nos spes amicitiæ fefellerit, ut vindicemus, missos faciamus.* Ne igitur dubitandi locus sit, quinam Magistratus nomine intelligantur, appositè lex nostra universe loquuta est, omnesque, qui munus, officium, ministeriumve quodlibet publicum exercent, præmonstrat, quique jus pecunia ducti dixerint, quique eadem subornati jus dicere neglexerint. Et ne quis putaret, legis nostræ pœnam eos tantum sequi, qui pro Tribunali sedentes munere suo prave fungerentur, subditur & quodcumque publicum ministerium pecunia, gratiave male gestum, quapropter is etiam *qui in acceptum tulerit opus publicum faciendum, frumentum publice dandum præbendum, sarta tecta tuenda, antequam perfecta probata præstita lege erunt, quive aurum coronarium imperaverit, aut acceperit sine S.C.*, hac lege tenebatur. Verum quia non in hominum tantum fortunas Potentiores assolent debacchari, sed etiam in vitam odio permoti, atque in honestatem propter luxuriam, hinc addit Tullius: *Prætor quæret, qui procons. aut proprætor cædes, adulteria, & stupra in Provincia fecerit.* Ex omni igitur parte reddita tuta Provincialium commoda, nempe coercita omnium Magistratuum potestas, ne in caput, fortunam, honestatemque Provincialium insævirent. Quod si quis in legem peccasset, ne forte lateret, ibidem cautum, ut rationes, quas in Provincia apud duas Civitates reliquissent, eas statim, atque Urbem iniissent, ad ærarium totidem verbis referrent. Merito igitur Tullius de hac lege sic scripsit (a). *Quasi vero dubium sit, quin tota lex de pecuniis repetundis sociorum caussa constituta sit, nam Civibus quum suæ ereptæ pecuniæ, civili fere actione, & privato jure repetuntur*

(a) *IV. in Ver.*
(b) *In divin. 2.*

hæc lex ſocialis eſt, hoc jus nationum exterarum eſt, hanc habent arcem.

Verum quia duo inſuper ſunt, per quæ avaritiam ſuam obtegere ſolent magiſtratus, contractus ſcilicet, & xenia, quorum nomine ſæpe poteſtate abuſi ſubditorum bona diripiunt; & his malis quoque per legem noſtram occurſum eſt interdicto Magiſtratibus, ne, ubi degunt, munuſque exercent ſuum, dona acciperent, contractuſque inirent, quibus commodum ſentire poſſent. Quare eleganter Tullius (*a*) : *Quæ fuit cauſſa cur majores noſtri eos, qui cum poteſtate, aut legatione in Provincia ſunt tam diligenter in Provinciis ab emtionibus removerent? Hæc judices, quod putabant, ereptionem eſſe non emtionem, quum venditori ſuo arbitratu vendere non liceret. In Provinciis intelligebant, ſi is, qui eſſet cum imperio, ac poteſtate, quod apud quemque eſſet emere vellet, idque ei liceret fore uti, quod quiſque vellet, ſive eſſet venale, ſive non eſſet, quanti vellet auferret.* Et quod ſpectat ad dona, ea vetita ſunt, etiamſi dentur Magiſtratibus in bonam cauſſam, quia ut bene dixit Cato, *Magiſtratus non magis orari de iis debet, quæ æqua ſunt, quam exorari in ea, quæ iniqua ſunt.* Nonne enim munus fœdat ſuum, qui non amore juſtitiæ, ſed doni forte munere impulſus officium explet. Sapienter proinde Plato (*b*) ait : *Qui Patriæ in aliqua re miniſtrant nullo modo munera recipiant, nec ulla occaſione, aut ratione nobis perſuadeamus in rebus quidem bonis ſuſcipienda eſſe munera, in aliis minime. Nam nec cognoſcere facile eſt, neque quum cognoveris continere. Idcirco tutius eſt legibus obtemperare dicentibus, nulla pro Patriæ miniſterio munera eſſe ſuſcipienda. Si quis vero minus obtemperaſſe damnatus fuerit, moriatur.*

Nec ſatis fuit Romanis prohibere ne munera præſes acciperet, dum erat in Provincia, ſed ne depoſito quidem Magiſtratu, quum timor eſſet, ne is ſpe futuri muneris peccaret. En quæ ſcripſit Tullius (*c*), *donum ne capiunto, neve danto, neve petenda, neve gerenda, neve geſta poteſtate.* Quapro-

(a) *IV. in Verrem.*
(b) *22. de legibus.*
(c) *De legibus III.*

Digitized by Google

propter id refert Plinius (a) de Julio Baſſo. *Homo ſimplex, & incautus quædam a Provincialibus amicus acceperat; nam fuerat in eadem Provincia quæſtor. Hæc accuſatores furta, ac rapinas, ipſe munera vocabat: ſed lex munera quoque accipi vetat.* Quid ergo? A nemine munera Præſes accipiet? ne xenia quidem? Audi quod ſcripſit Ulpianus in *l. VI. D. de officio Proconſul. Non vero in totum Xeniis abſtinere debebit Proconſul, ſed modum adjicere: ut neque moroſe in totum abſtineat, neque avare modum Xeniorum excedat; quam rem Div. Verus, & Imper. Antoninus elegantiſſima Epiſtola ſunt moderati, cujus Epiſtolæ verba hæc ſunt. Quantum ad Xenia pertinet audi quid ſentimus. Vetus proverbium eſt* ὅτε παντα, ὅτι παντοτε, ὅτε παρα παντων. *Nam valde inhumanum eſt a nemine accipere, ſed paſſim viliſſimum, & omnium avariſſimum. Et quod mandatis continetur, ne donum, vel munus ipſe Proconſul, vel qui in aliquo officio erit, accipiat, ematve quid, niſi victus quotidiani cauſſa, ad Xenia non pertinet, ſed ad ea, quæ edulium uſum excedunt. Sed nec xenia perducenda ſunt ad munerum qualitatem.*

Satis ſuperque immoratus ſum in hac lege *de repetundis*; ſed ita fieri oportuit, ut pateret quanto ſtudio Julius primum, deinde Octavius adniſi fuerint, ut Provinciales tuti a Præſidum, aliorumque Magiſtratuum rapinis eſſent; quamquam haud negandum, legem hanc Urbanos etiam Magiſtratus complexam eſſe, licet maxime Provinciarum beneficio lata eſſet. Sed hic opportunum eſt pœnas referre in legis contemptores, & antequam ad eas veniamus, quas Julius, & Octavianus ſanxerunt, grave ne ſit, ſuperiores quaſdam de eodem argumento leges evolvere, ut quid novi a Principibus his ſtatutum ſit, planius intelligatur. Itaque primus qui legem de *repetundis* tulit, M. Porcio Cato fuit, qui quum Prætoris functo munere Sardiniam obtinuerit, ſumptus Provincialium in Prætores coercuit anno quingenteſimo ſexto, de quo ſic Livius: *Sardiniam M. Porcius Cato obtinebat; fugati ex inſula fœneratores, & ſumptus, quos in cultum Prætorum ſocii facere ſoliti*

(a) *Lib. IV. Epiſ. 9.*

Digitized by Google

erant, circumciſi, aut ſublati ſunt. Sed perdocte ſcripſit Sigonius lege etiam hac perlata, crimen id non pertinuiſſe ad publica judicia, quum cauſſa hæc privata haberetur & extra ordinem ex S. C. a recuperatoribus cognoſceretur.

Sed creſcente in diem Magiſtratuum avaritia, libidineque, lex Calpurnia ſequuta eſt, quam L. Calpurnius Piſo Tribunus plebis an. ſexcenteſimo quarto Manilio, & Cenſorino Coſſ. rogavit pœna graviori inflicta, & creato certo Prætore, cui ſingulis annis quæſtio hæc mandaretur. Itaque opus non erat ſociis nova lege, qua iſtiuſmodi criminum cognitio daretur, ut in more antea fuit. Quod ſane ut planius intelligas, recolas quæſo, quæ diximus de conſuetudine Romanorum in plectendis publicis criminibus ante inſtitutas a Sylla perpetuas quæſtiones. Hanc legem Calpurniam Junia ſequuta eſt quam forte tulit, ut conjecit idem magnus vir Sigonius, M. Junius Pennus qui teſte Tullio in Bruto Tribun. Plebis fuit Lepido, & Oreſte Coſſ. Per hanc autem præter litis æſtimationem a ſuperioribus etiam præſcriptam exilium additum eſt damnato, quia malum in dies increſcebat. Quum autem lex hæc, reorum potentiæ inſervientibus judicibus, forte exoleſcere cœpiſſet, reſtituta eſt per illam, quæ dicitur lex Servilia. Etenim, ut recte conjicit idem Sigonius, ſi nihil gravius per Serviliam ſtatuitur, cenſendum eſt eamdem hanc fuiſſe, ac legem Juniam. Fuit autem lex Servilia a Cajo Servilio Glaucia Prætore, Cajo Mario Conſule anno 663., rogata. Hanc in diverſa capita diſtinctam reperit Sigonius in muſeo Cardinalis Bembi, eamque in eximio de jure Italiæ libro, ubi de publicis judiciis, exſcripſit, quam videſis.

Porro lex Acilia a M. Acilio Glabrione poſt Serviliam lata eſt; idque novi habuit, *Ut neque ampliari, neque comperendinari reus poſſet*, teſte Tullio in Verrem. Verum quum jam per hæc tempora, civiles in Republica motus excitari cœpiſſent, quorum ſane eſt publicam diſciplinam interturbare, magiſtratuum ſcelera, legibus omnibus poſthabitis, tam frequentia facta ſunt, ut ad acerbiora progredi opus fuerit Syllæ Dictatori. Itaque ad iſtiuſmodi crimina cognoſcenda quæſtio perpetua inſtituta eſt, ad eadem punienda præter litis æſtima-

ma-

Digitized by Google

mationem irrogata est interdictio aquæ, & ignis; lex demum & ad magistratuum libidines, & crudelitates prolata. Etenim sic statutum est. *Qui Prætor ex hac lege quæret, de eo quærito, qui Dictator, Consul, Prætor, magister equitum pecuniam, dono ceperit abstulerit, coegerit, conciliarit, averterit, nec solum avare, sed etiam libidinose, superbe, crudeliter se in Provincia gesserit . . . . Prætor qui ex hac lege quæret facito ut reo damnato lis æstimetur, & aqua, & igni interdicatur. Qui in reatu decesserit, ei ne lis æstimetur* (a).

Sed has omnes excepit tandem lex Julia repetundarum, quæ num quid novi sanxerit, inter eruditos disceptatur: Siquidem & litis æstimatio & dupli, quatruplique pœna, & *aquæ igniſque* interdictio, jam ante ex lege Cornelia irrogata erant. Quid igitur præter hæc lex Julia repetundarum induxit, quam ceteris severiorem veteres historici, maxime vero Tullius, jactant? traditque Tranquillus in Julio hæc: *jus laboriosissime ac severissime dixit. Repetundarum convictos etiam ordine Senatorio movit.* Sed si vera sunt legis Corneliæ capita, qualia nobis Sigonius descripsit, nova pœna dicenda non est ordinis amissio, quando quibus aqua, & igni interdictum erat, quæ fuit legis superioris pœna, Civitatis jure destituebantur. Doctissimus Lipsius (a) sic ait. *An ergo in crimine repetundarum pœna gravior, quam relegatio? Attente legas quia nec relegatio quidem olim sane exilium fuit, & æstimatio) ut Asconius notat in Verrem, & Cicero subindicat non semel . . . Sed sequuta lex Julia immutavit. Ex ea pœnam fuisse adfirmo amissionem ordinis & æstimationem nihil ultra ideſt, qui damnatus eo crimine esset Senatu moveretur, & judices acciperet ad æstimandam litem.* Ego sane nihil habeo, quod huc afferam, præter Tullii verba, ex quibus poterit quidem lector conjecturam aliquam hac in re efformare. Ait enim is in oratione pro Postumo: *jubet lex Julia persequi ab iis, ad quos ea pecunia, quam is ceperit, qui damnatus sit, pervenerit; Si hoc est novum in lege Julia sicut multa sunt severius scripta, quam in antiquis legibus,* &

(a) *Sigon. de judiciis lib. 2. cap. 27.*
(a) *Lipſ. in Tacit. lib. 14.*

Digitized by Google

& ſanctius judicata; ſane etiam conſuetudo hujus generis judiciorum nova; ſin hoc totidem verbis translatum caput eſt, quod fuit non modo in Cornelia, ſed etiam ante in Servilia, quem hunc morem novorum judiciorum in Rempublicam inducimus? Et Cælius poſtquam legis unum & centeſimumum caput legit, in quo ita erat: quod eorum judicum major pars judicarit id jus ratumque eſto in tabulas abſolutum non retulit, ordinum judicia perſcripſit.

Hæc ſunt, quæ de lege Julia repetundarum habui dicere: ceterum velim advertas quantum pœnæ illius acerbitas, & Provincialium commodis tutandis, & novo regimini apud Provincias conſervando congruerit, nam ſi magiſtratuum tunc temporis mores inſpexeris, qui sane corruptiſſimi erant, opus fuit ut in eos inferretur gravior pœna, cujus metu a vexationibus, aliiſque flagitiis abſtinerent. Ad hæc cui nam latet, in democratia pœnas eſſe leviores, ſæviores vero in monarchia? Demum quum Monarchici Regiminis cardo in eo fere ſitus eſſet, ut Provinciæ pacatæ eſſent, neu de Magiſtratuum injuriis quererentur; quid mirum ſi a Cornelio Sylla, qui omnium primus Monarchiam inſtituit, a Julio Cæſare deinde, atque ab Octavio tandem in hoc crimen acerbiori pœna animadverſum ſit, nec ſolum ob pecunias *coactas*, *conciliatas*, *averſas*, ſed etiam propter libertatem, honeſtatem, ſecuritatemque ſociorum offenſam? Ad abſolutam Provinciarum regiminis notitiam reliquum eſſet, ut dicerem de vectigalibus, quæ Populo Romano pendebant, ſive per cenſum capitis, ſive ſoli per *decumas ſcripturas*, aliaque hujuſmodi. Sed quia inſtituti mei ratio in eo verſatur, ut de iis tantum, quæ ad Monarchiam firmandam induxit Octavius, ediſſeram; quumque is circa Provincialium vectigalia, ac tributa nihil prorſus immutarit, ideo his omiſſis percurramus alia, quæ magis ad rem noſtram faciunt.

§. IV.,

Digitized by Google

§. IV., ET ULTIMUS.

De mandatis Principum Præſidibus Provinciarum datis.

DIximus ſupra Præſidum poteſtatem in Imperio militari, in vectigalibus, aliiſque Provinciæ rebus prope omnibus curandis, atque in legibus demum per edicta ſua condendis ea amplitudine, libera Republica, fuiſſe, ut ii Provinciarum potius Principes, quam Magiſtratus haberentur. Hinc vidimus quantum Princeps noſter eos tam in vectigalibus imperandis, quam in militari Imperio exercendo ad recentis Monarchiæ præſcriptum moderatus ſit. Supereſt nunc, ut aliqua ſaltem de poteſtate eorumdem in ferendis edictis dicamus, ſive potius quam rationem Princeps noſter inierit, vel ut nullas iſtiuſmodi Magiſtratus per edictorum ſpeciem leges uti antea, conderent, vel ut tales ferrent, quæ monarchiæ tunc exorienti eſſent pares. Jam vero nihil ingenioſius ab Octavio excogitari ad id potuit, quam mandata Præſidibus ſub ipſius adminiſtrationis auſpiciis dari, ut ad eorumdem præſcriptum cuncta componerent. Itaque magiſtratibus Provincialibus negotia omnia ſecundum hæc mandata, quæ profecto Monarchiæ congrua erant, expedientibus, ſenſim factum eſt, ut Provinciarum mores ipſo rerum gerendarum uſu monarchiæ aſſueſcerent, nec Præſides amplius arbitrio ſuo omnia gubernarent.

Omnia autem hæc comprobat mirum in modum Juſtinianus in præfatione Novellæ XVIII., cujus verba exſcribenda omnino ſunt. *Ex libris* (inquit) *antiquis, qui jura Romani nominis continebant non ignorat tua ſublimitas quanta de mandatis Principum legum latores in ſuo quiſque volumine conſcripſerunt. Quia igitur nobis reparantibus omnem vetuſtatem jam deperditam ac diminutam, placuit etiam omnibus Judicibus noſtris, qui minores, vel medias adminiſtrationes gerunt ſive inter correctores, ſive inter ſpectabiles ordinentur, non ſolum Codicillos præſtare, ſed etiam mandata dare quibus inſpectis omnia gubernare laudabiliter poſſint: ideo librum mandatorum compoſuimus, qui ſubter per utramque linguam annexus eſt: ut detur*

Digitized by Google

tur administratoribus nostris secundum locorum qualitatem, in quibus Romana, vel græca lingua frequentatur scire eorum sanctionem, ut nihil ex his audeant præterire, sed saluberrimas dispositiones nostras observantes, in perpetuum nostras Provincias nostroque imperio subjectos gubernare festinent : Ex quibus vides Principum data Præsidibus mandata leges fuisse, ut eorum quondam sub democratia legislatoria potestas sileret deinceps, ut par erat in monarchia. Et quia magistratus fere omnes in Romana Republica veras licet edictorum simulato nomine leges ferebant ; propterea ut ab hac potestate sub Principe omnes exciderent, cunctis legimus magistratibus, & vel ipsi Præfecto Prætorio quamvis ab Augusto instituto, data fuisse mandata, de quibus late Gutherius in elegantissimis lucubrationibus suis de *officiis Domus Augustæ*, quas vide, si plura de his desideres.

Verum horum mandatorum auctorem Principem nostrum fuisse dubitare nos minime sinit Dio (*a*), & Ulpianus in lege *unica de officio Præfecti Augustalis*, ubi hæc habet. *Præfectus Ægypti non prius deponit præfecturam, & imperium, quod ad similitudinem proconsulis, lege sub Augusto ei datum est, quam Alexandriam ingressus sit successor ejus, licet in provinciam venerit, & ita mandatis ejus continetur.* Sed pulchrum est inspicere, quidnam mandata hæc præferrent. Sane & quæ ad bene provinciam gerendam, & quæ ad Monarchiam firmandam, fovendamque facerent, continebant ; quorum profecto exempla a Jurisperitis excerpta in Digestis prostant. In lege 3. D. de *officio Præsidis* mandatur ut malis hominibus Provincia purgetur ; in l. 19. *D. eodem* prohibetur ne nimiam familiaritatem cum Provincialibus Præsides ineant, ne quid emant in Provincia, nisi quotidiani victus caussa, neu munera accipiant ; insuper habetur in *l. 6. §. 3. D. de officio Proconsulis*, ne matrimonia in Provinciis contrahant, in *l. 6. & 8. C. de nuptiis* præscribitur idem. Hæc igitur sunt, atque hujusmodi alia, quæ ad Provinciarum utilitatem instituta in *tit. D. de officio Præsidis, & de officio Proconsulis* ut plurimum

(a) *Lib.* 53.

Digitized by Google

mum reperiuntur, ubi videre eſt capita hæc omnia Juriſconſultos ex libris mandatorum Principum, quæ Magiſtratibus dabantur, collegiſſe.

Sed præter hæc multa etiam erant, ut dixi, quæ ad firmandam Monarchiam ſpectabant, quorum quidem plura fragmenta in corpore juris ſparſa leguntur. In *l. 2. D. de militari teſtamento*, hæc leguntur: *Militibus liberam teſtamenti factionem primus quidem D. Julius Cæſar conceſſit; ſed ea conceſſio temporalis erat. Poſtea vero primus Div. Titus dedit. Poſt hos Domitianus, & poſtea Div. Nerva pleniſſimam indulgentiam in milites contulit, eamque & Trajanus ſequutus eſt: & exinde mandatis inſeri cæpit* CAPUT EX MANDATIS. *Cum in notitiam meam perlatum ſit, ſubinde teſtamenta a commilitionibus relicta proferri, quæ poſſint in controverſiam deduci, ſi ad diligentiam legum, & obſervantiam revocentur ſecutus animi mei integritatem erga optimos fideliſſimoſque commilitiones, ſimplicitati eorum conſulendum exiſtimavi, ut quoquo modo teſtati fuiſſent rata eſſet eorum voluntas.* En legem, ubi juri antiquo derogatur in gratiam Monarchiæ, ſcilicet ad captandam militum benevolentiam, quod ſub fuco eorum ſimplicitatis occultatur, nempe ut quæcumque eorum voluntas ſollemnitatibus etiam deſtituta pro teſtamento valeat, quodque ex libris mandatorum excerptum dicitur; ex quo videſis mandata Præſidibus data pro legibus a Juriſperitis uſurpata in gratiam Principum. Inſuper in *l. 27. D. de pœnis Præſidi* mandatur, ut in re ancipiti, quæ ſcripto jure dijudicari non poſſit, Princeps conſulatur; idque ex mandatis ſubditur injunctum. Item in eadem lege ex eiſdem mandatis imperatur, ut ſi quem ex Decurionibus Præſes relegatione puniendum exiſtimaverit, releget quidem, ſed Principi reſcribat. En diminutam Præſidis potestatem tam de re dubia tranſigenda ſine Imperatoris mandato, quam ne in Principes Civitatis relegationem inferret eodem inconſulto. Item *alio quoque capite mandatorum* in hæc verba cavetur. *Si qui ex Principibus alicujus Civitatis latrocinium fecerint, aliudve, quod facinus, ut capitale pœnam meruiſſe videantur, commiſerint, vinctos eos cuſtodies, & mihi ſcribes & adjicies quid quiſque commiſerit.*

Digitized by Google

Item in tit. *D. de collegiis, & corporibus illicitis* lex hæc habetur in principio. *Mandatis Principalibus præcipitur Præsidibus Provinciarum, ne patiantur esse Collegia sodalitia, neve milites collegia in castris habeant; sed permittitur tenuioribus stipem menstruam conferre. Dum tamen semel in mense coeant; ne sub prætextu hujusmodi illicitum collegium coeat; quod non tantum in Urbe, sed & in Italia, & in Provinciis locum habere, Div. quoque Severus rescripsit.* Quæ sane constitutio Monarchiæ firmandæ tantum prodest, quantum profecto istiusmodi conventus eidem adversantur; ut mirari non liceat, Octavianum, Julium, aliosque Decessores, qui supremum dominatum affectarunt, collegia isthæc præ cæteris severius prohibuisse. Atque hæc ratio est, cur Plinius Christianorum Collegia quam maxime vetuerit, quum in Principum mandatis id potissimum caveretur. Hæc sunt ejus verba, ex quibus sane evidentius res patebit: *Ipsos hoc est Christianos conventus facere desiisse post edictum meum, quo secundum mandata, hetærias esse volucram.* Sed velim advertas legem hanc de sodalitiis, sive istiusmodi mandata Præsidibus in Provinciis data fuisse constitutione Div. Severi extensa ad Urbem, & in Italiam, quum nihil tanto esset formæ Monarchicæ periculo, quanto hæc Collegia. Itaque ut vela colligamus, mandata hæc Principum ideo instituta, ut & Provinciarum commodis inserviretur, & democratica licentia sensim elangueſceret, & Principatus demum novis semper fulcris sustineretur.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XII.

De Magiſtratibus ab Auguſto inſtitutis.

§. I.

De Magiſtratibus, qui Monarchiæ congruunt.

JAm Principis noſtri novo accommodatas regimini leges expoſuimus: ſed cuncta hæc in caſſum forent, niſi Magiſtratus ii, qui eodem conſpirarent, inſtituerentur. Quare inſtituti mei ratio poſtulat, ut juriſprudentia Auguſtali ex cauſis ſuis deprompta ad Magiſtratus in novo regimine creatos excurrat oratio. Etenim Tullius poſt traditas Reipublicæ leges hoc ſubdit (a). *Hæc eſt enim, quam Scipio laudat in libris, & quammaxime probat temperationem Reipublicæ; quæ effici non potuiſſet, niſi tali deſcriptione Magiſtratuum. Nam ſic habetote Magiſtratibus, iiſque qui præſint, contineri Rempublicam, & ex eorum compoſitione, quod cujuſque Reipublicæ genus ſit intelligi.* Quæ ſane omnia ſatis comperta ſunt. Nam ſi lex, quæ ſcripto ſanciens, quod vult, aut jubendo, aut vetando, inter mutas literas continetur, Civitatis regimini convenire debet; magis profecto id in Magiſtratibus, qui lex loquens dicuntur, curandum eſt. Jam vero Princeps noſter eadem prorſus ſe geſſit, atque in novis legibus condendis ſolertia. Nam ſicuti antiquis non aperte, ſed per tranſverſos cuniculos, & ſpecioſo ſemper fuco antiquæ libertatis ſervandæ adhibito, legibus derogavit; ita & Magiſtratuum antiquorum auctoritatem ſenſim delevit, veteribus nomenclationibus religioſe manentibus. Procedebant Conſules antiquæ dignitatis ſuæ conſpicui inſignibus, mittebantur a Senatu Præſides in Provincias, Prætorum, atque Ædilium non ſecus ac in Republica, nomina audiebantur, *ut nihil uſquam priſci, & integri juris videretur immutatum*; ſed hæc omnia quidem in externam tantum priſtinæ libertatis ſpeciem, *quum omnes exu-*

(a) *De legibus.*

Digitized by Google

ta æqualitate juſſa Principis, ut erat in Monarchia par, *adſpectarent*. Quæ quum ita ſint antequam ſingulatim cujuſque Magiſtratus poteſtatem ſub recenti regimine expendam, eamque Monarchiæ accomodatam oſtendam, operæ pretium duxi facturum, ſi in univerſum, quinam Magiſtratus in Monarchia conveniant, & quæ eorum poteſtas cum eadem conjuret, præfarer.

Monent viri politici primam rationem Magiſtratuum ſub Monarchia hanc eſſe, ut & plures inſtituantur, & honor potius iis, quam poteſtas concedatur, atque hoc ut intelligant cives ſe non magis in regimine Populari, vel Ariſtocratico, quam in Monarchia Civitatis honoribus frui. Hinc de Octavio tradit Tranquillus (*a*), *quoque plures partem adminiſtrandæ Reipublicæ caperent, nova officia excogitavit: curam operum publicorum, viarum & aquarum alvei Tiberis, frumenti populo dividundi, Præfecturam Urbis, triumviratum legendi Senatus, & alterum recognoſcendi turmas Equitum, quotieſcumque opus eſſet. Cenſores creari deſitos longo intervallo creavit, numerum Prætorum auxit. Exegit etiam, ut quoties Conſulatus ſibi daretur, binos pro ſingulis collegas haberet: nec obtinuit, reclamantibus cunctis, ſatis Majeſtatem ejus imminui, quod honorem eum non ſolus, ſed cum altero gereret.* Quibus de honoribus civilibus enarratis, hæc de militaribus addidit (*b*). *Nec parcior in bellica virtute honoranda: ſuper triginta Ducibus juſtos triumphos, & aliquanto pluribus triumphalia ornamenta decernenda curavit. Liberis Senatorum, quo celerius Reipublicæ aſſueſcerent, protinus virilem togam, latum clavum induere, & Curiæ intereſſe permiſit: militiamque auſpicantibus, non tribunatum modo legionum, ſed & præfecturas Alarum dedit.* Sic igitur Octavius honores tam civiles, quam militares ad ſibi cives alliciendos multiplicavit, *ut magis præſentia & tuta, quam præterita, & periculoſa mallent.* Et quidem hæc omnia ſatis eum Mecænas monuerat (*c*). *Præſtat per multos*

plu-

(a) *Cap.* 37.
(b) *Cap.* 38.
(c) *Dion. lib.* 52.

Digitized by Google

publica negotia administrari, ut & complures hinc emolumentum sentiant, & experientiam rerum gerendarum consequantur. Ita enim & tibi subjecti majori te benevolentia prosequentur, multipliciter bonis publicis fruentes, & tu semper copiam optimorum virorum habebis, quibus ad res quaslibet necessarias peragendas utaris.

Itaque si quis hæc attente adverterit, intelliget sane, quanta se dexteritate Octavius gesserit in hisce novis Magistratibus constituendis, atque multifariam distrahendis. Etenim honorum multitudine & sibi cives arctius devinciebat, & veterum Magistratuum memoriam, ad novas amplitudines festinantibus omnibus, comprimebat. Nam hæc est mortalium consuetudo, ut nova quisque semper exoptet, nilque vetera curet, licet meliora arbitretur. Romani igitur recentes honores appetendo, antiquorum sensim obliviscebantur, donec per se ipsi exolescerent, quod non parum Monarchiam juvabat, cui summopere adversatur Magistratus ille, qui in Republica democratica institutus erat. Sane si intus, & revera recentium Magistratuum, quales sub Augusto erant, vim, & potestatem expenderis, aliam profecto eam non fuisse reperies, quam curam operum publicorum, viarum, & aquarum, alvei Tiberis, frumentum Populo dividendi, legendi in Senatu orationes Principis, ceteraque hujusmodi honorum species, sine tamen potestate, sine imperio, in quibus tota Majestatis ratio vertitur. Sic & Consulum, & Prætorum, & Ædilium, & Præsidum in provinciis, qui sub novorum vocabulorum technis legislatoria ante auctoritate utebantur, adeo potestas sensim imminuta est, ut vix prope eorum nomina sine re audirentur. Ita enim sæpe laudatus Mecænas docuerat (*a*). *Magistratuum autem potestatem antiquitus iis concessam, nequaquam servabis, ne eodem res recidat: sed honore eorum integro relicto, tantum potentiæ detrabes, ut neque dignitas eorum diminuatur, neque novi aliquid moliendi facultas ulli adsit. Id cum aliis rationibus tum hac præcipue consequeris, si eos omnes in Urbe tantum geri jusseris, ac neque Magistratus tempore, nec sta-*

(a) *Dion. loc. cit.*

Digitized by Google

ſtatim ab eo, ſed interpoſito quantum ſingulis ſatis videbitur tempore arma eis committes: ita neque Magiſtratus titulo elati, inſuperque exercituum compotes facti ad concutiendum Reipublicæ præſentem ſtatum accedent: & mitiores eo efficientur, ſi aliquamdiu privatim poſt geſtum Magiſtratum vixerint.

Hæc Dio de poteſtate Magiſtratuum in Monarchia, deque illorum munere: atque ita ut eorum auctoritas neque ſit diuturna, neque adeo brevis, ut ſtatim ac res pernoverint, ab officio deſiſtere cogantur. Ceterum mutabiles ne Magiſtratus aptiores formæ Monarchicæ ſint, an vero perpetui, ardua quæſtio eſt, & in utramque partem diſputat Bodinus (*a*). Certe ſi perpetui eſſent, ad paucos honores reciderent: quare & virtus præmio ſuo deſtitueretur, & civilium motuum timor oboriretur. Etenim Civibus honorum, quibus digni ſunt, ſplendore carentibus, res in invidiam concidet, unde præſto ſunt turbæ. Contra vero ut perpetui ſint Magiſtratus ſaltem in virili, atque adulta Monarchia, hæc rationum momenta ſuadent; Res quælibet publica quanta quanta ſit, domeſtico imperio, privatæque cuique familiæ conferri aliquanto poteſt: non ne autem domus quæcumque peſſum it, quæ ſervorum mutatione delectatur? Haud profecto ſecus Rerumpublicarum pernicioſa videtur diſciplina, quæ Magiſtratuum novitate, atque varietate paſcitur. Hinc enim nova conſilia, novæ leges, novi mores, nova edicta, nova judicia, novi ritus, novæ legis actiones, nova denique rerum omnium facies, quæ ſane cuncta & veterum legum, morumque priſcorum contemptum pariunt, & pericula rebus omnibus minantur. Ad hæc quum perpetui ſint Magiſtratus, frequens illa honorum contentio, ambitioque procul erit: & cives parendo, magis quam imperando aſſueſcent, quo quid in ſtatu Monarchico utilius? Sed quid quid ſit in adulta Monarchia, certe tamen in recenti maximopere officiet Magiſtratuum perpetuitas. Nam quum cives in Republica Democratica, vel Ariſtocratica, ubi paulo ante vivebant, ſibimet ipſis parere conſueviſſent, acerbum nimis, atque adeo periculoſum eſſet, ſi iisdem

(a) *De Repub. lib. IV. cap. 4.*

Digitized by Google

dem perpetuo manentibus Magiſtratibus, ceteri ingenio, virtuteque valentes omni ſpe honoribus fruendi deſtituerentur. Et hæc ſunt in cauſſa, cur Mecænas tanto ſtudio monuerit Octavium, ne Magiſtratus forent perpetui, nempe ut Cives viderent, non minus ſe in Monarchia, quam ſub veteri libertate civilium honorum participes eſſe. Sed his jam præmiſſis, ad rem propius accedamus.

Sane in ſtatu Monarchico ii inſtituendi Magiſtratus ſunt per quos ingens veterum poteſtas infringatur, quique civium tutamen, ornatumque ſpectent, ſic enim Ariſtoteles Principem monet, ut Civitatem ædificiis exornet, eaſque leges perferat, quæ ejus reſpiciunt ornatum. *Nam ædificanda eſt* (ait) *& ornanda Civitas, quaſi Curator ejus ſit.* Propterea ſicuti in exponenda jurisprudentia Auguſtali a legibus, quæ ad ornatum Civitatis Civiumque commoda pertinent, exorditus ſum, deinde vero, ad eas, quæ ad Monarchiam fovendam ſpectant, acceſſi; ita & heic ut ſummam concordiam, quæ leges inter, & Magiſtratus intercedit, palam faciam, ab illis Magiſtratibus, quorum jus ad Urbis ornamenta, Civitatiſque uſum, utilitatemque comparatum eſt, initium ducam; tum vero eorum poteſtatem videbimus, qua Monarchiæ conſulitur, veterumque Magiſtratuum auctoritas ad democratiam olim incolumem ſervandam inſtituta imminuitur, atque evertitur.

Quinam autem ad Civium commoda procuranda inſtituendi ſint Magiſtratus, ex rebus ipſis, quibus Civitas indiget, perſpicue intelligitur. Sed quum Ariſtoteles (*a*) id lucidius explicarit, ejus verba exſcribenda omnino ſunt. *Ergo primum* (ait) *quidem eſt curatio rerum neceſſariarum ea, quæ in foro, ubi oportet Magiſtratum quemdam eſſe, qui curam gerit rerum contrahendarum, & modeſtiæ. Nam omnibus fere Civitatibus neceſſaria eſt aliarum quidem rerum emtio aliarum vero venditio ad uſus inter ſe neceſſarios. Et hoc eſt maxime proximum ad copiam rerum propter quam videntur homines in unam Republicam convenisſe*: Et deinde. *Alius eſt ne-*

(a) *Politic. lib. IV. cap. IX.*

Digitized by Google

neceſſarius quoque & huic ſimilis. Nam de iisdem quidem eſt rebus, ſed in agro eſt, & in iis, quæ ſunt extra Urbem. Hos autem Magiſtratus vocant hi quidem agronomos, illi vero hyloros. Tres igitur hæ ſunt harum curationes: Alius eſt Magiſtratus, ad quem publica vectigalia referuntur, a quibus ea ſervantibus ad ſingulos uſus, ſive adminiſtrationes diſtribuuntur. Eos autem vocant, Apodectas, & Tamias. Demum ſubdit. *Alius eſt Magiſtratus, apud quem & contractus privatos perſcribi oporteat, & ſententias judiciorum, atque apud hos litium quoque intentiones, & introductiones fieri oportet.* Itaque ut rem colligam, quum Civitati quædam ad vitæ uſum neceſſaria ſint, alia vero ad ejusdem ornatum pertineant; hinc alii rebus emendis, & vendendis præſunt, alii vero Civitatis ædificiis invigilant. Sed quia præter hæc neceſſe etiam eſt, ut bene morati Cives ſint, & tranquillam vitam, & ab interna, & externa vi tutam ducant, propterea & Magiſtratus creari debent, qui Civium moribus adſint, & qui lites inter eos oborientes dirimant, ut ſunt Judices, & qui demum vim externam propulſent, ut exercituum Duces. Demum quia Religio principem locum inter omnia obtinere debet, Pontifices eſſe debent, & Sacerdotes, qui ſacra curent. En tibi ſpecimen omnium Magiſtratuum, quibus quæque Civitas indiget, ſive ad ſacra, & profana curanda, ſive ad vim internam, ſive externam arcendam, ad vitæ ſubſidia, commoda Civitatis, Urbis ornatum, Civiumque temperantiam procurandam. Quibus prælibatis, ad Magiſtratus ab Octavio ad commodum Civium, & tutamen; atque ad Civitatis totius ornatum inſtitutos veniamus.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

De Præfecto annonæ, Præfecto vigilum, Comite riparum, & alvei Tiberis, Conſulari aquarum, deque Curatore operum publicorum ab Auguſto inſtitutis.

QUum nihil ad vulgi animos captandos præſentius ſit, quam congiaria, & utilitas annonæ, mirandum profecto non eſt, Præfectum annonæ ideo ab Auguſto inſtitutum, ut ſibi Principatum affectanti omnia feliciter reſponderent. Quo autem planius rem ita ſe habere pernoſcatur; Magiſtratus hujus primordia, poteſtatemque altius aliquanto repetenda cenſui. Sane in hiſtoria Romana exempla quamplurima proſtant, quibus ſatis docemur eos, qui rebus novis ſtudebant, non aliunde, quam per annonam vel gratis Populo diſtributam, vel vilius ſaltem venditam ad ſummam poteſtatem perrexiſſe. Cui enim bono tanti illi, tamque profuſi ſumtus, ſive in ludis præbendis, ſive in miſſilibus ſpargendis, niſi ut Populi benevolentia conciliaretur? Et quidem Gracchus, qui omnium primus ſummam rei anhelabat, per ſpeciem libertatis a Patriciorum tyrannide ſervandæ legem tulit, ut ſemiſſe, & triente frumentum Populo daretur (a). Hinc Cato ad minuendam Julii potentiam nihil aptius ratus eſt, quam legem condere, ut quotannis mille biſcentum quinquaginta talenta ad menſtruum plebi frumentum dividendum impenderentur, ita Plutarch. in Cæſare. *Quo circa veritus Cato ne egena plebs, quæ univerſæ multitudinis erat fax, atque ſpem omnem reponebat in Cæſare, res novas moliretur, fuit author Patribus, ut divideret plebi frumentum menſtruum. Unde ceteris oneribus per ſingulos annos ſumptus vicies, & ducenties acceſſit.* Ex quibus intelligimus quanti ſit ad potentiam augendam Populo annonam elargiri, vel pretio viliori diſtribuere.

Quid mirum ſi Clodius ille Tribunorum audaciſſimus legem pertulerit, ut frumentum Populo, quod ante ſemiſſe

(a) *Florus hiſt. Rom.*

Digitized by Google

æris, ac triente in singulos modios vendebatur, gratis daretur? Sed Cæsar ut plebis gratiam sibi captaret, horum omnium liberalitatem superavit; capta enim Africa, jussit viginti myriades medimnorum Atticorum frumenti, idest biscentum millia ad alendum Populum Romanum advehi, duosque Prætores, totidemque Ædiles cereales a Cerere nuncupatos instituit, qui frumentum hoc Romam advehendi, & Populo distribuendi curam haberent, quemadmodum memoriæ prodit Pomponius *l. 2. D. de origine juris. Deinde Cajus Julius Cæsar duos Prætores, & duos Ædiles, qui frumento præessent, & a Cerere cereales constituit.* Annonarius hic Magistratus etiam ante Julium fuit in Romana Republica, minime tamen perpetuus, quum ingruente tantum fame, frumentique penuria ingravescente crearetur. At Cæsar perpetuo illum creavit, ut quantam curam præ ceteris de commodis Civium gereret, Populo ostenderet.

Quum autem in adstruenda Monarchia, Octavius eamdem semitam, ac pater ejus, insectaretur, præfectum annonæ instituit, cujus historiam sic docet Dio *Annus insequens M. Marcellum, L. Aruntium Consules habuit.... pestis eo anno per totam Italiam ita grassata est, ut agris colendis nemo vacaret. Quod idem cæteris etiam regionibus evenisse opinor. Itaque Romani lue ista, fameque attriti existimantes id sibi haud alia de caussa contingere, quam quod Augustum non eo etiam anno Consulem haberent, Dictatorem eum dicere voluerunt, inclusumque in Curia Senatum eo vi compulerunt, ut hoc decernerent: ni feciissent, incendium minitantes. Ipsi quum XXIV. fascibus ad Augustum accessere, orantes ut se Dictatorem creari, annonaque Procuratorem exemplo Pompeii pateretur. Augustus invitus quidem, tamen annonæ procurationem, susceptit, jussitque, ut singulis annis duo viri, qui ante quinquennium præturam gessissent, frumento distribuendo constituerentur: Dictaturam autem nequaquam admisit.*

Hæc Dionis ipsius verbis tradidisse juvat, ut palam omnibus sit occasio, & origo Præfecti annonæ sub Augusto; sed si Magistratus hic adeo Monarchiam fovet, cur Augustus initio eum neglexit, nec nisi frumenti caritate urgente,

&

Digitized by Google

& ſe rogato inſtituit ? Id ſane ex ingenio ejusdem Principis ſagaciſſimo repetendum eſt. Etenim ut ſupra diximus, hic quamvis omnia conquireret, ut penes ſe ſumma rerum eſſet, mira tamen arte, qua pollebat, adyta animi ſui occludebat, omniaque, quæ ad Monarchiam faciebant, adeo per occaſiones, & tempora diſponebat, ut nonniſi in Civium gratiam communemque utilitatem nova parare videretur. Quod quidem intellexit Tranquillus, qui ſic ſcripſit: *liberalitatem omnibus ordinibus per occaſiones frequenter exhibuit ?* Cur quæſo per *occaſiones* ? quia nempe exercendo ultro liberalitatem viſus eſſet id non ex rerum neceſſitate, ſed ut ſibi conſuleret, effeciſſe. Itaque quum Præfectum annonæ, irruente fame, & a Populo rogatus inſtituerit, ſic ſe geſſit, ut Magiſtratum hunc ad publicæ utilitatis cauſſam, non autem ad ſibi conciliandam Populi benevolentiam creaſſe cenſeretur. Qua de re noluit profecto ipſe ad Pompeii Magni exemplum, uti a Populo rogatus erat, annonæ curam ſuſcipere, ne putaretur velle per eam ad ſupremum dominatum aſſurgere, non ſecus ac Pompejus idem, cui munus hoc propterea fuerat demandatum, ut plenius ſibi amorem conciliaret.

Porro munus hujus Magiſtratus erat non ſolum curare, ne Civitas frumenti penuria laboraret, neu frumentum carius venderetur ; ſed etiam ut pecuniam ad illud emendum cogeret, quod gratuito deinde plebi diſtribueretur. Etenim ſic ſcripſit Tranquillus (a) *frumentum quoque in annonæ difficultatibus ſæpe leviſſimo, interdum nullo pretio viritim admenſus eſt.* Et ne quis in accipiendo fraudem faceret, per teſſeras frumentarias, quarum tam frequens mentio eſt in toto corpore juris, id agebatur. Erat autem teſſera ſignum æneum, in quo nomen accipientis, & quantitas continebatur. Et quum id liberalitatis genus ab Auguſto inſtitutum ad comparandam plebis gratiam Principi maxime prodeſſet, non mirum, ſi diu per inſequentes Principes ſervatum ſit, & licet ab aliquibus omiſſum, ab aliis deinceps reſtitutum fuerit : quod

(a) *In Octav. cap.* 41.

Digitized by Google

ſane & effecit Nerva, qui quingentis millibus aureorum agrum emit, unde pauperes alerentur, & eum ſequutus Trajanus quinque millia impuberum ex publico nutrivit; quem deinde numerum Hadrianus, & Antoninus auxerunt, atque alimenta ad decem uſque, & octo annos pueris danda juſſerunt ut ex lege *Mela* 14. *D. de alimentis & cibariis legatis*.

Ex qua conſuetudine plebem demulcendi & illud ortum eſt, ut oleum etiam, aliaque ad victum facientia Populo ſine pretio diſtribuerentur. Sic primum omnium Severus inſtituit referente Capitolino, ut gratis oleum daretur, cujus ex Africa tantam copiam Romam advehi curavit, ut per quinquennium non ſolum Urbis ului, ſed & totius Italiæ, quæcumque ejus pars oleo egeret, ſatis eſſet, carnes etiam ſuillas inſequentes Principes dare gratuito cœpere, quemadmodum Vopiſcus in Aureliano: *ſtatuerat* (inquit) *vinum gratuitum Turcbanus Populo Romano daxe, ut quemadmodum oleum, panis, & porcina gratuita præberentur, ſic etiam vinum daretur, quod a Præfecto Prætorio probibitus non fecit: dicebat, ſi vinum Populo Romano damus, ſupereſt, ut & pullos, & anſeres demus*. Hinc intelliges *tit. C. Theod. de ſuariis*, quorum corpus Romæ inſtitutum erat ad carnes ſuillas Populo gratis elargiendas. Quum autem permiſti his eſſent pecuarii, hinc intelligimus & ovium carnes ſolere Populo diſtribui. Quare Campani, Samnites, Lucani, Brutii, & Tuſci certum carnis ſuillæ, & ovinæ pondus, veluti canonem quemdam prædiis, & patrimoniis impoſitum præſtare tenebantur quibus deinde Principes in largitionibus uterentur. Hæc enim erat tunc recepta conſuetudo; ut quæque Provincia fiſcalia onera per eas ſpecies ſubiret, quibus regio abundaret. Quumque Campani, Samnites, Lucani, Brutii, & Tuſci uberrimos agros haberent ad ovium, atque ſuum paſtum, inductum profecto ut per hæc ſolverent tributa.

Sed minime prætermittendum eſt morem hunc dividendi gratuito plebi frumentum, qui Romæ Auguſti ætate invaluerat, fuiſſe etiam Byzantii, quo per Conſtantinum fuerat Imperii ſedes translata, receptum. Itaque Conſtantinopoli, non ſecus ac Romæ frumentum gratuito plebi diſpenſaba-

Digitized by Google

sabatur, & sicuti id Romæ per tesseras frumentarias, ita Constantinopoli in gradibus fiebat. Qua de re prostat titulus in Cod. Theod. lib. 14. *de annonis civicis, & pane graditi*. Sed ambigitur hic inter eruditissimos quosque quinam fuerint ii *gradus*, per quos panis iste distribueretur. Sunt quidam, qui putant panem hunc gradilem nuncupatum propterea quod iis, qui in gradu, sive in honore erant, daretur, sed futilis hæc opinio est; quum omnes quotquot ex Scriptoribus synchroni hunc panem meminerunt, sic eum descripserunt, ut annona esset popularis vili plebeculæ nutriendæ addicta. Ita Prudentius (a).

Quis venit esuriens Magni ad spectacula Cyrci?
Quæ regio gradibus vacuis jejunia dira
Sustinet? aut quæ janiculi mora mota quiescit?

Alii dictionem hanc sic accipiunt, ut panis ordinatim daretur, non vero confuse, sive per turmas. Quare Salmasius opinatus est, panem hunc in foro de plano divisum, sed ordine servato. Verum hanc Salmasii conjecturam refellit *lex* 3. eodem, in qua sic legimus. *Universi panem gradilem de gradibus adipiscantur. Neque cuiquam hæc aut deferatur gratia, aut imponatur injuria, ut pistrino accipiat* . . . quod epigraphe ejusdem legis sic dilucidius explicat. *De pane gradili accipiendo, seu distribuendo de gradibus non de pistrino;* ubi oppositio, quæ intercedit inter gradum, & pistrinum clare docet, gradus in proprio sensu, nequaquam vero metaphorice accipiendos. Hinc scripsit doctissimus Gothofr. hic: *hi vero* gradus nostri *alii fuere; nempe in horum edito, seu tabulato erat annona, seu panis repositus: positique ibi qui eum distribuerent singulis e Populo viritim, palam per gradus ascendentibus, atque in summo gradu annonam accipientibus*. Itaque sic habe, in quibusdam Urbis Constantinopolitanæ regionibus quædam pistrina instituta fuisse, ubi panis civilis conficeretur, ibique in gradu editiore panem hunc erogari solitum. Atque hic est panis gradilis, quem non semel memorat Codex Theodos. Nos interim ad alia pertranseamus. Sed

(a) *lib. II. adver. Symmach. ver.* 947.

Digitized by Google

Sed non minus ac Præfectus annonæ, vigilum præfectus Urbi, ac Monarchiæ fuit perutilis, de quo hæc habet (Dio. l. 55.) *Quumque eo tempore multa in Urbe incendiis essent vastata, libertinos septem locis ad ea curanda constituit: equitem eis præfecit, quos & si haud diu id officium gerere pati statuerat; tamen reipsa expertus utilissimum, ac maxime necessarium esse eorum munus perdurare jussit; suntque nostra etiam ætate nocturni hi custodes non ex libertinis tantum, sed ex aliis etiam militibus: muroſque in Urbe tenent, & mercedem publice accipiunt.* Ex quibus pernoscis originem, atque munus præfecti vigilum; is enim ab Augusto creatus fuit ad evertenda incendia: nam licet antea id muneris exercerent Triumviri, Ædiles, ac Tribuni plebis; exorto tamen in Urbe magno incendio, satius duxit Princeps noster novum ad id instituere magistratum, quo omnia tutoria essent. Hinc Ulpianus, & Paullus de eo sic scripserunt (a). *Pluribus uno die exortis incendiis.... septem cohortes opportunis locis constituit* (Augustus) *ut binas regiones Urbis unaquæque cohors tueretur, præpositis eis tribunis, & super omnes spectabili viro, qui præfectus vigilum appellatur.* Quum igitur Præfectus hic incendia ab Urbe avertere deberet, tota nocte vigilabat, & more militum calceatus cum amis, & dolabris ambulabat inquilinos admonens, ut ab incendio caverent. Nec tantum id huic Præfecto curæ erat, sed publicæ etiam Urbis tranquillitati studebat, cognoscebat enim de effractoribus, furibus, raptoribus, receptatoribus, modo tamen in eorum caput ne animadverteret, ut ex l. 3. *& ult. D. eodem.* Ex quibus omnibus colligimus, quantæ utilitati fuerit Urbi Magistratus hic, quando tanto studio Civium tranquillitatem curabat. Sed quod in nocturnos cœtus & tumultus etiam animadverteret, Urbisque muros teneret, dixeris sane monarchiæ quoque servandæ plurimum profuisse. Quem enim latet nocturnas turbas nocturnosque cœtus cuilibet civili regimini maxime vero monarchico obesse? Jure merito igitur subdit idem Dio Octavianum comperta utilitate magistratus hujus retinuisse eum, perpetuumve constituisse, licet eo animo creasset, ut amoto il-

(a) *L. 2. & 3. D. de offic. Præf. vigil.*

Digitized by Google

illo incendio, extinctoque munere suo abiret.

Post magistratus, quorum cura erat communis utilitas, eos, qui ad Urbis ornatum a Principe nostro instituti sunt, percensebimus. Inter hos formarum comes est, qui reficiendis aquæ ductuum formis, quæ erant ex firmis lateribus constructi canales, curator erat. Et quidem vulgatissimum est apud Romanæ Historiæ Scriptores aquam in Urbem ductam tribus modis vel fistulis plumbeis, vel tubulis fictilibus, vel structilibus canalibus, quæ formæ appellantur. Forma igitur meatus structilis erat ex opere lateritio factus, per quem rivus deducebatur. Hæc olim super altis fornicibus formam sustinentibus utrimque muro incluſa, per colles Romanos discurrebat, cujus etiam nunc vetustæ videntur reliquiæ: Palladius quam formam structilem dixerat, deinde formam simpliciter vocat; sed quum deinde per colles discurreret, opus erat lapide strato, in quo contineretur. Ex quo intelligitur cur passim in toto titulo de *servitutibus*, *& aqua*, atque alibi dicatur, cui jus aquam ducendi per alienum fundum sit, jus reficiendi esse, inutile enim sibi jus aquam ducendi foret, si reficere iter non posset. P. Victor Romæ viginti quatuor aquas numerat, quæ postea hostium incursionibus ad undeviginti redactæ fuerunt. Sane magna aquarum copia Romæ opus erat; hæc autem per aquæ ductus derivata, in lacus deinde, thermas, & privatorum ædes distribuebatur; de quo vide legem si *venditor* in fine *D. de actionibus emti*, & si plura desideres videas S. C. sub Augusto conditum apud Frontinum. Quum igitur tanta aquarum vi Urbs indigeret, nil mirum quod Princeps noster magistratum creaverit, qui curam illarum susciperet, tum ut formas inspiceret, atque sartas tectas curaret, ne inde detrimenti aliquid eveniret, tum ut fontes, fornices, muri, rivique ipsi integri essent ad usum aquæ civibus præstandum.

Consularis aquarum differebat a comite formarum; nam hic tantum formas curabat, cavebatque, ne quid cursum aquarum impediret vel corrumperet; ille vero aquam dividebat, atque ad destinatos usus dispertiebatur. Quanti autem esset munus hoc quantæque apud Populum gratiæ, ex Plinio evincimus, qui lib. 36.

Digitized by Google

36. 15. sic scripsit. *Quod si quis diligentius æstimaverit aquarum abundantiam in publico balneis, piscinis domibus, euripis, hortis suburbanis, villis, spacioque advenientem, extructus arcus, montes perfossos, convalles æquatas, fatebitur nihil magis mirandum fuisse in toto orbe terrarum.* Quum igitur abundantia hæc aquarum magno usui esset, sive ad necessaria vitæ subsidia, sive ad animi voluptatem; hæc caussa fuit quaproter tanti hoc munus fieret, ut peculiaris ab Augusto institueretur magistratus. Sed prætereundum hic non est olim, ut scripsit Frontinus, omnem aquam in publicos usus distributam, legeque cautum, ne privati sibi ducerent, præter eam, quæ ex receptaculo publico, seu castello excidisset; atque hanc ipsam, quam caducam vocitabant, ad balneorum, & fullonicorum usum insumtam, vectigalemque statuta mercede fuisse. Sed Principes deinde, domum ut quisque suam privatim aquam ex castello, atque ad hortos etiam irrigandos deduceret, concesserunt: de quo vide legem *usum* 4. *C. de aquæ ductu*.

Erat etiam Curator operum publicorum, quem Augustus instituerat, ut opus quodque publicum hoc est amphiteatrum, theatrum, capitolium, thermas, aliaque hujusmodi curaret. Etenim munus ei erat inspicere, ut omnia hæc sarta tecta essent, neu quis publico operi nomen suum inscriberet, sive id e fundamentis construeret, sive vitiosum reficeret, quum Principem unum opus quodcumque publicum præferre deberet, aut eum, cujus pecunia extrueretur, vel repararetur. Curatorem etiam riparum, & alvei Tiberis Augustus creavit, e Republica enim est ripas fluminum publicorum reficere, atque munire, ne navigatio, aut publicus usus impediatur. Atque hæc de his magistratibus satis sint; quos ideo instituisse Augustum scripsit Tranquillus, ut in plures potius Reipublicæ administratio dispertita videretur, quam ut potestatem haberent. Quamobrem velim advertas quanta sollertia heic sese gesserit Augustus, nam hæc nova officia quum omni imperio carerent, atque inania essent veterum magistratuum simulacra, tantum abest, ut antiquam Populi potestatem servarent, ut potius eam everterent, uniusque potentiam adstruerent. Quum enim homines vetera plerunque fastidiant,

ac

Digitized by Google

ac nova omnia appetant, hinc vulgo cives nova munera anhelantes, quæ nihil monarchiæ obſtabant, a prioribus magiſtratibus, qui eidem adverſarentur, avertebantur, & popularis forma ſuapte natura concidebat.

§. III.

De Præfecto Urbis, & Præfecto Prætorio.

HUc uſque de iis Magiſtratibus, qui Monarchiæ conveniunt, ediſſeruimus, reliquum nunc eſt, ut dicamus per quos eadem monarchia ab Auguſto inſtituta maxime foveretur, atque incolumis ſervaretur. Atque hi profecto ſunt Præfectus Urbi, & Præfectus Prætorio, de quibus jam ſermonem inſtituimus. Sane quantum Præfectus Urbi Monarchiæ proſit, ex hoc potiſſimum colligi poteſt, quod inter præcepta Principi noſtro tradita, id maxime adjecerit Mecænas (a). *Præfectus etiam Urbis ex primariis viris quidem creandus eſt, qui omnes magiſtratus, quos geri ante hunc convenit, geſſerit: non ut per abſentiam magiſtratuum Rempublicam adminiſtret: ſed ut quum reliquis in rebus Urbi præſit, tum cauſſas quoque eas, quibus provocatio competit, capitaleſque etiam omnes, iis exceptis (quas poſt dicam) in Urbe, ac extra eam uſque ad LXXXI. millia paſſuum dijudicet.* Hæc Dio, quorum ut magis pateat ſenſus, res ab ipſis Urbis exordiis repetenda. Præfectus Urbi ſub Regibus etiam audiebat, nam abſentibus illis, atque ad bellum proficiſcentibus, ne Urbs ſine imperio foret, ſollemne erat unum aliquem creari, qui locum eorum ſubiret; atque is Urbi Præfectus nuncupatus eſt. Ita ſcripſit Tacitus in *V. An. Antea profectis domo Regibus mos magiſtratus, ne Urbs ſine imperio foret, unus in tempus deligebatur, qui illis abſentibus jus diceret, ac ſubditos moderaretur.* Sed Regibus exactis conſulibuſque imperium tenentibus adhuc Præfectum hunc legi, ſi quando Conſules Urbe ob bella abeſſent, qui illorum vice jus diceret, mos fuit.

(a) *Dion. lib.* 52.

Digitized by Google

Verum Prætore inſtituto, ut perpetuo loco Conſulum, qui ſæpe bellorum cauſſa Roma proficiſcebantur, jus diceretur, factum hinc eſt, ut præfectura Urbis exoleſceret, præter feriarum Latinarum tempus, quo ad venerandam antiquitatem ſervandam, mos manſit, ut ſemel in annum crearetur. Quum enim tunc temporis Conſules ceterique magiſtratus in Montem Albanium proficiſcerentur, ne Civitas imperio omni ſoluta videretur, Præfectus hic creabatur. Dixi ſolius antiquitatis memoria Præfectum hunc lectum: nam quum harum feriarum tempore agere Populus non poſſet, prorſus inanis & vacua ejus erat poteſtas.

Quum igitur, & ſub Regibus, & libera Republica magiſtratus hic fuiſſet, hinc intelligimus, cur Mecænas Principem noſtrum monuerit, ut talis Præfectus Urbi inſtitueretur, qui jus non tantum, ut antea magiſtratibus abſentibus, diceret, ſed illis etiam præſentibus auctoritatem ſuam exereret. Hæc de origine Præfecti Urbi, ſed non dum patefacta ratio eſt, cur ejusdem auctoritas adeo recenti Monarchiæ congrueret, ut Mecænas de eo inſtituendo maxime ſollicitus viſus fuerit. Verum captu difficile id non erit, ſi ea memoria recolantur, quæ ſupra de Romana Republica in univerſum diximus? Etenim ſive illa Democratica, ſive Ariſtocratica fuerit, prout plebis, vel optimatum magis vires invaleſcerent, ſemper tamen ſumma poteſtas penes magiſtratus, & Patres erat. Jus quidem dicturus Prætor ſe incolume jus civile ſervaturum initio magiſtratus ſui jurabat; ſed idem deinde edictis ſuis ſupplendo, & corrigendo legislatoriam poteſtatem, quamvis verborum aliorum fuco, formularumque fictionibus involutam exercebat. De Præſidum autem ſententiis ad Senatum appellabatur veluti ad ſummum Orbis Terrarum conſilium, ex cujus nutu, atque arbitrio vita, & fortunæ Provinciarum penderent. Nonne ab his omnibus forma Monarchica abhorret? Quid igitur Princeps noſter? Magiſtratum inſtituit, qui & Senatus, & Prætorum, aliorumque magiſtratuum everteret poteſtatem, omniaque ad unum Principem referret. Atque is fuit Præfectus Urbi, cujus tanta poteſtas erat, ſi veræ ſunt, quæ Euſebius Cæſarienſis de Meſsala Corvino refert,

ut

Digitized by Google

ut a Principe parum prope distaret. Ecce tibi ejus verba. *Intra sex dies Messala se abdicavit; incivilem eum magistratum contestatus cui omnem imperii potestatem concessserat non tantum in Urbe, sed & extra intra centesimum lapidem, idest centum millia passuum.*

Itaque quum magistratus hic & civiles controversias dirimeret, & crimina omnia puniret, factum est sane, ut omnis propemodum Prætoris auctoritas elangueret. Præter hæc quum a ceteris magistratibus sive in Urbe, sive extra appellationes reciperet, Senatus, ad quem antea provocabatur, auctoritas quam maxime imminuta est. Etenim si Præfectus hic a Principe creabatur, de ejusdem sententia appellatio (nam Augustus ex monitu Mecænatis nullum creaverat magistratum sine provocatione) ad Principem ipsum delegantem, nec amplius ad Senatum deferebatur; qua de re ab uno vita, fortunæque omnium pendebant: quod sane in monarchico statu par est. Quod ut clarius pateat, Mecænatis verba exscribenda sunt sic Principem nostrum apud Dionem monentis. *Ipse autem seorsim de caussis, in quibus provocatione certatur, judicium facies, quæ a majoribus magistratibus, tutoribus, Præfecto Urbi, subcensore, Præsidibus Provinciarum, annonæ procuratore, & nocturnæ custodiæ magistro ad te referuntur: nemo enim ita merum imperium obtinere debet, ut non ab eo provocari possit.* Ex quibus omnibus vide, quantum Urbis hæc præfectura recenti illi monarchiæ congrueret, quum & Prætoris, & Senatus auctoritas adeo per eam effracta sit; ut deinceps neque Prætori jus ferendarum legum sub edictorum nomine exercere amplius fas esset, neque ad Senatum appellationes de Judicum sententiis vel intra, vel extra Urbem deferrentur. Contra vero mirum est, quam altas hinc radices ageret monarchia, quando negotia omnia per provocationem a sententia Præfecti ad unum tantum, nempe Principem deveniebant.

Ut autem luculentius id perspiciatur, juvat hic brevi exponere, quantum sub insequentibus Principibus Præfecti hujus creverit auctoritas. Et quidem quum Principes pernossent magistratum hunc quamplurimum fovere monarchiam, valde profecto ejusdem potestatem, atque imperium adaugere

Digitized by Google

adnisi sunt. Ex Dione enim intelligimus hujus magistratus potestatem ad *LXXX. millia passuum* extra Urbem prolatam, sed res, ut dixi, hic non stetit, nam ad immensum ea excrevit, & licet certum tempus, quo tanta amplitudo accesserit, ignorem, compertum tamen habeo, ex Vopisci historia sub Floriano ad imperii culmen Præfecturam hanc fuisse erectam. *Omnis* (scribit) *provocatio Præfecti Urbis erit: quæ tamen a Proconsulibus, & ab ordinariis judicibus emerserit. . . . creandi Principis judicium ad Senatum redit, simul etiam Præfecturæ Urbanæ appellatio universa decreta est. . . . & demum nos recepimus jus proconsulare, redierunt ad Præfectum Urbis appellationes omnium potestatum, & omnium dignitatum.* Ex quibus patet, sub Floriano appellationes omnium Judicum, atque potestatum uni Præfecto fuisse delatas. Itaque Senatum omni jure circa appellationes excidisse novimus, postquam monarchia firmissime invaluit. Hic enim rerum omnium ordo est, ut ab exiguis profectæ initiis ad majora sensim assurgant, donec ad maxima quæque attollantur. Cœpit quidem sub Augusto Senatus appellationibus privari earum controversiarum, quæ sive in Urbe, sive extra eam usque ad *LXXX. millia passuum per ordinarias potestates judiciali sententia* dirimerentur. Sed postmodum res eo venit, ut ab omnium Judicum sententiis ad Urbi Præfectum provocaretur.

Verum quum Monarchiæ adultæ jam, ac virili minime conveniat magistratus ille, qui tantum polleat, ut a Principe parum differat, cœpta deinde est hæc tanta Præfecti potestas intra limites quosdam coerceri. Quando vero id factum, nos docet Doctissimus Gothof. qui in l. *exemplo Africæ IX. tit. Cod. Theod. de extraordinariis, sive sordidis* inquirens quonam tempore Urbicarum, vel suburbicarum Regionum nominis mentio fiat, hæc scripsit. *Investiganti porro mihi, cur non antiquior hujusce Urbicariarum nominis mentio occurrat hanc caussam suppeditat lex 27. infra de appellation., quæ anno 357., & quod excurrit ante hanc legem data est. Nempe novam Italiæ Regionum designationem ea lege Constantius facere instituit; earum scilicet, ex quibus ad Præfectum Prætorio deinceps appellari vellet, & earum ex*

qui-

Digitized by Google

quibus ad Præfectum Urbis, quum hactenus ex omnibus Italiæ Regionibus Præfectus Urbi eas ſibi vindicaret. Quare quum intra ſuam, & peculiarem Urbis diœceſis eum coarctaret, enata jam inde Urbicariarum Regionum appellatio, quaſi quæ Urbis Diœceſin conſtituentes, ſolæ etiam ad Præfecti Urbis diſpoſitionem pertinerent: ideo quoque lex hæc Romæ propoſita dicitur, ad cujus Diœceſin nominatim ea pertinet. Ceterum quot tunc Provincias Italia complecteretur, vide Geographos, eumdemque Gotofr. in cit. lege 27. Cod. Theod. de appellationibus. Interim ex his, quæ dicta ſunt, advertere licet, ad quem auctoritatis apicem Præfectura Urbis poſt Auguſti tempora evecta fuerit, ut non niſi ſub Conſtantio demum imminui cœperit, porro nos percurramus alia.

Non ſolum autem proderat Præfectus is monarchiæ, quia Prætoris tribunal, Senatuſque auctoritatem infringebat; ſed etiam quod antiquæ libertatis veſtigia obreptive quamvis deleret. En Taciti verba, ex quibus id intelligitur. *Ceterum Auguſtus bellis civilibus implicatus Clinium Mecænatem Equeſtris ordinis virum, Romæ, atque Italiæ propoſuit. Mox rerum potitus, ob magnitudinem Populi, ac tarda legum auxilia, ſumſit a Conſularibus, qui coercerent ſervitia, quod Civium audacia turbidum niſi vim metuat. Primuſque Meſſala Corvinus eam poteſtatem, ſed paucos intra dies finem accepit, quaſi neſcius exercendi.* Quæ ut intelligantur in memoriam revocandum eſt, ſub Republica Patres, ac dominos jus vitæ, & necis in liberos ſervoſque habuiſſe, ſed quamvis domeſticum hoc, atque herile imperium florente libertate civibus conveniret, nequaquam tamen ſub monarchia, ubi penes unum omnium vitæ, & fortunæ jus manere debet. Hinc Princeps noſter ſolertiſſimus, ut illud a Civium manu ſenſim eriperet, magiſtratum hunc excogitavit in externam quidem ſpeciem, ut *ſervitia coerceret*, nempe ut ſervorum, filiorumque peccata in dominorum, ac Parentum gratiam puniret, ſed revera ut domeſticum imperium labefactaretur, nam quum hoc tempore ſervorum, filiorumque crimina ad Præfecturæ tribunal perferrentur, fiebat, ut per ſe majeſtas illa dominorum, parentumque elangueret, donec pœnæ tandem ſtatutæ fuerint in pa-

Digitized by Google

parentes, & dominos, si forte filios, vel servos occidissent, aut male habuissent. Ex quibus omnibus quantum Urbis præfectura recentem monarchiam foveret, quum non tantum juribus suis magistratus, Senatusque, sed dominorum etiam, atque parentum domesticum imperium destitueretur, sat perspicitur. Quæ omnia ut majori luce superfundantur, non pœnitet exscribere Ulpiani verba, qui in l. 1. *D. de officio Præfecti Urbi* sic ait Præfectus is institutus *ut servos de dominis querentes audiret*, sed ubi subdit *ea interdictis quod vi, aut clam, aut interdicto unde vi audire potest*, non ne intellexit idem, quod Tacitus scripsit, nempe hunc magistratum institutum esse, ut sartam tectam Reipublicæ tranquillitatem custodiret vim privatam modis omnibus auferendo? Patet igitur dilucidius quantum magistratus hic monarchiæ congrueret.

Post Præfectum Urbi, Præfectus Prætorio sequitur, hi enim duo fuerant magistratus, quos potissimum ab Augusto creandos voluerat, ut diximus, Mecænas. Sed in hoc argumento ita versabimur, ut ad insequentia tempora non descendamus: adeo enim deinde Præfecti Prætorio potestas crevit, ut si omnia ejus jura ab Imperatoribus post Augustum adjecta expendere velimus, prolixa satis dissertatione opus esset. Itaque paucis de eo, ut sub Augusto erat, loquemur. *Proinde ex Equitibus duos* (a), *quosdam præstantissimos satellitio tuo præficies. Nam uni id committere periculo; multis vero, turbis non caret. Duo igitur sint, ut si alter etiam insidias, tibi creare conetur, tamen habeas adhuc, qui te custodiat. Hi ex iis, qui aliquoties militiam fecerint, deligendi sunt, quique multis aliis etiam officiis functi sint: imperium autem obtineant in stipatores, omnesque per Italiam totam milites, ita ut capite etiam sontes plectendi potestatem habeat; demptis tamen centurionibus, ac reliquis in quos Senatoriis magistratibus tantum est potestas, ac ea ipsa quoque libera, ut pœnas aut præmia suo arbitrio imponere possint. Verum hi duo, quos dixi satellitii tui Præfecti in ceteros per totam Italiam milites jus habeant, ac in Cæsarianos etiam, qui in tua sunt familia reliquosque omnes,*

(a) *Dion. lib.* 52.

Digitized by Google

omnes, quorum aliqua eſt habenda ratio. Vicarios autem habeant hi ſuos neceſſe eſt, alioquin pluribus, quam quibus ſint expediendis onerati negotiis, exequi ea, quæ uſus poſtulat, omnibuſque ſimul iſtis præeſſe non poterunt. His quemadmodum etiam Præfectus Urbis, & ſubcenſor magiſtratum omni vitæ ſuæ tempore retineant.... Nam ex diuturno hoc magiſtratu, nihil poteſt mali accidere, quorum alter omnino armis caret, alter paucos milites habeat, ac coram te majorem partem ſui magiſtratus obeat.

Hæc ex Dione excerpere duximus, ut rem penitius introſpiciamus. Itaque patet ex his verbis, quantum Præfectus Prætorio exorienti Monarchiæ ſuffragaretur. Et de Præfecto Urbi ſatis jam diximus, videamus modo de Præfecto Prætorio. Sane is quum undique ab inſidiis latus Principis protegeret, maxime quidem civile regimen tuebatur, nec ullum ab eo periculum timebatur, quum duo eſſent, qui eo munere fungerentur, quorum ſi forte alter inſidias ſtrueret, alter profecto facile obſtaret fractamque fidem patefaceret. Quod ſi Monarchiæ congruat Magiſtratus ille, qui liberæ Reipublicæ convenire non poterat, tales quidem erant Præfectus Prætorio & Præfectus Urbi, qui quum perpetui eſſent, honor is non niſi ſub Monarchia ſperari poterat; etenim ut diximus, ſive in Democratia, ſive in Ariſtocratia Magiſtratus omnes ad tempus inſtituebantur, ne ii per longum imperium libertatem tandem everterent. Neque Principi periculum ullum per eos creabatur: nam Præfectus Urbi militum præſidio deſtituebatur, alter vero quaſdam tantum cohortes, eaſque ſub Principis oculis regebat, ut, ſi quid novi moliretur, Principem non effugeret. Sed quamvis ſub Auguſto non adeo ingens eſſet Præfecti Prætorio auctoritas, ſub Tiberio tamen Sejani calliditate mirum in modum adaucta fuit. En Taciti verba, quæ ſane dicendis facem præferre poſſunt. *Vim Præfecturæ modicam antea intendit, diſperſaſque per Urbem cohortes una in caſtra conducendo, ut ſimul imperia acciperent, numeroque & robore & viſu inter ſe fiducia ipſis in ceteros metus crearetur.* Et quamvis occiſo Sejano, ſatis Tiberius pernoverit, quo ejus animus in attollenda hac poteſta-

Digitized by Google

ſtate intenderit; non tamen Magiſtratus hic ab aula receſſit, quum perutilis Monarchiæ ſervandæ videretur, immo ejus dignitas ſub inſequentibus Principibus eo pervenit, ut Trajanus nudum gladium, quod imperii ſui ſymbolum erat, manibus ejus tradens, ſic præfatus ſit. *Accipe hunc enſem, quo ſi recte imperavero, pro me uteris, ſin minus contra me vertes.* Sed quamquam poſt Auguſtum Præfecti hujus poteſtas nimium evecta fuerit, manſit tamen ex Mecænatis monitu, ut ex ordine Equeſtri is crearetur, nec præter rem, ne ſi ex Senatu legeretur ob nimiam is potentiam rebus periculo eſſet. Hinc lucem accipit illud Capitolini in Marco Antonino, quod *Pertinacem, qui poſtea imperavit Præfectum facere non potuiſſet, quia Senator erat.*

Ex his omnibus intelligimus, quænam fuerat hujus Præfecti poteſtas, de qua nunc dicendum. Solemne quidem veteribus fuit eos, qui præerant exercitui, Prætores appellare; quapropter Prætorium in caſtris tabernaculum Ducis exercitus erat; atque ante id porta hoſtibus obverſa Prætoria dicebatur. Itaque Præfectus Prætorio, Præfectus Prætorum vocatur; atque is ex Auguſti inſtitutione erat, qui Prætorii hoc eſt palatii Cæſarianorum, & Prætorianorum, ſive Palatinarum cohortium, aliorumque per Italiam militum curam gereret. Sed tractu temporis adeo crevit ejus poteſtas, ut totius exercitus, omniumque militum imperium ſibi aſſumeret. Hinc non mirum ſi ingentibus quidem nominibus ab ipſimet Principibus in corpore juris exornatus legatur, modo enim *excellens auctoritas* dicitur l. 1. C. Theod. *de paſcuis*, modo *excelſa ſedes l.* 17. *eodem de numerariis*, nunc *ſublimis magnitudo* l. 52. Cod. Th. *de curſu publico*, nunc *illuſtris præſtantia* l. X. *eodem de diverſis Officiis*. Quid? *miranda ſublimitas, Illuſtris magnificentia, excellens eminentia* l. 15. Cod. Theod. *de accuſation. ſpes magnificentiæ Principalis* l. 15. C. Th. *de portionib. ultro datis; in ſumma adminiſtratione poſita poteſtas* l. 1. *eodem ne ſine juſſu Principis; magnifica ſedes* l. 8. Cod. Theod. *de defenſoribus Civitat. Forum magnitudinis* l. 8. *eod. de Advocatorum diverſorum judicum. Apex ſublimis Præfecturæ* l. 7. Cod. Theod. *de honorariis Præfecturis. Demum*

Fa-

Faſtigium ſummum l. 8. eod. Atque hæc ſunt elogia, quibus Principes in Conſtitutionibus ſuis Præfectum Prætorio exornare in more habebant. Ex quibus patet, quantæ profecto auctoritatis Magiſtratus hic fuerit. Quid ſi dixerim Principem ipſum ingrediente Præfecto palatium aſſurgere conſueviſſe, ut ſcripſit Caſſiodorus 1. var. 20.?

Verum quamvis Magiſtratus hic imperium in totum exercitum nactus eſſet, non tamen ante Marcum Antoninum Philoſophum poteſtatem judiciariam accepit. Quod qua ratione factum, pulchrum eſt videre. Solemne fuerat Principi illi Sapientiſſimo in dirimendis controverſiis ſibi conſiliarios aſciſcere: inter hos autem præcipue Præfectum Prætorio ſelegit. En verba Capitolini, *habuit ſecum Præfectos, quorum & auctoritate, & periculo* (ſic legendum pro *breviculo*) *ſemper jura dictavit*. Qua ex re enatum, ut Præfectus Prætorio in judiciis ſive criminum, ſive civilium controverſiarum in Principis comitatu poteſtatem nanciſceretur per illud ſummum imperium, quod in milites habebat. Sed quandonam hujus judiciaria poteſtas ad id faſtigium evecta eſt, ut ab illius ſententia, quippe qui vicè ſacra judicabat, provocari non liceret? Quum de hoc nullum monumentum ſuperſit, præter Arcadii Chariſii reſponſum in *l. unica D. de Officio Præfecti Prætorio*, eſt profecto ut verba ejuſdem exſcribam. Ait igitur is. *Ad vicem Magiſtri Equitum Præfectos Prætorio antiquitus inſtitutos eſſe a quibuſdam Scriptoribus traditum eſt. Regimentis Reipublicæ ad Imperatores perpetuos translatis ad ſimilitudinem magiſtrorum Equitum Præfecti Prætorio a Principibus electi ſunt, data eis pleniori licentia ad diſciplinæ publicæ emendationem. His cunabulis Præfectorum auctoritas initiata, in tantum meruit augeri ut appellari a Præfectis Prætorio non poſſit: nam quum ante quæſitum fuiſſet, an liceret a Præfectis Prætorio appellare, & an jure liceret; extarentque exempla eorum qui provocarint; poſtea publice ſententia principali lecta, appellandi facultas interdicta eſt: credidit enim Princeps, eos qui ob ſingularem induſtriam explorata eorum fide & gravitate, ad hujus officii magnitudinem adhiberentur, non aliter judicaturos eſſe pro ſapientia, ac luce dignitatis ſuæ quam ipſe foret judica-*

Digitized by Google

turus. En prodita ratio, cur a ſententiis Præfecti Prætorio vetitum fuerit appellare. Sed quum Arcadius hic temporibus Cari, & Carini vixerit, fueritque ſub eiſdem magiſter libellorum, datur intelligi eorum tempore nunquam a Præfectis Prætorio appellatum eſſe.

Sed juris hujus initia ſtatuere perquam difficile eſt, quum nullum monumentum occurrat, unde conjecturam capere poſſimus. Putavit quidem doctiſſimus Gutherus *de Officiis Domus Auguſtæ* tempore Commodi id accidiſſe, ut *vice ſacra* Præfectus Prætorio judicaret, quare ſcripſit, *quantum ſuſpicari licet judicia & appellationes Commodus in Perennem Prætorio Præfectum tranſtulit, cum metu conſcientiæ facile in publicum non procederet, neque quidquam ſibi nuntiari pateretur, niſi quod Perennis ante tractaſſet. Perennis autem Commodi animum perſciens invenit quemadmodum ipſe potens eſſet. Nam perſuaſit Commodo, ut deliciis ipſe vacaret: quod Commodus lætanter accepit.* Sane id ex ipſo Dione probari poterit, qui in Commodo ſic ait. *Quum enim Commodus ſe ſtudio agitandorum curruum, & libidinibus cujuſvis generis dediſſet. Nec quidquam fere ageret eorum, quæ ad Principatum ſpectarent; Perenni non ſolam cura militum, ſed etiam reliquorum omnium eſſe cæpit, & maxime publicæ utilitatis.* Quum ergo ad Principis conſiſtorium appellationes ab omnibus magiſtratibus deferentur; quumque Commodus rerum omnium curam Perenni credidiſſet, ſatis probabilis eſt Gutheri opinio, quod Præfecto Prætorio vice Principis in omnibus fungente, ex hoc tempore ejus ſententiæ ſine provocatione, quaſi Princeps ipſe judicaſſet, fuerint.

Sed quamvis adverſus Præfecti Prætorio ſententiam appellari non poſſet, intra biennium tamen ſupplici libello Principi porrecto, poſtquam ille magiſtratu abiiſſet, retractatio poſtulabatur. Sed cur intra biennium? Quia per hoc tempus fere conſuetudo inducta fuerat, ut biennium eſſet Præfecti Prætorio munus. Itaque retractatio apud illius ſucceſſorem peragebatur. Sed velim advertas, fuiſſe tempus, in quo non Principes Præfectos ſummoverent, ſed ipſi Præfecti munere ſe ſuo abdicarent. Hinc intelligitur illud obſcuriſſimum alioquin

quin Spartiani in Hadriano. *Quare quum Hadrianus Tatiano Præfecto Prætorio ſucceſſorem dare non poſſet, id egit, ut peteret.* Verum ſi quando Princeps per plures annos Præfectos Prætorio confirmaſſet, ut de Antonino Pio traditum eſt, qui Præfectum Ganium Maximum per viginti annos retinuit; tunc retractationem apud eumdem experiebantur, adhibito tamen Sacri Palatii Quæſtore ex Juſtinianea Sanctione in Novella 119., ubi etiam aufert conſuetudinem dandi Principi ſupplicationem, quam didaſcalicum appellat intra decem dies eidem Præfecto directe porrigendum. Ceterum quum eo auctoritatis magiſtratus hic aſſurrexiſſet, non mirum quod Conſtantinus deinde ejus jura minuerit, auctoritate in quatuor Præfecturas diviſa, atque ab omnibus militari imperio ablato unoque in re civili relicto jure, aliiſque in rebus, quæ omnia aliena putans a meo inſtituto libenter hic omitto.

§. IV.

De Præfectis ærario, Subcenſore, & Quæſtore.

PRæfectos ærarii, ſive quæſtores, etiam ſub Regibus fuiſſe, res eſt in Romana hiſtoria ſatis vulgata. Sed Regibus exactis, & Conſulatu inſtituto, prudentiſſimus ille vir Valerius Poblicola noluit publicam pecuniam a Conſulibus curari, veritus, ne improbis ea foret ad omnia audenda promptior occaſio, bene vero morati per eamdem improbi fierent. Itaque Quæſtores creavit, qui publicæ pecuniæ præeſſent. Hæc autem, quemadmodum apud Græcos ærarium publicum in Inſula Delo erat, in Saturni æde ſervabatur; putabant enim tutius fore, ſi quo in templo reponeretur, atque in illo potiſſimum Saturni, quum eo regnante ſeculum aureum fuiſſe fabularentur. Igitur in ejus æde & publica pecunia, & leges, & S. C. & publicæ tabulæ aſſervabantur. Sed quidquid ſit de conſuetudine publicæ pecuniæ ſub libera Republica curandæ, ad Auguſti tempora, quod eſt argumentum noſtrum, progrediamur. Etenim, ut ſuperius diximus, quum Auguſtus militare ærarium inſtituiſſet, neceſ-

Digitized by Google

se ei fuit Magistratus creare, qui ejus curam gererent, iisque omnibus, quæ ad illud augendum, vel saltem servandum facerent, præessent. Quare Tranquillus inter cetera (a) Principem nostrum egisse ait, *ut cura ærarii a quæstoribus Urbanis ad Prætorios, Prætoresve transiret*. Sed quum ex paucis his verbis lux nulla dicendis affulgeat, videamus potius, quid nobis tradat Politicorum Princeps Tacitus. Hic igitur An. 13. 28. 6. hac de re paullo longius loquutus inquit. *Dein Princeps curam tabularum a quæstoribus ad Præfectos transtulit. Varie habita, ac sæpe immutata ejus rei forma; Nam Augustus permisit Senatui deligere Præfectos: dein ambitu suffragiorum suspecto sorte ducebantur ex numero Prætorum, qui præessent. Neque id diu mansit, quia sors deerabat ad parum idoneos. Tunc Claudius quæstores rursus imposuit: iisque ne metu offensionum segnius consulerent, extra ordinem honores promisit. Sed deerat robur ætatis eum primum Magistratum capessentibus. Igitur Nero Prætura perfunctos, & experientia probatos delegit*. Præter hæc adjicienda hic puto & verba Dionis. *Augustus*, scripsit hic, *pro se, & Tiberio pecuniam in ærarium, cui militaris nomen indidit, intulit, ejusque administrationem Prætoriis Tribus, sorte lectis ad triennium mandavit qui binis lictoribus, ac Ministris aliis, quos conveniebat uterentur, id per successionem aliorum in multos annos productum: nunc ab Imperatore eliguntur, & lictores non habent*.

Ex his omnibus formam publicæ pecuniæ administrandæ, quam Princeps noster instituit, habemus. Sed cur Senatui permisit, ut Præfectos ærario deligeret? Nempe ut exemplo a Valerio Poblicola ducto ostenderet, quamvis in speciem, quantum a pecuniæ vi, in qua vertitur militare imperium, abesset, quum ejusdem dispensatio penes Magistratus a Senatu electos foret. Sed quid illa verba, quæ idem Tacitus subdit, *deinde ambitu suffragiorum inspecto, sorte ducebantur ex numero Prætorum, qui præessent*. Si conjecturis locus dari possit, dicerem sane Principis nostri sollertiam hic nobis significari, nam quum Præfectus is maxime esset Principi

(a) *In Octav. cap. 36.*

Digitized by Google

cipi acceptus, qui ſedula cura res ærarii gereret, quid mirum ſi Magiſtratum hunc ſtudioſe omnes ambirent, ut Principem ſibi demererentur? Hinc Auguſtus ut effugeret invidiam, præque ſe ferret, quantum a cogendæ pecuniæ cupiditate abeſſet, voluit Præfectum hunc ſorti objicere, ne videretur, inquam, apud Patres egiſſe, ut crearetur is, qui rebus ſuis conſuleret: juvat hanc conjecturam illud Plinii (a). *Quid audes, quo ruis? Quibus te periculis objicis? Quid præſentibus confidis incertus futurorum? laceſſis hominem jam præfectum ærarii, & brevi conſulem.* Maximi igitur intererat Magiſtratu hoc fungi, ſi confeſtim eum Conſulatus ſequeretur. Hac ſane de cauſſa Tacitus ſcripſit bene multos hoc munus affectaſſe, quum maximopere id valeret ad Principis gratiam aucupandam.

Sed jam opportunum eſt videre, quæ Præfectus hic ærarii pertractaret, quæque ejus poteſtas eſſet. Inſignis ſane Tranquilli locus occurrit, & quidem explicatu difficillimus, atque ab hoc exordiar. Ait is (b): *Judicia ad duo genera Judicum redegit, equeſtris ordinis, ac Senatorii; Tribunos ærarios, quod erat tertium ſuſtulit.* Hi quidem ſunt Tribuni illi ſive ærario Præfecti, quos ſuſtulit Cæſar, Auguſtus denuo reſtituit, ut ſuperius diximus. Itaque Tranquillus heic loquitur de Tribunis his tamquam habentibus judiciariam auctoritatem, ut legenti patet. Et quidem Judices fuerunt in rebus illis, ubi Fiſci ratio vertebatur, vide legem 12. *D. de his, quæ ut indignis.* Ubi quum quidam peracto teſtamento nomen heredis induxiſſet, M. Antoninus ad Præfectos ærarii cauſſam remiſit, ut viderent an legata deberentur. Palam igitur eſt hos præfectos in cauſſis fiſcalibus inter ærarium ſcilicet, & privatos judices ſediſſe.

Omittendus autem non eſt inſignis Ulpiani locus, qui ſane intelligi vix poterit, ignorata Magiſtratus hujus poteſtate. Ait is in lege *quum hi* §. *tranſactiones D. de tranſactionibus: tranſactiones alimentorum etiam apud Procuratorem Cæſaris fie-*

(a) *Lib. 9. Epiſt. ad Quatrat.*
(b) *In Julio cap. 41.*

Digitized by Google

fieri possunt, scilicet si a Fisco petantur alimenta, secundum quæ & apud Præfectos ærarii transigi potuit. Verum quænam sunt isthæc alimenta, quæ petebantur a Fisco? Sunt quidem illa, quæ ex sanctione Imperatoris Nervæ pueris, puellisque natis parentibus inopibus sumtu publico per Italiam præstabantur. Itaque quum alimenta hæc a Fisco deberentur, non poterat sane de eisdem transactio iniri, nisi causa cognita apud Præfectos ærarii, quorum præter cognitionem nihil legitimum esse poterat, ubi fiscalis res agebatur. Sed ad quamplurimarum legum intelligentiam advertendum M. Antoninum instituisse, sive potius revocasse consuetudinem illam, qua ad Præfectos ærarii Saturni unusquisque civium natos liberos profiteretur intra trigesimum diem nomine impositio, cujus rei gratia per Provincias *Tabularium* instituit, apud quem professio hæc perageretur. Immo ex hoc tempore causæ etiam liberales, atque filiationis, ceteræque similes apud eosdem Præfectos agitabantur. Ex quo profecto lucem accipit responsum illud Scævolæ *in l. Imperatores §. mulier D. de probationibus*, quod ceteroquin obscurissimum videtur: *Mulier gravida repudiata, filium enixa absente marito, ut spurium in actis professa est. Quæsitum est an is in potestate patris sit, & matre intestata mortua jussu ejus hereditatem matris adire possit, nec obsit professio a matre irata facta? Respondit veritati locum superfore.* Demum ut rem hanc absolvam, pertinebat ad ærarii præfectos de bonis vacantibus, caducis, ereptitiis, quasi caducis, & de his, quæ auferebantur tamquam ab indignis, cognoscere. Sed tempore procedente, jam inde a Constantino Magno in horum Præfectorum locum Comites sacrarum largitionum, & privatarum substituti sunt, apud quos administratio ærarii, omnisque cura subsedit.

Sequuntur alii duo Magistratus ab Augusto instituti, nempe Censor, sive subcensor, & Quæstor, de quibus carptim quædam dicenda, ne prope in immensum opella hæc excrescat. De creando subcensore quantum sollicitus fuerit Mecænas, patet ex ejus monitis ad Augustum. *Alius quidem ex eodem ordine deligi debet, qui genera, facultates, moresque Senatorum, & equitum, adulterum juxta, ac pueritiæ ætatis, item-*

Digitized by Google

itemque mulierum, & familiæ totius examinet, ac procuret, eaque corrigat, quæ quum ſupplicio non dum digna ſunt tamen neglecta, multis ac magnis malis occaſionem præbent. de majoribus autem ad te referat. Hoc munus Patricio alicui poſt Præfectum Urbis præſtantiſſimo potius quam Equiti injugendum eſt nomenque a tua cenſura (nam omnino in hac re te primas gerere convenit) haud abſurde habebit, ut ſucceſſor ille dicatur.

Jure autem merito ſapientiſſimus vir Auguſtum noſtrum ſedulo monuit, ut ſubcenſorem inſtitueret, quum nullus omnino ſit Magiſtratus, atque is, Monarchiæ æque commodus. Nolim autem heic ea repetere, quæ dixi ſuperius de cenſura. Sed ut intelligatur, quantum iſthæc non utilis tantum, ſed neceſſaria prorſus formæ Monarchicæ ſit, pauca quædam perſtringemus.

Fruſtra quidem eſſent in recenti regimine novæ leges, quæ mortuæ in tabulis jacent, niſi ſedulo Princeps curaret, ut civium mores ad novam hanc formam componerentur. Sic jam ante Ariſtoteles monuit, ut in unoquoque imperio præſto ſit cenſor, qui curet ut civium vita formæ civilis regiminis reſpondeat. Itaque in Monarchia perneceſſe eſt, ut cenſor, ne conſuetudo civilis abſona ſit Monarchico regimini, operam præſtet. Sat enim vulgatum aliter ſub Monarchia quam ſub Ariſtocratia, vel democratia mores Civium componendos, de quo quum affatim in libri hujus prolegomenis ſcripſerim, ſat nunc eſt rem indicaſſe. Facit etiam Magiſtratus hic, ut Princeps præ mentis oculis ſemper habeat Civium bona, numerum, atque uniuſcujuſque vitæ genus, nempe cui quiſque arti ſtudeat, quoque cujuſque ingenium tendat, ad belli ne ſtudia, an paci proclivius. Sed ne adeo ſummatim rem tantam abſolvamus, operæ pretium eſt pauca quædam de origine cenſus edifferere. Romæ omnium primus Servius Tullius cenſum inſtituit, de quo ſic Livius *invenit ut pro modo prædiorum quiſque tributa penderet*. Sed cujus rei gratia id effecerit, quum jam occupaverimus in libro primo, ultro miſſum facimus, ne repetita crambe faſtidium pariamus. Theophilus cenſum definiens, *eſt* (inquit) *tabula, ſeu charta, in qua Romani ſuas facultates ſcribebant ut tem-*

pore

pore belli quisque secundum substantiæ suæ modum conferret. Sed præ omnibus advertendum censum frequentius in Provinciis, quam in Italia actum, nam scribit Dio (*a*), Metellum Nepotem Prætorem rogata lege Italiam tributis liberasse, ac propterea prædia ejus tributaria, ut in Provinciis, non fuisse, sed immunitas hæc non semper mansit, nam ingruentibus bellis, primum moderate quidem, mox graviter & ipsa onerata est. Quod præcipue factum, inito fœdere inter Galerium Maximinum, & Constantinum, factaque Orbis Romani inter eosdem divisione, quapropter Aurelius victor scripsit; *hujus parti Italiæ injunctum tributorum ingens malum*. Roma tantum hoc onere immunis mansit, vel liberata fuit, de quo videsis legem 2. *C. Theod. de privilegiis Urbis Constantinopol.* quæ est pars legis 6. l. Justi. *de Sacrosanct. Eccl.* Ex his conjicio, censum Romæ sub Augusto potius actum, ut ingruente bello, aut publica necessitate urgente pro suarum quisque fortunarum modo extra ordinem tributum inferret, quam ut ordinarium quid a Civibus pro bonorum ratione penderetur. Si autem scire cupias rationem censum peragendi in Provinciis adi leg. *formam D. de censibus*, ubi cautum est, ut referretur fundi cujusque nomen, & in qua Civitate, pagoque esset, quosque finitimos haberet; arvum, quod in decem annos proximos satum erat, quot jugerum esset, vinea quot vitibus consita, oliva quot jugerum, & quot arbores haberet; pratum, quod item intra decem annos satum erat, quot jugerum, pascua quot & idsa jugerum esse viderentur, & si quæ essent silvæ cæduæ. Ex quibus tibi aperitur ratio, cur apud census Magistrum testamenta aperiri, publicari, donationes insinuari opus esset; nempe ut palam fieret possessor bonorum, a quo tributa realia persolverentur, quæ curare ad eumdem Magistrum census pertinebat.

Sed ut transeamus ad Quæstorem, ejus auctoritas ab exiguis sub Augusto profecta initiis, adeo deinceps crevit, ut cum Præfecto Prætorio propemodum comparari potuerit. Sed

(a) *Lib.* 37.

Digitized by Google

Sed rem arceſſamus ab origine ſua. Dio hæc tradit (a): *Tum quoque primum poſt Merulam, Flamen Dialis creatus eſt: quæſtoribus etiam quæ unoquoque tempore fierent, Senatus Conſulta adſervanda tradita, quum Tribuni plebis, ac Ædiles, quibus ante id negotium datum fuerat per apparitores hoc ſuos egiſſent, atque inde error & confuſio incidiſſet.* Hæc Dio, ex quibus patet primam curam quæſtorum fuiſſe adſervandi S. C. quæ ante a Tribunis plebis, atque Ædilibus cuſtodiebantur. Quod profecto rem Principis mire juvabat, ne dominationis arcana vulgarentur, atque apud ſibi fidos potius ſervarentur. Hinc Tranquillus ſic ſcripſit (b) *Auctor & aliarum rerum fuit, in queis ne acta Senatus publicarentur.* Sed præter id munus quæſtorum fuit recitare in Senatu Principum orationes, vocatique proinde Cæſarum candidati a toga ſcilicet candida, qua erant induti, quod ſymbolum erat familiaritatis, qua apud Principem pollebant; quemadmodum ſcripſit Tertullianus de idololatria ſic: *qui familiaritate Regum utebantur purpurati Regum vocabantur (ſicuti apud Ægyptios) ſicuti apud nos a toga candidati.* Hæc fuit primigenia quæſtorum poteſtas: ſed inſequenti ævo datum illis fuit, ut omnia quæ faceret Princeps, juberetque fieri, manu ſua notarent. Quapropter mandata, quæ Provinciarum Præſidibus, aliisque Magiſtratibus dabantur, honorum Codicilli, & Conſtitutiones Principum rata minime erant, niſi fuiſſent a quæſtore ſubſcripta. Qua de re factum, ut non quæſtor ſimpliciter, ſed Palatii quæſtor nuncuparetur, quum omnia fere, quæ a Principe fierent, is ſubnotare debuiſſet. Quod ſub Conſtantino Magno ſane inſtitutum doctiſſimus Pancirolus in notitia utriuſque imperii, & Gutherus *de officiis domus Auguſtæ* ſcripſerunt. Demum cauſſæ omnes ad Principem devolutæ, quæſtori cum Præfecto Prætorio commiſſæ ſunt, de quo vide l. *præcipimus C. de appellation.*

(a) *Lib. 54. in fine.*
(b) *Cap. 36.*

Digitized by Google

CAPUT XII.

De Magistratibus Provincialibus ab Augusto institutis.

QUum in exponenda jurisprudentia Augustali, sic me gesserim, ut primo leges attigerim, quibus Civitas composita est ad Monarchiam, deinde ad eas descenderim, quæ Provinciarum administrationem ad novam Reipublicæ formam adcommodarunt; eumdem profecto ordinem in Magistratibus ab Augusto institutis tradendis, ut bene omnia sibi constent, persequi ratus sum. Quamobrem postquam Magistratus in Urbe creatos bene satis Monarchiæ congruere vidimus, ratio postulat, ut de Provincialibus differamus, eorumque potestatem Principatui mire consonam spectemus.

Princeps noster victo Antonio, imperio suo exuto Lepido, civilibusque omnibus factionibus extinctis, quum jam potentiam suam firmasset, ad novi regiminis formam animum intendit. Qua de re novas leges condidit, novosque Magistratus instituit, ut cuncta votis suis responderent. Inter omnia tamen curæ sibi erant Provinciæ, quarum Magistratibus apprime prospexit. Sic enim Mecænas illum monuit (a). *Universam Italiam, quantum ejus ultra nonaginta quatuor millia passuum ab Urbe distat, ceteraque omnes nobis subditas terras insulasque secundum Populos, ac nationes distribue: ita ut singulis Urbibus, quæ unius alicujus hominis mero imperio possunt gubernari, milites imponantur, ac consularis unus, & duo Prætorii viri eis præsint; quorum alter tunc primum extra Urbem amandatus, privatorum negotiis, rebusque necessariis parandis occupetur: alter jam ante hoc hoc munere functus, rem publicam urbium procuret, ac imperium in milites obtineat exceptis iis casibus: in quibus ignominia, aut morte plectendum est .... Oportebit duos Prætorios diviso imperio, legionibus, ac rebus Civitatum, privatorumque hominum præesse, Consularis vero quum ea, quæ dixi munera obibit, tum eas causas, in quibus a Prætoriis ad ipsum fit provocatio cognoscet. Idem neque minus triennio (nisi quis quid deliquerit) neque plus quinquennio Magistratum obeant,*

(a) *Dio lib.* 52.

Digitized by Google

beant; nam & annui illi Magiſtratus, ac pauco tempore circumſcripti hoc habent, ut quum quis aliquid in iis addidicerit prius decedat, quam ejus ſpecimen exhibere poſſit, & diuturniora imperia multos ad faſtum, ac tentandas res novas extollunt. Hoc fuit ſpecimen, quod Mecænas Principi noſtro ad bene regendas Provincias, accomodate tamen ad Monarchiam præbuit. Ceterum quum ſuperius multa jam dixerimus de origine Provinciarum, de earum legibus, ac forma, imperioque provincialium Magiſtratuum ab Auguſto circumſcripto, ac demum de illarum diviſione Senatum inter, ac Principem noſtrum, reliquum nunc tantum eſt, ut de Magiſtratibus ipſis agamus.

§. I.

De Præfecto Auguſtali, deque Juridico Alexandrino.

DIo Caſſius regimen Provinciarum ab Octavio inſtitutum memorans ait, *Utriuſque ſortis Provinciis nempe Conſularibus, & Prætoriis Patricios præfecit: Ægypto tantum Equeſtris dignitatis virum ob eas, quæ ſupra ſunt commemoratæ cauſſas.* Quod ut clarius pateat, res ab origine ſua repetenda. Quum Auguſtus anno 724. Alexandriam occupaſſet, Ægyptum in Provinciæ formam redegit, quam ſibi retentam Equiti Romano Cornelio Gallo, Poetæ inſigni, qui Antonium profligaverat, regendam, non Proconſulis, aut Proprætoris, ſed Præfecti tantum Auguſtalis nomine tradidit, cujus rei cauſſam Tacitus prodit (*a*): *Ægyptum, copiaſque, quibus coercetur, jam inde a Divo Auguſto Equites Romani obtinent loco Regum. Ita viſum expedire Provinciam aditu difficilem annona fœcundam, ſuperſtitione, ac laſcivia diſcordem & mobilem, inſciam legum, ignaram Magiſtratuum domi relinquere.* Quid vero hiſce verbis hic ſcriptor vult, niſi ideo Auguſtum Provinciam hanc inter alias maxime ſibi retinuiſſe, eamque Magiſtratuum Romanorum nemini mandaſ-

(a) *Lib. 1. An.*

Digitized by Google

ſe, ſed Equiti tantum, quaſi Rector illius is unus eſſet, ut ne ob incolarum inconſtantiam, atque opum copiam, quibus abundabat, Senatorius Magiſtratus res novas moliretur? Atque huc facit præceptum illud Auguſti; ne quis Senator ad Ægyptum accederet, niſi nominatim ex ejus juſſu, quia creari ſibi periculum poſſe putabat, ſi ad hanc ſplendidiſſimam Provinciam Senator mitteretur; item ne Præfectus Auguſtalis imperium abdicaret, niſi ejus ſucceſſor Alexandriam ingreſſus eſſet. Atque hoc contra morem aliarum Provinciarum quo Præſes Magiſtratum ſtatim deponebat, ac ſucceſſor fines attigiſſet. Etenim in Ægypto timor erat, ne qua ſeditio oriretur, niſi ſucceſſor confeſtim, ac ſine intermiſſione, deceſſoris fungeretur vice. Itaque ob mores leviores ejus gentis, ſapienter ſe geſſit Auguſtus ſibi Ægypti adminiſtrationem reſervando, quaſi ſibi foret peculiare regnum. En quæ in hanc rem ſcripſit Strabo capite 17. *erat enim hæc Provincia veluti regnum peculiare Imperatoris*. Atque hæc eſt ratio, cur Nero (*a*) in ſuis anguſtiis Senatum oraverit, ut ſibi imperio exuto concederetur ſaltem Ægypti Præfectura, quæ veluti regnum Principis habebatur. His de origine, & cauſsa Præfecti Auguſtalis præmiſſis, ultra progrediamur.

Nimis quidem adniſus ſum, ut Præfecti Auguſtalis, & Juridici Alexandrini poteſtatem, ejusque fines ex vetuſtatis latebris eruerem. Sed in caſſum omnia, quum nihil mihi exploratum ſit, quod viris doctis probetur. Itaque nonniſi conjecturis utar, quæ quanti faciendæ ſint, lectoris eſto judicium. Ad rem igitur. Strabo, qui ſub Auguſto, Tiberioque ſcripſit, hæc lib. 17. ait de regimine Ægypti. *Qui mittitur Regis loco eſt. Ei ſubeſt Dicæodotes* (*ideſt juri dicundo* præfectus) *qui judicia exercendi pleraque poteſtatem habet. Tum alius, qui peculiares rationes curet. Is in ea inquirit, quæ ſub alterius poteſtate non ſunt, ſed ſeorſim ad Cæſarem recidunt. Hos comitantur Cæſaris liberti, & adminiſtratores, quibus majora, & minora negotia committuntur*. Ex quibus patet, Ægyptum in Provinciæ formam redactam ſub adminiſtratione Præſidis, hoc

(a) *Tranquil. in Ner. cap. 47.*

Digitized by Google

hoc eſt Præfecti Auguſtalis, juridici, & Rationalis fuiſſe. Itaque Præfectus hic Auguſtalis, qui Ægypto præerat a ceteris Præſidibus diſtabat, quum hi imperium militare cum juriſdictione civili, ærariique cura conjunctum haberent, ille vero imperio tantum militari, eoque circumſcripto, polleret. Nam ordinariorum ſub ſe judicum examinandi flagitia poteſtatem habebat, præterea nihil, quum referre ſuper his deinde ad Principem deberet, cujus ex mandato poterat demum punire, ut ex l. 2. *C. de officio Præfecti Auguſtalis*. Ceterum juris dicundi poteſtas a juridico exercebatur, atque ærarii adminiſtratio penes rationales, Cæſarianoſque erat. At enim cur adeo coercita eſt Auguſtalis Auctoritas? Non alia profecto de cauſſa, niſi quia veritus Auguſtus, ne Provinciæ amplitudo, atque opulentia, incolarumque fervens ingenium eum ad res novas moliendas impelleret. Itaque, ut verius loquamur, Præfectus hic Auguſtalis potius minor quidam Magiſtratus, quam Præſes appellandus erit.

Quod autem ſpectat juridicum Alexandrinum, nolim putes, talem hunc fuiſſe, quales Italiæ juridici erant: ſi enim hi vere Præſides habebantur, ille tantum Magiſtratus erat qui jus diceret. Cujus gratia ſciendum, in unaquaque libera Civitate Duumviros fuiſſe juri dicundo. Sed ſi quando Civitas jure libertatis, & Curiæ excideret, id erat in more, ut omnes ejus Magiſtratus abrogarentur, atque ab Urbe quotannis Præfecti mitterentur, qui loco Duumvirorum jus redderent, uti factum legimus Capuæ, poſtquam ad Annibalem defecerat. Quamobrem Alexandrinum juridicum alium non puto a Magiſtratu ab Urbe miſſo loco Duumvirorum, qui, Alexandria Magiſtratibus ſuis viduata, ibi jus redderet.

Sed Juridicus hic Alexandriæ tantum, an per totam Ægyptum jus dicebat? Profecto ſi mihi conſtaret unam Alexandriam jure Curiæ excidiſſe, exploratum eſſet, haud per totam Ægyptum eum jus dixiſſe. Id quidem mihi videtur intellexiſſe Dio, quum ſcripſit lib. 51. Auguſtum ſubacta Ægypto ejus Provinciæ Urbibus veteres reliquiſſe Magiſtratus & conſuetudines, Alexandrinos autem ſolos Senatu deſtitutos. Quapropter conjiciendum eſt Juridicum hunc Alexandriæ tantum

Digitized by Google

tum jus dixisse, quum in reliqua Provincia nihil ab Augusto, & in Magistratibus, & in consuetudinibus, immutatum fuerit. Sed clarius id evincitur ex Spartiano in Severo cap. 17. ubi ait. *Alexandrinis jus buleutarum dedit, qui sine publico consilio, ita ut sub Regibus, ante vivebant, uno judice contenti quem Cæsar dedisset.* Itaque Juridicus Alexandrinis datus, quia jus Curiæ libertate per Augustum ablata amiserant. Hinc idem Dio in Severo subdit. *Senatores autem Alexandriæ sunt, & esse cœperunt sub Severo Imperatore*, quod si Senatores, eo quidem magis judices, qui jus dicerent. Ecquid sibi voluit Ulpianus in *l. 2. D. de officio juridici. Juridico, qui Alexandriæ agit datio tutoris, Constitutione D. Marci concessa est?* Si juridicus hic Magistratus erat, cur tutorem dare non potuit? Sed salva res est, si dicamus, quod sane verum est, juridicum hunc ex Magistratibus majoribus non fuisse, uti erant Præsides, quibus ex lege Julia concessum, ut tutores dare possent. Itaque quum minor Magistratus esset, expressa lege opus fuit, ut tutores daret. Nolim tamen credas sub potestate Præfecti Augustalis fuisse; nam imperii notitia hos tantum Præfecto subjicit, *Principem de schola agentium in rebus, Ducenarium, qui adorata Clementia principali cum insignibus exit. Cornicularium Adjutorem. Commentariensem. Ab actis. Numerarios, curam epistolarum. Exceptores*, & ceteros officiales. Præterea si juridicus ad minuendum Præfecti Augustalis imperium institutus est, eratque veluti speculator quidam, ne quid novi Præfectus moliretur, num sub ejus potestate censendus? Hæc de juridico, quantum per conjecturas licuit; quid autem de eo, postquam restituta per Severum Alexandrinis curia, libertasque?

Et quidem sicuti post laudatam Severi constitutionem Alexandrini Senatus crevit auctoritas; ita ex adverso juridici potestas minuta est; adeo ut Ulpiani ævo, qui post Severi tempora scripsit, a quibusdam fuerit dubitatum, an apud Juridicum adoptare quis posset, & Ulpianus quidem affirmat inquiens (a) *adoptare quis apud Juridicum potest, quia data est ei legis*

(a) *L. 1. D. de officio juridici.*

Digitized by Google

legis actio. Verum quum ex Constitutione Antonini Caracallæ omnes, qui erant in Orbe Romano Cives facti fuerint, atque idem passus sit, ut Alexandrini adlegerentur in Senatum Romanum, adeo juridici desuevit potestas, ut nulla propemodum ejus occurrat mentio, nisi ad Justiniani tempora deveneris, quibus ad venerandæ antiquitatis memoriam concessum ei tantum est, ut voluntaria quadam jurisdictione polleret. En legem unicam *de officio juridici. Imper. Leo, & Anthem A. A. Alexandrino Duci, & Præfecto Augustali. Jubemus apud Alexandrinæ dumtaxat clarissimæ Civitatis juridicum licitum, & concessum esse singulis quibuscumque volentibus donationis conscriptæ sollemniter instrumenta reserare, eisdemque robur adjiciat gestorum series apud eumdem confecta, tamquam si apud virum clarissimum moderatorem Provinciæ, vel Magistratus, vel defensores plebis habita fuisse dicerentur.* Hæc sunt, quæ de Præfecto Augustali, ac de Alexandrino Juridico dicere habui, quum nihil præterea apud Scriptores invenerim, quod viris doctis probaretur. Percurramus modo & alia.

§. II.

De Procuratore Cæsaris, deque ejusdem rationalibus.

QUod in Urbe faciebat Quæstor, id in Provinciis Cæsaris procurator peragebat; ambo igitur curabant ærarium. Rationalem autem putant non pauci rem privatam Principis administrasse, ita ut Procurator rebus Fisci, Rationalis veto rebus Cæsaris operam navaret; sed non desunt, qui discrimen hoc insuper habent, creduntque Procuratorem Cæsaris aliquando & Rationalem appellatum, etsi administratio Fisci, & ærarii non uni mandaretur. Sed missis his, Augustus ut ex omni parte Senatus auctoritatem infringeret, ne rebus novis aliquando studeret, non solum ei Provincias ademit, quæ militari præsidio ornarentur, sed curam etiam ærarii, quæ antea Præsidum erat, bene de se merentibus sub nomine Procuratorum Cæsaris, aut Rationalium

lium adjecit. Itaque non in ſuas tantum Provincias, ſed & ad illas, quæ ad Senatum pertinebant, Procuratores hujusmodi mittebat, ut ita ærarii cura, unde militaris vis paratur, perpetuo a Præſidibus omnibus abeſſet. En Dionis præclarum locum a Xilandro quidem corruptum, ſed a Lipſio tamen reſtitutum. *Imperator etiam Curatores* (ſic enim ii vocantur, qui publicos reditus colligunt, certasque impenſas faciunt) *in omnes Provincias ſuas, ac Populi Romani, ex Equitibus, alios ex libertis mittit, eo dempto, quod Proconſules, quibus locis præſunt, ipſi tributa exigunt.* Quæ ſane poſtrema verba prioribus conſona non ſunt, illis enim Proconſules, his Procuratores Cæſaris miſſi dicuntur. Sed procul dubio credendum eſt, per eos in iis etiam Provinciis collecta eſſe tributa, quando eo mittebantur. Quare Laudatus Lipſius in excur. ad Tacit. lib. 11. An. ſcripſit. *Quaſi Proconſules reditus collegerint ipſi in Provinciis ſuis. Fallacia verba, quæ virum doctum nuper induxerunt non me. Planiſſime enim in Proconſulum etiam Provinciis procuratores Dion ipſe docet.*

Itaque ut ad rem veniamus, Procurator Cæſaris omnia illa peragebat, curabatque, in quibus Cæſaris res vertitur; quamobrem bona vacantia, ereptitia, atque ea quæ auferebantur ab heredibus, vel legatariis tamquam indignis, ille tractabat. Neque Præſidi Provinciæ ſine Cæſaris curatore in ulla re verſari licebat, in qua Fiſci commodum, vel incommodum adeſſe videretur. Erat igitur maxima Cæſaris curatoris auctoritas, ita ut Tacitus in vita Agricolæ ſcripſerit. *Quærebantur Britanni in Provinciam redacti, ſingulos ſibi olim Reges fuiſſe, nunc binos imponi, e quibus legatus in ſanguinem; Procurator in bona ſæviret,*

Quæ profecto verba quum obſcura ſint, ut res ab origine ſua arceſſatur, immorari propterea aliquantiſper ne pigeat. Quamvis procurator hic maximam haberet in bona Provincialium poteſtatem, jurisdictione tamen ab Auguſto ad Claudium uſque Imperatorem caruit. Itaque notione deſtitutus Cæſaris tantum rem adminiſtrabat. A Claudio deinde mirum eſt, quantum ejus auctoritas aucta ſit. Sic enim Tacitus ſcripſit. *Eodem Anno ſæpius audita vox Principis,*

Digitized by Google

cipis, parem vim rerum habendam a Procuratoribus ſuis judicatarum, ac ſi ipſe ſtatuiſſet. Ac ne fortuito prolapſus videretur. Senatus quoque Conſulto cautum plenius, quam antea & uberius. Nam D. Auguſtus apud Equeſtres, qui Ægypto præſiderent, lege agi. decretaque eorum proinde haberi juſſerat, ac ſi Magiſtratus Romani conſtituiſſent, mox alias per Provincias, & in Urbe pleraque conceſſa ſunt, quæ olim a Prætoribus noſcebantur.

Ex quibus ſatis patet Cæſaris, ſive Fiſci Procuratorem, nonniſi per Claudium Imperatorem jurisdicundi poteſtatem in re pecuniaria inter Fiſcum, & privatum habuiſſe. Sed quid illa Auctoris admiratio, quaſi rem aliquam inauditam referret? Sane juris dicundi poteſtas non niſi Magiſtratuum legitimorum erat, neque umquam Equitibus, eoque minus libertis dabatur. Quare quum Procuratores Fiſci non eſsent Senatores, ſed Equites, vel liberti, neque Magiſtratum gerere, neque juris dicundi poteſtatem exercere poterant. Non abs re erit huc iterum afferre Dionis verba, ut locus hic Taciti luce majori ſuperfundatur. Ait is. *Procuratores (ita enim appellamus eos, qui publicos reditus colligunt erogantque in omnes Provincias, tam ſuas, quam Populi Cæſar mittit quosdam ex Equitibus quosdam ex libertis.* Ex quibus hæc infert, colligitque Doctiſſimus Lipſius ad Tacitum. *Itaque nec judicia, nec acta eorum rata, vocarique poterant ad diſquiſitionem Principis aut Senatus. Quoniam lege apud eos agi (ut ad rem, & ſollemniter loquar) nefas. Apud Magiſtratum ſolum Populi Romani, prove Magiſtratu actio legis fuit ut Conſules, Proconſules, Prætores, Præpretores qui) omnes e Senatu. Apud Equites non fuit, multo minus apud libertos. Inter quos excipio, hoc eſt inter Equites, unum Præfectum Ægypti, apud quem ut Tacitus notat, lege agi permiſit Auguſtus.*

Ex quibus ſane patet, quid dictum voluerit Tranquillus in Claudio cap. 12. *Neminem exulum, niſi ex Senatus auctoritate reſtituit, ut ſibi in Curiam Præfectum Prætorii, Tribunoſque militum ſecum inducere liceret, utque rata eſſent, quæ procuratores ſui in judicando ſtatuerent precario exegit.* O-

Digitized by Google

mnia igitur Claudius ex Senatus auctoritate transigere simulavit, ut Curiæ auctoritatem extolleret ad Senatorum benevolentiam suo tunc imperio non satis adhuc firmo perutilem comparandam. Quare quum legibus non nisi Senatus ex pristina libertate derogaret, precario exegit, *ut acta suorum Procuratorum*, qui utpote Equestris Ordinis, vel libertini generis per legem juris dicundi potestate exornari non poterant, *rata essent*. At contra deinde, postquam Imperatoriam Majestatem firmatam satis intuitus est, se gessit idem Claudius: nec amplius precibus, ut antea, usus est, sed jubendo præcessit, ut Procuratorum acta rata forent. *Audita vox Principis est parem vim rerum habendam a Procuratoribus suis judicatarum, ac si ipse statuisset*. Profecto Princeps non satis duxit rebus suis consuluisse, nempe ærarii utilitati, si procuratorum acta rata essent, nisi simul ipsius Principis statuta censerentur. Ad id tamen voluit SenatusConsul. fieri, ne Senatui derogaret, cui nondum larva illa ablata erat, ut Princeps nonnisi Senatu auctore leges conderet, quum revera Senatus auctoritas Principum voluntati inserviret.

Hæc omnia satis ad rem hanc claram faciendam essent, sed quia insignis Dionis locus hic occurit, & quidem a nemine ante intellectus, non est omittendus. Ait is in vita Tiberii: *Capitonem Asiæ curatorem in Senatum introduxit* (Tiberius) *objiciensque inter alia crimina, quibus se Imperatorem tulisset militibus usum fuisse in exilium misit. Neque enim iis, qui Imperatoris pecuniis tractandis erant constituti præter definitorum redituum exactionem, & controversiarum in foro secundum leges privatorum modo disceptationem quidquam concessum erat*. Ita vertit Doctissimus Xilander. Sed postrema hæc verba clarius Brissonius (*a*) reddit, *deque litibus in foro juxta leges instar privatorum jus persequerentur*. Evincitur igitur hinc, quæ quamque exigua fuerit procuratorum auctoritas sub Tiberio, quum unis ærarii rebus tractandis curandisque navarent, in ceteris vero ut privati haberentur, atque uti tales Fisci jura in foro persequerentur. Et quidem ex his lucem

(a) *Cap. XVIII. Antiq. lib. 3.*

Digitized by Google

cem accipit præclariſſimus locus Plinii in panegyr. ad Trajan. quem profecto tenebricoſum cenſuere viri docti. *Dicitur actori, atque Procuratori tuo in jus veni ſequere ad Tribunal.* An igitur tempore Plinii, atque imperante Trajano, Procuratores iſti juris dicundi vi exciderant? Minime quidem, nam idem Plinius ſcribit. *Eos procuratores habes ut plerumque Cives tui non alios judices velint.* Igitur in eo loco id Auctor dictum voluit, quod quamvis ſumma eſſet Procuratorum auctoritas, atque Judices eſſent, bonus tamen Imperator veluti inter privatos accenſuerit, publicæque diſciplinæ ſubjecerit, quum ſub bono Principe langueat propemodum vis, atque poteſtas eorum, qui commoda Fiſci, ejusque jura pertractant. Non abnuerim vero, ſi verba Plinii cum Doctiſſimo Gutherο (*a*) de actoribus, & procuratoribus rei privatæ intelligas, qui ſi deliquiſſent, judici ordinario ſubjiciebantur, non vero de Cæſaris Procuratore, in quem delinquentem ſolus Princeps animadvertere poterat. Quare ut rem colligam, ex hoc Plinii loco putat Gutherus, quamvis Actorum rei privatæ Principis major poteſtas eſſet ob Principis gratiam, non autem eam adeo valuiſſe ſub Optimo Principe Trajano, ut ab ordinario jure eximeret. Sed porro pergamus. Etſi Procurator Cæſaris poſt Claudium, ut diximus, judiciariam auctoritatem conſequutus eſſet, hoc tamen de lite in re pecuniaria inter Fiſcum, & privatum oborta intelligendum, nam de crimine nequaquam is, ſed ſolus Præſes cognoſcebat, quum nullimode merum imperium Cæſaris procurator exerceret. Itaque nullum deportationis jus, aut multæ, nihilque quod ad imperium pertineret, ei erat, ſed poſtquam Præſes de crimine cognoverat, ſi quid in Fiſci gratiam per bonorum publicationem ſupereſſet, id apud Cæſaris Procuratorem tranſigebatur. En Calliſtrati verba in l. 3. de officio Procuratoris Cæſaris. *Curatores Cæſaris jus deportandi non habent. Si tamen quaſi tumultuoſum, vel injurioſum adverſus colonos Cæſaris prohibuerint in prædia Cæſariana accedere, abſtinere debebit* ... Nullum igitur imperium, neque ea, quæ imperii ſunt, habebat Procurator. Quod luculentius evincitur ex Conſtitutione Severi,

(a) *De officiis Domus Aug. lib. 3. cap. 33.*

Digitized by Google

& Antonini in tit. *Eod. ubi cauſſæ fiſcales ſic. non defenſæ mortis quæſtionem apud procuratores noſtros non oportere tractari, nec bona a Fiſco peti poſſe priusquam de crimine conſtiterit apud eum cui convictis pœnam irrogare, licet quis ignorat. Plane defunctis omicidii reis, apud procuratores quoque cauſam agendam eſſe ratio permittit.* Ex quibus mirifice, quæ huc uſque dixi, firma manent.

At enim paſſim legimus quum apud iurisperitos, tum apud hiſtoricos procuratores quosdam merum imperium habuiſſe, interque eos procuratorem Palæſtinæ. Sed heic diſtinguendum eſt inter Procuratorem Cæſaris, qui ærarium curabat, atque illum, qui vice Præſidis fungebatur in Provincia, quo facit fragmentum illud apud Gutherum (a) PRAEF. CLASS. BRIT. ET. MOESIC. PROC. ET. PRAESES ALPIUM. Quod ut planius intelligatur, advertendum eſt ſæpe a Cæſare in Provincias quasdam Procuratores miſſos, ubi nempe Præſes defunctus eſſet, vel ſi Provincia modicæ amplitudinis eſſet, ut non deceret Prætorem, aut Proconſulem mitti, aut contra tantæ extenſionis, ut ſi quid ſubito inſurgeret, non poſſet ſtatim Præſes publicæ quieti conſulturus occurrere. His de cauſſis Curator a Cæſare inſtituebatur alius profecto a Procuratore, qui res Fiſci pertractaret, quum Præſidis partes ſuſtineret. Qua de re ex *Tacito lib. XII. An. & ex Joſepho antiq. lib. XX. cap. V. & lib. 2. de bello Jud.* habemus duos in Judæa Procuratores nempe Cumanum, & Felicem, qui Præſidis Quadrati vices in Regionibus quibusdam Judaicæ gerebant. Audias quæſo Tacitum, qui mire rem exponit. *Felix Judeæ impoſitus intempeſtivis remediis delicta accendebat, æmulo ad deterrima vendidio Cumano, cui pars Provinciæ habebatur; ita diviſis, ut huic Galilæorum natio, Felici Sammaritanæ parerent.* Sed quum ex Joſepho loc. cit. habeamus, tunc Judææ Quadratum Præſidem fuiſſe, evincitur plane Felicem, & Cumanum partibus ſuis per diviſas ſibi regiones functos eſſe. Porro ut ad rem redeamus, merum imperium Curatores hujusmodi exercebant, quum vice Præſidis jus dicerent. Hinc de lege

(a) *Capite 34. li. 3. de offic. domus Aug.*

Digitized by Google

lege Fabia Ulpianus sic scripsit (a). *Nec aliter Procuratori Cæsaris hæc cognitio injungitur, quam Præsidis partibus in Provincia fungatur. Plane post sententiam de Fabia latam Procuratoris partes succedunt.* Quæ sane confirmant Procuratori tunc imperium fuisse, si tamen vices Præsidis ageret, secus vero non cognovisse, nisi de bonis ad Fiscum pertinentibus in pœnam scilicet criminis, postquam antea Præses de crimine ipso sententiam protulerat. Atque hæc mihi visa sunt dicenda in re tam perplexa, quam nescio an quis lucidius peregerit.

Reliquum est ut de rationalibus, & Procuratoribus differamus, ut pars hæc absolvatur. Sunt qui, ut dixi, Rationalem in eo a Fisci procuratore differre credunt, quod hic Reipublicæ patrimonium, ille vero Principis rem familiarem pertractaret. Sed quidquid sit de nominis quæstione, certe quidem vetustis temporibus Procurator Cæsaris erat etiam Rationalis appellatus. Itaque licet in nuncupatione olim inter se convenirent, nec nisi posteriori ævo Rationalis alius a Procuratore esset, non tamen in re ipsa idem erant, alter enim rem privatam Cæsaris, alter Fisci rem gerebat. Sane Dio de rei familiaris cura sub Augusto scribens, docet ea non Cæsaris Procuratorem, sed ejusdem libertos functos esse; quinam autem sunt liberti rei domesticæ Principis præpositi, nisi Procuratores rei privatæ ejusdem, sive Rationales? Hæc sunt Taciti verba (b): *Ministri fuere P. Celer Eques Romanus, & Ælius libertus rei familiari Principis in Asia præpositi.* Ex quibus videris, non Cæsaris Procuratorem, sed alios rem privatam Principis tunc curasse. Quumque laudatus Auctor Nerone imperante hoc referat non quasi rem novam, evincitur profecto ab antiquo ita rem hanc sese habuisse, nempe alium a Procuratore Fisci vel sub Augusto rem domesticam Principis curasse, de quo quum Ulpianus licet posteriori ævo scripsisset, verba ejus referenda sunt (c).

Sed

(a) *Collection. LL. Mosaic.*
(b) *Ann. XIII. cap. 1.*
(c) *L. 39. quum servus §. ultimo de legatis 1.*

Digitized by Google

Sed & ea prædia Cæsaris (inquit) *quæ in formam patrimonii redacta sub procuratore patrimonii sunt, si legentur, nec æstimatio eorum debet præstari.* Ubi, ut vides, Cæsaris patrimonium rem ejusdem privatam præfert, eamque ab alio, quam a Fisci, sive Cæsaris procuratore gestam legimus, sic etiam Plinius (a) ait, *Eurithmus Cæsaris libertus*, & Procurator.

Demum Procurator vicesimæ occurrit. Erat autem is, qui vicesimam hereditatum in Provinciis exigebat. Etenim quum Augustus Provinciis quibusdam jus Civitatis dedisset, si quis earum hereditatem aliquam cerneret, vicesimæ lege tenebatur: quare necesse fuit Procuratorem constitui, qui eam excuteret, atque is sic notabatur *Procurator XX. vel Procurator hereditatum*, ut passim in inscriptionibus. Ceterum quum Antoninus sua Constitutione, ut vicesimæ undique Romam affluerent, omnes quot quot in Romano Imperio essent, Civitate Romana donasset, factum hinc, ut in omnibus Imperii Provinciis Procuratores istiusmodi instituerentur. Verum quum hoc de tributo plurima quoad ejus originem, progressum, & finem superius dicta sint, libenter hic omittimus, ac Magistratibus tandem ab Augusto institutis, qui Monarchiæ congruerent, finem imponimus.

§. III. ET ULT.

Ad legem Juliam de ambitu, ac peculatu.

QUum jam de Magistratibus civilibus ab Augusto institutis, ut recenti suæ Monarchiæ consuleret, sat dixerimus, rerum ordo postularet, ut de Magistratibus militaribus verba faceremus. Quoniam vero & de his supra edissertum, ubi nempe de regimine Provinciarum, atque de Præfecto Prætorio loquuti sumus, prætermissis propterea his ad leges Magistratus spectantes explicandas properandum duxi, quas inter leges sunt Juliæ de ambitu, atque peculatu, quæ sane penitiorem disquisitionem expoſcunt. Enim vero

(a) *Lib. IV. epist.* 31.

Digitized by Google

ro nullum ex criminibus majori impetu publicam quietem invadit, turbaſque ciet, quam honorum ambitio, nihil magis civilem diſciplinam intervertit, quam dignitatum mercatura, nihil demum juris ſalvum erit, ſi ad id dicendum ii adhibeantur, qui Magiſtratum turpi pretio ſibi coëmerunt. *Honores*, jactabat Severus, *juris gladii numquam vendi paſſus ſum. Nam neceſſe eſt, ut qui emit vendat. Ego non patiar mercatores poteſtatum, quos ſi patiar, damnare non poſſum. Erubeſco enim punire illum hominem qui emit, & vendit.* Quum igitur ex honorum *nundinatione neceſſitas* ſuboriatur juſtitiam proſtituendi, quot mala ex ea & Principi, & Civibus immineant, res per ſe loquitur. Ad hæc ambitioſi hominis, qui huc illuc ſollicitus circuit, ut malis artibus honore potiatur, animus num eo parato conquieſcit? Num fines habet, intra quos contineatur? Nequaquam profecto, ſemper enim anhelans nova appetet, ſitienſque excelſiora imperia inhiabit: En præclarum hac de re Senecæ verbum (a). *Videatur & ambitio magni animi. Non eſt contenta honoribus annuis, ſi fieri poteſt, uno nomine occupare faſtos vult per omnem Orbem titulos diſponere. Omnia iſta non refert in quantum procedant extendantque ſe anguſta ſunt, miſera, depreſſa. Sola ſublimis & excelſa virtus eſt, nec quidquam magnum eſt, niſi quod ſimul, & placidum.*

Quæ omnia ſatis Romanæ Reipublicæ exempla, & quidem triſtia perdocuere. Num enim acerbiores ſeditiones publicam quietem vexarunt, quam quæ ex Magiſtratuum inter Patricios, & Plebem contentionibus ortæ ſunt? Sed quod mirum, quum tot honores plebs obtinuiſſent, num quievit? Novæ ſemper poteſtatis cupida tamdiu cum Patribus certavit, donec re quaſſata, ad novam regiminis formam deventum ſit, ubi *omnes exuta æqualitate juſſa Principis expectarent*.

Demum quid ambitione indignius, cujus initium vitio, atque pœnæ ſubditur, ſi nempe haud optato fine potiatur, effectus vero virtuti, atque laudi, quum ambitioſus nempe vo-

(a) *De ira lib. 1. cap. 16. in fine.*

Digitized by Google

voti compos sit, tribuitur. Nam qui ambit punitur quidem, si ad optatum finem haud perveniat, ubi autem jam optata tenet, ex ambitu caussam dicit, ut jactare assolebat Varro. Et quidem Div. Plato heic recenset, quot ærumnæ Rempublicam sequantur, ubi pecunia virtuti præferatur. *Quid enim* (inquit) *fiet, si quis in Navis gubernatione a census æstimatione gubernatores eligat, pauperem vero licet gubernandi peritiorem, haud quamquam admittat. Quid inquam ex hoc sequuturum censes. Ut male navem ducant. An non eodem pacto in quovis alio principatu, sic equidem arbitror* (a). Quæ omnia verissima sunt, nihil enim fraudis a Magistratibus, si in illorum creatione fraudem omnem amovebimus, timendum est. Sat enim Reipublicæ consultum erit, si in Magistratuum petitione virtus a pecunia, probitas a calliditate, meliores a deterioribus non superentur, sintque meritorum testimonia, non remuneratio largitionum justa suffragia.

Sed quum malum hoc, Rerumpublicarum pestis, depravatos Civium animos sequatur; ex quo tempore Romanorum mores labi cœperunt, detestabile ambitus crimen auditum est, eoque sane frequentius, quo Roma corruptior. Itaque antequam legem nostram, quæ tunc temporis lata est, quum vitiorum omnium labes omnia infecerat, aggrediamur; abs re non erit & superiores quasdam huc afferre, quas profecto plurimas, usu exigente, rogatas apud Scriptores legimus. Livius an. 322. lib. IV. *L. Pinnaro, & Lucio Furio* Tribunis militum consulari potestate legem de ambitu primum latam enarrat, inquit enim: *Placuit Senatui tollendæ ambitionis caussa, Tribunos legem promulgare, ne cui album investimentum addere petitionis caussa liceret, vicerunt Tribuni. ut legem perferrent.* Hanc sequuta est lex Pætilia adversus eos, qui nundinas, & conciliabula ad aucupanda suffragia obirent, sed eam paullo post tacito Populi consensu abrogatam Doctissimus Sigonius scribit. Hinc lex Fulvia an. 599. cons. *Cn. Pornelio Dolabella, & M. Fulvio* vulgata est, qua cautum ut ambitus pœna capitali, hoc est, ut ex-

(a) *Plato de Repub.* 8.

Digitized by Google

explicat Sigonius, exilio puniretur, quod & dictum voluit Polybius, qui scripsit sua ætate ambitum Romæ capitalem fuisse. Sed missis quibusdam aliis incertis, Lex Maria prodiit, cujus Marius auctor, idemque violator accusatus fuit. Ex quo vide, quantum crimen hoc incessisset omnes, quum & qui in illud legibus insævirent, in idem deinde offenderent. Quapropter acerbior Lex Calpurnia, M. Acilio Glabrione, & Calpurnio Pisone Cos. promulgata est, *ut qui ambitus damnati essent*, ut scribit Dio, *iis neque Magistratum capere, neque in Senatum legi liceret & pecunia multarentur*. Num autem Consules isti legis hujus conditores ambitus crimine vacabant? Haudquaquam, sic enim idem subdit: *Consules non quod ab ambitu alieni essent, siquidem & ipsi alieno studio, & magna contentione Magistratum quum adepti erant, & Piso ambitus accusatus vix evaserat*. Sed si ipsimet legis auctores in legem peccarent, quid ceteri omnes? Et quidem satis acerba lex hæc Senatori videbatur, pœnaque austerior ea potissimum tempestate, qua publice suffragia coemebantur. Itaque Senatus, addit Dio, *intelligebat immodicarum pœnarum denunciatione hominibus terrorem injici, sed neque qui accusarent, neque qui condemnarent, repertum iri, modicis autem pœnis propositis, neque accusatores, neque Judices defuturos*. Quare ut facilius accusatores invenirentur, statutum est, ut accusatoribus ambitus honores paterent, & quamvis ipsi ambitus tenerentur, si tamen criminis socios accusassent, absolverentur, Magistratumque malis artibus adeptum retinerent. Mirum, quanta difficultate lex hæc rogata fuerit, ut ad cædes etiam ventum sit: fuit tamen promulgata. Denique adjecit idem Dio: *tanta cura caverunt, ne quis largitionibus se corrumpi sineret, ut præter pœnas alias, quas damnatis constituebant, accusatoribus etiam honores proponerent*.

Sed his nihil obstantibus, immanis ambitus Catilina, Antonioque deinde furentibus rediit. Condita proinde est lex Tullia I. Cæsare dictatore, & Cajo Figulo Coss. qua largitionum omnium species distincte prohibitæ, imo lex ipsa Calpurnia severius inculcata. Qua de re Tullius in Supplicium scripsit. *Legem ambitus flagitasti, quæ tibi non*

Digitized by Google

deerat, erat enim severissime scripta Calpurnia. Sed quum & hæc, ambitiosa Civium cupiditate in dies magis magisque grassante, elangueret, Ausidia rogata est, qua id novi institutum scripsit Tullius ad Atticum, *ut qui nummos in Tribu pronunciaverit, si non dedit, impune sit, sin dederit, ut, quoad vivat, singulis Tribubus sestertium XXX. debeat.* Quum autem postmodum Pompejus, & Cæsar duo Reipublicæ vultures de summa potestate certarent, vix dici potest, quantis largitionibus utriusque partes honores appeterent. Quare ad pacem publicam ambitiosorum criminibus turbatam reparandam novam legem de ambitu promulgari opus fuit, superioribus profecto severiorem. Itaque coitiones omnes, sodalitates, largitionesque vetitæ, de quibus sic scribit Tullius ad fratrem. *Eo die S. C. factum, ut sodalitates, decuriatique discederent, lexque de iis ferretur, ut qui non discessissent ea pœna, quæ est de vi, tenerentur.* Hinc Dio Cn. Pompejum, M. Licinium, & Crassum legis hujus, quæ Licinia vocata est, auctores innuens, ait: *pœnam graviorem ab illis constitutam adversus eos, qui largitionem feciſſent; quasi vero ipsi minus deliquissent, quod non pecunia, sed vi Magistratum adepti essent.*

His jam præmissis, quæ potius ad antiquæ historiæ intelligentiam faciunt, quam ad rem, ad legem nostram veniamus. Hæc primum a Julio, deinde ab Octavio lata est. Licet autem in ea eædem fere pœnæ, quæ in superioribus, inflictæ essent, quædam tamen adjicere statuerunt, ut majori ea vi polleret, sic enim se gessisse Julium, ut perniciosissimam ambitus pestem averteret, scribit Tranquillus. *Cæsar comitia cum Populo partitus est, ut exceptis consulatus competitoribus de cetero numero candidatorum pro parte dimidia, quos Populus vellet, pronunciaretur, pro altera parte, quos ipse dedisset, & edebat per libellos circum tribus scriptura brevi. Cæsar dictator illi Tribui. Commendo vobis illum, & illum, ut vestro suffragio suam dignitatem teneant;* & Dio de Augusto hæc tradit: *Fabianis, & Scaptientibus Tribulibus suis die comitiorum ne quid a quoquam candidato desiderarent, singula millia nummum a se divisit.*

Sed

Digitized by Google

Sed videamus propius ambitus pœnas ab Octavio infli-ctas: Idem Dio Principis noſtri rerum Scriptor ſollertiſſimus hæc libro 54. narrat. *Inter alia ab Auguſto tum ſtatuta hoc quoque fuit, quod eos qui largitionibus factis Magiſtratum aliquem ambiiſſent, quinquennium ab iis arcuit . . . . . &* eodem libro hæc alia: *Auguſtus deinde quum Conſules, & reliqui Magiſtratus culparentur, quod largitionibus eas ſibi dignitates paraſſent, neque inquiſitionem inſtituit; & totam rem diſſimulavit: quia neque punire quenquam, neque criminis manifeſto ulli veniam dare ſtatuerat: ſed pecuniam pignoris loco ab iis, qui petituri eſſent, Magiſtratum aliquem accepit: quam qui largitiones feciſſet, amitteret: idque ejus factum ab omnibus laudatum fuit.* At leviuſcula quidem pœna, tunc præſertim temporis, quum crimen hoc omnium fere animos invaſerat, diſſentioneſque inde exſurgentes, ſi omnes Reipublicæ formas, recentem tamen Monarchiam maxime obturbabant. Sed penſitatis Octavii rationibus acerbum id nimis fuiſſe putandum eſt. Et quidem hæc nobis tradit Varro de vita Populi Romani. *Tanta invaſit ea tempeſtate honorum cupiditas pleriſque, ut vel Cælum ruere, dummodo Magiſtratum adipiſcerentur, exoptarent.* Quod ſi in captandis honoribus adeo inſanirent, tantoque eos appeterent furore, non profecto mitem exiſtimaveris pœnam, qua, qui in legem peccaſſent, Magiſtratibus ad quintum uſque annum deſtituerentur. Si autem addas multam pecuniariam, qua & emungebantur Romani, qui frequentibus proſcriptionibus ad inopiam vergebant, & ærarium penitus exhauſtum in dies diteſcebat, non levem pœnam hanc fuiſſe fateberis, licet talis viſa fuerit ob miram Auguſti ſimulandi artem, atque optime Imperatorem rebus ſuis conſuluiſſe. Porro hæc omnia viguerunt, dum Magiſtratuum creatio ad Principem non pertinebat, ubi vero ad ejus curam demandata eſt, ambitus pœna omnino ceſſavit, ut animadvertit Modeſtinus. *Hæc lex in Urbe hodie ceſſat: quia ad curam Principis Magiſtratuum creatio pertinet, non ad Populi favorem. Quod ſi in municipio contra hanc legem Magiſtratum aut Sacerdotium quis petierit, per S. C. in centum aureos cum infamia punitur. Qua lege damnatus, ſi alium con-*

vicerit, in integrum reſtituitur; non tamen pecuniam recipit.

Lege etiam Julia tenetur, quiſquis aut ipſe rapit, *vel intercipit, avertit, aufert, inque rem ſuam vertit pecuniam*, publicam, ſacram, religioſam, & in auro, argento, ære publico deterioris aliquid materiæ confundit, aut alii, qui hoc meditetur, præſtat operam. Quumque criminis hujus promptior occaſio iis ſit, qui ſunt in poteſtate, non mirum, ſi Juliam de peculatu inter leges, quæ reſpiciunt Magiſtratus, attulerim. Enim vero in veteri Romanorum Republica, Magiſtratus maxime omnium in id criminis offendiſſe, cauſam dante ipſo Magiſtratus munere quem præterit? Quapropter refert Gellius (a) Catonem dictitare ſolitum. *Fures privatorum furtorum in nervo, atque in compedibus ætatem agunt, fures publici in auro, atque in purpura.* Itaque criminis hujus pœna fuit *interdictio aquæ, & ignis*, deinde vero, in quam illa migravit, deportatio. Sed & quadrupli condemnatione reus urgebatur, aliiſque pœnis ex arbitrio judicis, & pro delicti gravitate; dictus eſt peculatus a pecunia, ſicut hæc a pecude, quam in ære Tullium Romanorum Regem primum ſignaſſe ferant, eo quod priſci opes omnes in pecudibus, & bobus conſtituerent. Hæ ſunt leges, quæ reſpiciunt Magiſtratus. Ad finem jam properante hac mea tractatione, id unum ſupereſt, ut de Principis noſtri conſilio, novaque fori Romani conſuetudine diſſeramus.

CAPUT XII.

De conſilio, ſive conſiſtorio Auguſti, deque novo Fori Romani uſu ſub eodem.

QUantum hæc duo, conſilium nempe Auguſti, ac nova Fori Romani conſuetudo, recenti tunc Monarchiæ convenerint, res ipſa loquitur, quum in Auguſti conſilio non ſecus ac in Senatu omnia expedirentur, ipſaque judicia in eodem exercerentur de vita, hominumque fortunis. Quid per illud? vel novæ leges, ſimulato Conſtitutionum, Reſcriptorumque

(a) *Lib. II. cap.* 18.

Digitized by Google

que nomine, ferebantur, vel veteribus Monarchiæ parum consonis derogabatur. Neque in his tantum consilii hujus utilitas versabatur, sed longius processit, quum per Sacras has cognitiones, quibus Civium controversiæ dirimebantur, leges veteres per se concidérent. Etenim Consilium hoc ita se gerebat, ut vetustas leges ad novum Reipublicæ regimen confictis quamvis rationibus accomodaret. Qua de re & jus vetus in dies magis magisque exolescebat, & novum inolescens majori semper vi increscebat. Itaque ipso usu rerum, quæ semper congruenter ad Monarchiam transigebantur, civium ratio sensim ac sine sensu cum Monarchia ipsa coalescebat. Per quam igitur utilia omnia sunt, quæ hic differenda aggredior. Nam quid prosunt novo regimini novæ leges, si lex viva, hoc est Magistratus, forique consuetudo ab eo aberrent? Itaque quum nulli bono essent, quæ ad imperium suum firmandum per novas leges constituisset, nisi & veteres Reipublicæ Magistratus, & fori Romani consuetudines immutatæ essent, præclare me acturum puto, si post Magistratus, quos ab Augusto novo regimini aptos institutos ostendi, ad novam consuetudinem Fori Romani, quæ sub eodem invecta est, accedam, atque ex ejusdem ingenio depromptam patefaciam.

Ne igitur amplius lectoris animum in suspenso teneam, quædam universe, de quibus disserturus sum, præfari brevi censeo, antequam singulatim sermo instituatur. Non alio sane studio Princeps noster sollertissimus consilium hoc excogitavit, quam ut Senatus auctoritatem clanculum labefactaret, sic enim simulabat, quod ipse cum suo Senatu faceret, non ex Regia aliqua potestate, sed ex Romani Senatus auctoritate facere. Itaque quæ in hoc consilio expediebantur, ejusdem erant firmitatis, ac si in ipso Senatu essent peracta. Hinc judicia publica, provincialiumque appellationes, quæ antea Senatus erant, ad Principis consistorium delata sunt. Præter hæc civiles, criminalesque controversias idem consilium transigebat, legibusque ipsis pro tempore solvebat. Quapropter hujus sententiæ decreta Principis, sacræque cognitiones nuncupatæ. His veluti dicendorum facibus præmissis ad historiam consilii hujus accedamus.

§. I.

Digitized by Google

§. I.

De origine conſiſtorii Principis.

NIhil ſane eſt, quo magis Princeps Civium ſibi amorem alliciat, quam ſi eorum curam maxime omnium ſe gerere præſeferat, cura autem illorum præcipua eſt, ſi Princeps ipſe publico Civitatis conſilio, ubi de rebus Civium agitur, aſſideat, neque a foro, ubi vita, atque fortunæ hominum periclitantur, procul eſſe videatur. Quæ omnia quum veriſſima ſint, quid mirum ſi Julius Cæſar primum, Octavianus deinde frequentes ad Senatum acceſſerint, juſque aſſidue dixerint. Hæc Tranquillus de Julio: *jus laborioſiſſime ac ſeveriſſime dixit*, & de Octavio. *Ipſe jus dixit aſſidue & in noctem nonnumquam: ſi parum corpore valeret, lectica pro Tribunali collocata, vel etiam domi cubans. Dixit autem jus non diligentia modo ſumma, ſed & lenitate* (a). Hanc ſemitam ſectatus Auguſtus & ſibi Populi amorem alliciebat, & ad ea ſtatuenda præſentia ſua Senatum inducebat, quæ recenti imperio magis magiſque adſtruendo inſervirent. Sed quia, ſi res ad pauciores perveniant, facilius in poteſtatem unius dilabuntur, quum expeditius ſit paucos ſuperare, quam plurimos, ideo Princeps ſollertiſſimus hoc excogitavit, ut ſibi ex Senatus auctoritate liceret conſilium aliquod ſibi inſtituere, ubi Conſules, & ex Magiſtratibus ſingulis, primoribuſque Patrum quindecim ſorte dati ad ſex menſes adeſſent, horumque ſententiæ tanti valerent, quanti illæ, quæ ab ipſo Senatu ferebantur. Itaque quum nihil legitimum, nihilque ratum eſſet præter Senatus auctoritatem, ne is videretur eamdem impetere, quod ſane invidiam creaſſet, ab eodem conſilium hoc impetraſſe ſimulavit, cujus ſententiæ ideo ratæ forent, quia Civitatis Senatus hanc auctoritatem communicaverat. Atque id, quod paullo obſcurius prætermiſſa hujus rei hiſtoria videtur, intelligit Pomponius in *l.* 2. §. 2. *de origine juris*. *Conſtituto Principe datum eſt ei jus, ut quod conſtituiſſet, ratum eſſet*. Ne tamen pu-

(a) *In Octav. cap.* 33.

Digitized by Google

putes, hoc constituto consilio Principem jura Senatus ademisse; nam in externam saltem speciem omnia immutata videbantur. Etenim vetera, & consueta judicia Senatus Urbis adhuc exercebat, legationes Populorum excipiebat, Regibusque responsa dabat, licet hæc omnia perraro, nempe *ut vestigia morientis libertatis*. Et quidem quum universa hæc, atque alia hujusmodi sæpe Princeps præoccuparet, post ejus sententiam frustra erat Urbis consulere Senatum, quum ratum jam esset quidquid Principi adlibuisset. Sed pulchrum est videre, quas artes adhibuerit, ut Senatus Urbis per se caderet auctoritas.

Caussatus is est suam senectutem, eamque jactavit sibi impedimento fore, quominus crebro ad Senatum conferretur, quare petiit, ut consilium institueretur, ubi agerentur ea, de quibus deinde in Senatum referretur. Sic enim Tranquillus (a): *sibique instituit consilia sortiri semestria cum quibus de negotiis ad frequentem Senatum referendis ante tractaret*, cui consonat & Dio sic scribens (b). *Et ex aliis Magistratibus singulis, unum itemque reliqua Senatorum e multitudine quindecim viros sorte delectos ad sex menses sibi consiliarios sumebat*. Etenim prudentissimus Mecænas sic eum monuerat. *De his igitur caussis & Equitum, Centurionumque, privatorumque primariorum cognosces, ubi de capite, aut ignominia erit controversia; nam hæc ad te solum debent referri ac nemo ob eas quas dixi caussas, alius judicare de iis debet: Adhibere autem unoquoque tempore ad ea judicia potes præstantissimos quosque patricii equestrisque ordinis viros, alioque ex Consularibus, & prætoriis, alios, alio tempore, ut & tu prius moribus eorum hac ratione certius perspectis, recte uti eis possis: & illi consuetudine habita tuorum morum, ac consiliorum ita demum in Provincias exeant:* Ex quibus intelligis, quantæ Augusto consilium hoc suum utilitati fuerit ad firmandum imperium. Ejus enim imbuti moribus consiliarii, quum miram illam simulandi artem addidicissent, ita in Urbe, Provin-

(a) *In Octav. cap.* 34.
(b) *Lib.* 53.

Digitized by Google

vinciisque cuncta componebant, ut modis omnibus rem Monarchicam foverent. Sed tradita jam Consilii Octaviani origine, eaque ex politicæ artis adyto deprompta, rem ipsam aggrediamur. Ordinis autem gratia sic argumentum hoc partiar, ut primo Senatus hujus Consiliarios recenseam, deque eorumdem auctoritate agam, deinde quæ apud hos negotia expedirentur, differam, demum vero rationem vestigem, quam res in hoc consilio disceptatæ, Principisque sententia definitæ ad stabiliendam Monarchiam haberent.

§. II.

De auctoritate Prudentum, deque Principis Consiliariis.

DOminationis cujusque fulcrum, atque arcanum juris interpretatio est. Quod si tanta interpetres polleant vi, ut sub fuco legis explicandæ novum jus condant, iique sint, quorum in judiciis vita Civium, fortunæque versentur; quis neget in potestate eorum publicarum rerum statum, firmitatem, mutationem sitam esse? Quæ quum ita sint, mirandum non est, si Patricii Romani, qui dominationem, atque imperium anhelabant, adeo fuerint de legibus interpretandis, judiciisque rerum penes se retinendis soliciti, ut plebs nonnisi sequiori ævo, & quidem per secessiones, & turbas, judiciariæ potestatis particeps facta fuerit. His in antecessum delibatis ad rem propius accedamus. Legibus duodecim tabularum in Urbem receptis, Patricii, quorum voluntas judiciorum antea norma fuerat, ut auctoritatem suam servarent, id anxie curarunt, ut illæ brevissimis verbis, atque obscurissimis perscriptæ evulgarentur. Sic enim quum in judiciis ad obscuritatem depellendam interpretatione opus esset, eamque sibi religiose servassent, fiebat, ut sub legum explicandarum fuco, jus illud inveherent, quod magis suæ dominationi esset consonum. Hac sane arte utebantur Decemviri, ut per suas interpretationes, judiciaque summum imperium intra ordinem tutarentur. Et quidem hæc & Pomponius docuit de origine juris, quum scripsit. *His legibus la-*

Digitized by Google

latis, cepit, ut naturaliter evenire ſolet, ut interpretatio deſideraret Prudentum auctoritatem neceſſariamque diſputationem fori. Advertens autem deinde plebs, eos non legum interpretis, ſed legislatoris munus uſurpaſſe, de abrogando decemvirorum imperio maximopere ſollicita fuit, ſed non tamen diſputatio fori, extincta decemvirorum poteſtate, evanuit: nam quum legum obſcuritate adhuc perſtante neceſſe eſſet, ut ad quæſtiones dirimendas, interpretes accederent latentem legum ſenſum ex ratione, atque æquitate excutientes; quumque juriſconſulti, nempe Patricii, qui tantum jus profitebantur, ad legum interpretationem convenirent, hinc quod ii per diſputationes ſuas ſtatuiſſent, ſancte id judices ſervare debebant. Itaque aliud jus enatum fuit, quod jus civile, conſuetudinarium, jus *per manus traditum*, *aut receptum* nuncupatum eſt. Ceterum quum Patricii hoc non alia mente proſequerentur, quam ut conſulerent rebus ſuis, mirandum non eſt, ſi interpretationes eorum eo referrentur, ut ſuo imperio ſervando congruerent. Quare Livius hæc ſcripſit (*a*). *Nondum hæc, quæ nunc tenet ſeculum, negligentia Deorum venerat: nec interpretando, ſibi quiſque jus jurandum & leges aptas faciebat, ſed ſuos potius mores ad eas accomodabat.* Sed quamvis hæc fori diſputatio tunc vim legis nanciſceretur, quum juriſperitorum ſententiæ receptæ forent, nemo tamen inficias ire poterit maximæ auctoritatis fuiſſe. Quapropter Tullius ſcripſit (*b*) *privata judicia, maximarum quidem rerum in jure conſultorum mihi videntur eſſe prudentia. Nam & adſunt multi (in medio ſcilicet foro) & adhibentur in conſilium (domi) & patronis diligentibus ad eorum prudentiam confugientibus haſtas miniſtrant.*

Sed quum labentibus annis plebs poteſtatis legislatoriæ particeps facta eſſet, ut amiſſum imperium patricii alia ratione repararent, legis actiones, actuſque legitimos excogitarunt, quorum formulis ſi quis religioſiſſime non uteretur, cauſſa cadebat. Quæ omnia quum veluti quoddam arcanum pe-

(a) *Lib. 3. cap. 20.*
(b) *Topicor. XVII.*

Digitized by Google

nes ſolos patricios manerent, factum eſt, ut fruſtra plebs jura atque judiciariam poteſtatem jactaret, quum formulas has, quibus leges ad negotia accommodabantur, ignoraret, ſic Pomponius loco cit. *deinde ex his legibus, eodem tempore fere actiones compoſitæ ſunt, quibus inter ſe homines diſceptarent; quas actiones ne Populus prout vellet inſtitueret, certas ſollemneſque eſſe voluerunt, & appellatur hæc pars juris legis actiones ideſt legitimæ actiones.* Quum igitur hæc ad id inventa eſſent, ut plebs ſub jugo Patriciorum eſſet, quid mirum, ſi tricis & ſuperſtitionibus cuncta contexerint, ut paucis omnino innoteſcerent? Sic enim Tullius (a). *Quæ dum erant occulta neceſſario ab eis, qui ea tenebant petabantur; poſtea vero pervulgata, atque in manibus jactata, & excuſſa, inaniſſimæ prudentiæ reperta ſunt, fraudis autem & ſtultitiæ pleniſſima.* Et paullo ſuperius: *poſſet lege agi, nec ne, pauci quondam ſciebant. Faſtos enim vulgo non habebant. Erant in magna potentia, qui conſulebantur; a quibus etiam dies, tamquam a Caldæis petebatur.* Et ante hæc dixerat: *quæ dignitas in tam tenui ſcientia poteſt eſſe: res enim ſunt parvæ, prope in ſingulis literis, atque interpunctionibus occupatæ. Deinde etiam, ſi quid apud majores noſtros fuit in iſto ſtudio admirationis, id enunciatis veſtris myſteriis, totum eſt contemtum, & abjectum. Poſſet agi lege, nec ne pauci quondam ſciebant.*

Porro juriſperitorum hoc imperium per iſtiuſmodi technas, & ſimulationes quæſitum quum adhuc Julii ævo perſtaret, pulchrum eſt videre, an Principe noſtro imperante, incolume etiam eſſet, quamvis Monarchiæ parum conſonum. Sane triumviratus tempore abrogatum id non fuiſſe ex inſigni Valerii fragmento *lib. VI.* intelligimus, qui ſic ait. *Age Ceſelius vir juris ſcientia clarus, quam periculoſe contumax? Nullius enim aut gratia, aut auctoritate compelli potuit, ut de aliqua earum rerum, quas triumviri dederant formulam componeret: hoc animi judicio victoriæ eorum beneficia extra omnem ordinem legum ponens.* Quæ profecto huc redeunt, quæſiiſſe triumviros, ut de his quæ ipſi imperabant, Caſellius Juriſcon-

(a) *Pro Murena cap. XII.*

Digitized by Google

consultus formulas conficeret, quibus eorum jussa executioni mandarentur, eum vero renuisse ex defectu potestatis eorumdem, quum quæ juberent, usurpatæ potentiæ effectus essent. Si igitur tanta jurisperitorum potestas erat, ut ne triumviri quidem efferatissimi Reipublicæ vultures quid imperarent sine compactis per Jureconsultos formulis; fatendum plurimum tunc etiam temporis jurisperitos ad dominationis arcanum valuisse. Quid igitur? Abrogavit ne id Octavius, veluti rebus suis adversum? Minime gentium. Nam quum vetusta satis, & maximopere veneranda jurisconsultorum esset in urbe auctoritas, veluti Palladium evertere visus fuisset, si tantam dignitatem cum Divinarum humanarumque rerum scientia conjunctam interturbare ausus esset. Tantum igitur abest, ut solertissimus ille Princeps Jurisconsultorum auctoritatem everterit, ut eorum potius opera ad recentem tunc Monarchiam adstruendam usus sit. Sed quas ad id rationes inierit, abs re non erit animadvertere.

Ante Augustum omnibus Patriciis jus civile profiteri, ac de eo respondere fas erat, postmodum vero certis is hominibus, illisque maxime, qui bene de se merebantur, tantam facultatem beneficii loco indulsit, neu Judices ab eorum responsis discederent, imperavit: utque ea latius pateret, id voluit, ut responsa hæc, quæ ad certa quædam negotia olim dabantur, ad alia, atque alia simillima perducerentur? Hinc Jurisconsulti, quo Principis gratiam aucuparentur, controversias responsis suis ad præsens regimen accomodatis dirimebant, & Judices, qui in jure dicundo ne latum quidem unguem poterant ab istiusmodi responsis recedere, id sententiis suis faciebant, ut illa fori consuetudo legibus ipsis, quæ mortuis literis interjacent, validior ad firmandam Monarchiam inveheretur. Etenim quamvis responsis suis vetera nomina retinerent, quum satis vetusta consuetudo esset, ut jurisperiti ex scripto jure legum mentem, ac rationem disputando excuterent, tamen sub juris antiqui interpretationis specie nova in dies sancire videbantur. Hinc redditur ratio, cur passim in corpore juris Jureconsulti juris conditores dicantur. Sed quia hæc scitu quidem pulchra sunt, ne pigeat paullo longiori examine ea pertractare.

Digitized by Google

Duo erant Octaviani ævo Juſperitorum facile Principes Antiſtius Labeo, & Atejus Capito, duo, ut ſcripſit Tacitus, *pacis decora*: ambos quidem Princeps ſolertiſſimus maximopere ſtuduit ſibi per honores devincire, ſed quia Labeo libertatis vindex acerrimus erat, cum eo res non ſatis apte gerebatur, quum enim, ut ait Tacitus, *incorrupta libertate gauderet ab ambitione honorum vacuus nihil ratum, penſumque habebat, niſi quod juſtum, ſanctumque eſſe in Romanis antiquitatibus legiſſet*. Itaque honores omnes, imo & conſulatum ipſum reſpuit. Ex adverſo Capito maxime apud Principem gratioſus erat, quia, ut laudatus Auctor ſubdit, eo erat ingenio, *ut ejus obſequium non poſſet non dominantibus magis probari*. Sed perbelle accidit, ut per diverſum horum juriſperitorum ingenium res Principis noſtri mirifice proficeret. Duæ enim exortæ ſectæ ſunt, utriuſque nempe ſtudiis, ac genio reſpondentes, Sabinianorum, & Proculejanorum, qui tot ſibi adverſas opiniones in jus invexerunt, ut ad diſſidia componenda quinquaginta deciſionibus Juſtiniano fuerit opus, quamvis Triboniani inſcitia multa adhuc hujuſmodi diſſidiorum veſtigia in jure appareant. Ex ſuo igitur quoque genio, & peculiari philoſophia jus interpretantibus, factum eſt, ut jus vagum, atque incertum inveheretur. Quumque in ancipiti jure Principis opus ſit conſtitutionibus, hinc ex re nata data Auguſto cauſſa, quapropter novas quotidie conſtitutiones evulgaret, in ſpeciem quidem, ut per jus certum neceſſitatibus civium conſuleret, ſed revera ut Monarchia per leges eidem conſonas invaleſceret. Ex quo ſane patet ratio, cur Auguſti ævo ſectæ iſtiuſmodi magis magiſque efferbuerint, nempe ut jus incertius ſemper obſcuriuſque, cui Principis providentia proſpiceret, fieret. Hinc illud Tullii intelligitur (a). *Sapiens exiſtimari nemo poteſt in ea prudentia, quæ neque extra Romam uſquam, neque Romæ rebus prolatis, quidquam valet*. Etenim quum Tullii ævo jam Reipublicæ libertas per Cæſaris dominatum everti cœpta eſſet, ea ſenſim ſuborta eſt juriſprudentia, quæ ſane dominantis conſilio congrueret. Hæc autem quum unius potentiæ firmandæ inſerviret, neque rebus intra Ci-

(a) *Orat. pro Muræ.*

Digitized by Google

Civitatem, neque extra, vel negotiis prolatis respondere poterat, quum tantum ad alienam dominationem firmandam per simulationes, & technas referretur. Itaque quum istiusmodi Jurisconsultorum interpretationes, atque responsa procul ab antiquo jure forent, neque tuto patefieri posset novum jus, quod præsenti regimini aptabatur, recte illud jactabatur, *non de omnibus, quæ majoribus placuerunt rationem reddi posse.*

Quum igitur Jurisconsultorum opera adeo omnibus esset Principibus, maxime vero Octavio utilis, quid mirum, quod tanto studio Jurisperitos Principes coluerint? Quare operæ pretium duco facturum, si his insuper pauca quædam non pœnitenda adjiciam. Et primo Princeps noster judicibus præcepit, ne a jurisperitorum in judicando discederent responsis, quod, ut superius vidimus, ad novum jus per fori consuetudinem obtrudendum, & simul ad judiciariam Prætoris potestatem evertendam, qui in dies edicti nomine, rebusque nova nomina dando, leges condebat, mirifice profuit. Deinde quum ob sectarum studia, quæ in dies ferventius increscebant, jus anceps, atque incertum oriretur, hinc fiebat, ut ex Principis jussu sæpe convenientes, ea per decisiones suas statuerent, quæ præsenti regimini congruerent. Præclarum exemplum habemus *in tit. de Codicillis*, ubi legimus Augustum *convocasse prudentes, inter quos Trebatium quoque, cujus tunc auctoritas maxima erat, & quæsisse an posset hoc recipi, nec absonans a juris ratione Codicillorum usus esset, & Trebatium suasisse Augusto, quod diceret, utilissimum, & necessarium hoc Civibus esse.* Qui sane Codicillorum usus ærario ditando quantum ob vicesimam conveniret, jam supra in *tit. de vicesima* occupavimus. Querela etiam inofficiosi testamenti hinc repetenda est, nempe ex Prudentum sub Augusto disputationibus, quod item Monarchicæ Majestati maxime conveniebat. Nam quum Augustus Patriam, ac dominicam potestatem multum intercidisset, ne quid consiliis ejus obversaretur, par erat, ut parentes vel nominatim exheredarent, vel instituerent filios. Etenim si eos impune præteribant, quum jus vitæ, & necis sibi erat, ut vulgo scribunt antiqui Jurisconsulti, fas id non erat, ubi jam Augustus vindicem gla-

gladium a manu Dominorum, & Patrum, veteris libertatis vestigium jam eripuerat. Item Aquilianam stipulationem, discrimen filiorum, filiarumque exheredationis, aliaque hujusmodi ex fori disputationibus sub Augusto enata concors est eruditorum opinio, quos adeas, nam ego brevitatis gratia ad alia pertranseo.

Neque prudentes Judicibus tantum, sed & Principibus assidebant, quos propterea Principes ipsi amicos suos honoris caussa nominabant. Quod cœptum ab Augusto frequens fuit sub insequentibus Imperatoribus, exemplo esse potest quod legimus *in l. Divi D. de jure patronatus*, ubi quum quæreretur, an delictum avi, vel patris nepoti, vel filio in jure libertorum noceret, sic Divi fratres constituerunt. *Sed cum & ipso Mæciano, & aliis amicis nostris jurisperitis adhibitis plenius tractaremus, magis visum est, ut nepotem neque verbis, neque sententia legis, aut edicti Prætoris, ex persona, vel nota patris sui excludi a bonis aviti liberti.* Sed, quod magis est, nullam constitutionem sine juriperitorum consilio evulgabant, ut de Alexandro scriptum reliquit Spartianus. *Nec ullam* (ait) *constitutionem sancivit sine viginti jurisperitis, & doctissimis, ac sapientissimis viris*; Immo in suis rescriptis ipsa prudentum responsa sæpe eisdem verbis præferebant, ut in *l. & si contra mandata C. de nuptiis, & ideo postea liberos susceptos, natosque ex justo matrimonio legitimos esse, responsum viri prudentissimi Paulli declarat.* Et in *l. 2. C. de prædiis minorum* scriptum est. *Utere viri prudentissimi Papiniani responso, ceterorumque quorum precibus feciſti mentionem, sententiis.* Quibus omnibus & Jureconsultorum sibi amorem alliciebant, ut responsis suis rebus Imperii studerent, & legislatoriam potestatem occultabant; nam quum Prudentum responsis in rescriptis uterentur, ex ipsa æquitate, atque rationis vi jus novum manare, non vero ex rescripti natura videbatur. Quumque responsum ad peculiarem casum referretur, rescripto deinde probatum ad alia ejusdem generis perducebatur, jusque constituebat, sed larvæ istiusmodi, simulationesque locum amplius non habuere, ubi jam Monarchia adulta, atque virilis effecta est. Quapropter Constantinus,

Digitized by Google

nus, & Constantius formulas omnes judiciorum abrogarunt, imo Constantinus idem omnem interpretationis vim a Prudentum consiliis auferens, eam sibi dumtaxat servavit, quum interpretatio illa vim legis habens ei peculiaris sit, cui leges condere fas est. Itaque *in l.* 1. *C. de legibus* sic ait: *Inter æquitatem jusque interpositam interpretationis nobis solis & oportet, & licet inspicere*, & lucidius Justinianus eodem tit. l. 12. *explosis itaque his ridiculosis ambiguitatibus tam conditor quam interpres legum solus Imperator jure existimabitur nihil hac lege derogante veteris juris conditoribus, quia & hoc eis Majestas imperialis permisit.*

Vidimus hucusque quanta sub Augusto Prudentum fuerit auctoritas, ut res Imperii promoveretur. Reliquum modo est, ut aliqua de consiliariis Principis nostri enarremus. Augustum ad firmandam Monarchiam, eamque occultandam Senatu probante sibi consilium quoddam instituisse jam præfati sumus. *Sane quum omnis ratio, & institutio vitæ adjumenta hominum desideret* (a), maxime vero opus id est Principi etiam sapientissimo, *quum non possit is sua scientia cuncta complecti, nec unius mens tantæ molis capax esse possit* (b). Num unus is omnia absolvet, sapientissimeque reget, nisi in partem curarum alios adsumat? *Nonne magna negotia magnis adjutoribus egent* (c)? *Is profecto sapiens erit, qui sapientum commercio utitur* (d). Sed brevi nunc videndum, qui nam boni Consiliarii sint. Etenim parum prodest Principi Consiliarios adsidere, si & ii doctrina, morumque præstantia alios non antecedant. Boni igitur Consiliarii sunt, qui imprimis benemorati sunt, & Principi amici, sed ii amici sunt, qui & optimi. Sic enim Plinius ad Trajan. *Optimum quemque fidelissimum puto*, atque ii sunt Imperii præsidia, quemadmodum Sallustius scripsit. *Nam non exercitus neque thesauri præsidia Regum, verum Amici. Non aureum istud sceptrum est, quod regnum custodit, sed copia amicorum ea Regibus sceptrum veris-*

(a) *Tullius I. Offic.*
(b) *Tacit. III. Ann.*
(c) *Vellej. lib. II.*
(d) *Euripid.*

Digitized by Google

riſſimum tutiſſimumque (a). Sed inter bonos ii ſunt ſeligendi, *quibus corpus annis infirmum, ingenium ſapientia validum ſit* (b) *conſilia enim ſenum haſtas juvenum eſſe* Plutarch. dictabat. Immo inter ſenes ii præſtant, qui plurimum fortuna jactati ſint. Nam in ore Mithridatis frequens illud erat. *Mibi fortuna multis rebus ereptis uſum dedit bene ſuadendi* (c).

His præmiſſis videamus quæſo, quo pacto Princeps noſter in Conſiliariis ſibi ad res graviores pertractandas aſſumendis ſe geſſerit, quod ſane ex Mecænatis conſilio penes Dionem allato depromendum eſt, *Adhibere autem* (hic monuit) *unoquoque tempore ad ea judicia potes præſtantiſſimos quoſque patricii, Equeſtriſque ordinis viros, alioſque ex Conſularibus, & Prætoriis, alios alio tempore, ut tu prius moribus eorum hac ratione certius perſpectis recte uti eis poſſis: & illi conſuetudine habita tuorum morum, ac conſiliorum, ita demum in Provincias exeant. Hos in cauſſis gravioribus ſententias non aperte rogabis, ne neceſſariis ſuis faventes non libere quid ſentiant pronuntient: ſed in tabella eas ſcriptas ad te ſolum, ne cui alii innoteſcant perferri, ac deleri ſtatim lectas jube. Sic enim uniuſcujuſque ſententiam certiſſime cognoſces, ſi eam illi a nemine alio cognitum iri perſuaſum habeant. Præterea ad judicia, ad litteras, ad urbium decreta, ad privatorum hominum poſtulata, ad aliaque omnia, quæ adminiſtrationi imperii competunt adjutores, adminiſtroſque ex Equitibus quoſdam habebis: ſic & facilius ſingula peragentur, & neque tu per errorem falleris, neque ſolus omnia conficiens fatigaberis.* Ex quibus omnibus velim colligas, quanta utilitate hæc Mecænatis monita affluant. Singula igitur expendamus. Monet ante omnia ut Conſiliarios ſibi adſumat ex Patriciorum, Equitumque ordine: non igitur ex ſolis Patriciis, vel Equitibus, ſed ex utriſque, ut ſcilicet ejus amor in utrumque ordinem oſtenderetur, utque omnium pariter ſalus Imperii intereſſet, cujus regiminis partes omnes ſuſcepiſſent. Addit ex his Conſiliariis, qui diu in Principis conciſtorio verſati eſſent, Præſides

(a) *Senoph. lib.* 8.
(b) *Tullius Catill.*
(c) *Salluſ. in fragm.*

Digitized by Google

des in Provincias mittendos. Quod ſane utiliſſimum Principi erat, quum de eorum moribus ob longam conſuetudinem ſatis ei eſſet compertum, illique contra Principis morem, artemque in firmanda Monarchia belle callentes, omnia ad ejus vota feliciter expedirent. Sed quia Octavius non adeo Monarchiæ ſuæ firmandæ ſtudebat, ut cetera miſſa faceret, ſubdit Mecænas Conſiliariis ſuis liberam conſulendi poteſtatem faciendam, ut utilia ſimul, non tantum Principi gratioſa proponerent, *liberam* (ait) *tibi ex animi ſui ſententia conſilii omnibus poteſtatem facies propoſita ſecuritate, nam & ſi cujus tibi ſermo probabitur multum inde utilitatis ad te, & ſi non placebit, nihil incommodi redibit: quorum conſilium ſequendum exiſtimabis eos collauda, ac honora* (*nam illorum inventis gloriam tibi paries*) *quorum vero rejicies, nequam eos aut ignominia afficies, aut culpabis, quum ad eorumdem tibi voluntatem, non ſucceſſum ejus, ſit reſpiciendum.*

§. II.

De Sacris Cognitionibus.

JAm vidimus, quidnam Principis conſilium, ejuſque Conſiliarii fuerint, quo animo inſtituti eſſent, quo ex ordine aſſumpti, & qua vitæ conſuetudine præditi eſſent, ſatis ediſſeruimus, reliquum eſt, ut ea perſequamur, quæ hoc in conſilio peracta ſint. Dixi hoc conſilium ſollerter conſtitutum, ut per tranſverſos licet cuniculos Octavius Romani Senatus auctoritatem, quantum poſſet, minueret, Prætoriſque poteſtatem, quam in legibus condendis edictorum nomine exercebat, funditus everteret. Quapropter par eſt adfirmare in Principis conſilio ea peracta, quæ in Senatu agi mos erat, & lites controverſiaſque diremptas, quæ apud Prætores agitari ſolerent, nempe, ut ex hoc Principis conſilio deinceps juriſprudentia prodiret, quæ Monarchiæ conveniret. Sed quia de Principis cognitionibus in dirimendis controverſiis magis ſollicitus ſum, quibus fiebat, ut ſub decretorum nomine poteſtas leges ferendi exerceretur; hanc propterea,

Digitized by Google

quæ per rescriptorum, decretorum, constitutionum, dispensationumque involucra se exerebat, quantum potero, ex nova ipsa Reipublicæ forma patefaciam. Sane sæpius laudatus Mecænas Octavium monuit, ut ipse de omnibus controversiis, Magistratuumque judiciis, sive per Judicum relationes, sive ex partium appellationibus cognosceret: *Ipse autem seorsim de caussis, in quibus provocatione certatur judicium facies, quæ a majoribus Magistratibus, tutoribus, Præfecto Urbis, Subcensore, Præsidibus Provinciarum, annonæ Procuratore, & nocturnæ custodiæ Magistro ad te referuntur. Nemo enim ita merum imperium obtinere debet, ut non ab eo provocari possit.*

Ne vero videretur Octavius una spongia & Senatus auctoritatem, & Prætoris, aliorumque Magistratuum potestatem delere, rem satis apte exorditus est, ut ex Tranquillo discimus (a). *Appellationes quotannis Urbanorum quidem litigatorum Prætori delegavit Urbano: at Provincialium Consularibus viris, quos singulos cujusque Provinciæ negotiis præposuisset.* Sed quia inter judicia graviora, quædam sunt, quæ præstat a Principe potius, quam ab aliis expediri, hinc Mecænas idem apud Dionem subdit. *De his igitur caussis, & Equitum, centurionumque primariorum privatorumque cognosces, ubi de capite, aut ignominia erit controversia: nam hæc ad te solum debent referri, ac nemo ob eas quas dixi caussas, alius judicare de iis debet.*

Sed heic illa nobis objicitur inter politicos viros satis agitata controversia, quam more suo doctissime pertractat Bodinus *de Repub. lib. 4. cap. IV.*, an Principis Majestati Judicem agere, & cum subditis colloquia serere conveniat. Si quidem veteres audiamus, intelligemus profecto nihil principali Majestati congruere magis, quam de civium controversiis ferre judicium; bonus Princeps, Themistius ait, *Imperatoris nomen respuit, & Judicis amplectitur, quia illud potentiæ, hoc vero sapientiæ vocabulum est.* Hinc Homerus non aliter fere Græcorum Reges, quam Judices appellat, & apud Hebræos Imperatores gerendi belli caussa instituti Judices appellati sunt. Neque abest ratio ex ipsa Prin-

(a) *In Octav. cap. 33.*

Digitized by Google

Principatus natura. Quum enim Principis & ſubditi obligatio mutua ſit, non magis Principi parere ſubditi debent, quam Princeps ſubditis jus dicere. Quod ſi dixeris, per Magiſtratus id, jubente Principe, præſtari, non ne ſæpe vel avaritia abrepti, vel gratia allecti cuncta ii prævertunt? Quod ſane minime in Principe cenſendum. Sed quum in ore omnium illud protritum ſit, Principem præmia per ſe conferre, pœnas vero per alios infligere debere, ratio ſinit, ut indulgendum id ſit Principibus, ſi judicia per Magiſtratus a ſe creatos ferant. Quid igitur? cum ipſo Bodino quadam adhibita diſtinctione dicemus. *Neque mirum videri debet cuiquam cur judicandi munus antiquorum Regum proprium, nunc vero Magiſtratuum ſit: quia quum nullis adhuc legibus Populi uterentur, ſed Regia manus, ac voluntas pro lege haberetur, neceſſe erat cauſſas Civium a Principibus judicari: promulgatis vero judiciorum publicorum ac privatorum legibus, & quæ quibus peccatis ſupplicia, quæ merentibus præmia dari oporteret, neceſſitas illa ſublata eſt, & a Principibus ad Judices delata.*

His jam rei, qua de agimus, præmiſſis rem ipſam modo aggrediamur. Princeps igitur aſſidentibus juris peritis controverſias dirimebat, tum eas, quæ immediate ejus cognitioni ſubjiciebantur, tum quæ per relationes Judicum, aut litigatorum appellationes ad ejus Tribunal deferebantur. Sed de omnibus, quæ cognoſcebat, non eadem ratione jus reddebat. Nam quædam in Auditorio per decretum, alia in Tribunali per cognitionem, & ſententiam expediebat. Quædam ad juris præſcripti rationem, alia vero ad regulam boni & æqui tranſigebat. Quæ omnia quum ad quamplurium legum intelligentiam faciant, par æquumque arbitror aliquantiſper in iis immorari. Principis conciſtorium & Tribunal & Auditorium complectebatur. Sed in Tribunali ea exercebantur negotia, quæ utraque parte præſente ex ordinario jure abſolvebantur: Contra vero in Auditorio, ubi de plano, & ſine partium contentione, ſecundum regulam boni & æqui res decidebantur. Hic igitur omnia per decreta, illic vero per cognitionem, & ſententiam expediebantur. Quo ſane diſcrimine poſito lucem accipit illud Paulli in *l.1.C.de offic.*

Digitized by Google

Adſeſſorum. *Omne officium adſeſſorum in his fere cauſſis conſtat: in cognitionibus, poſtulationibus, Libelliis, Edictis, Decretis, Epiſtolis*, ubi ut vides *decreta a cognitionibus diverſa referuntur*. Ita cognitio illa erat, quæ pro Tribunali ſollemniter fiebat, juris ordine ſervato, atque judiciorum formulis adhibitis, de qua Tranquillus in Claudio. *In ultima* (inquit) *cognitione pro Tribunali acceſſiſſe ſe ad finem mortalitatis ſemel atque iterum pronunciavit, quaſi ore proprio, & ſe ipſo judice morti addixerit*. Contra Ulpianus in *l. mulier* 22. *ad Trebellian.* ſpeciem quamdam fideicommiſſi affert, *deque ea in Auditorio D. Marcum judicaſſe Scævola refert*. Nonne fideicommiſſa ideo in Auditorio adfirmare poteris peracta, quia in iis non jus ordinarium, ſed æquitas, & judicantis arbitrium primas obtinent? Hinc relationes Judicum, *ſuggeſtiones*, & *conſultationes*, quæ oblato negotio expendebantur, abſentibus litigatoribus, & nemine cauſſam perorante in Auditorio peractæ dicuntur *l.* 11. *C. de legibus*. Contra vero cauſſæ capitis, & ſtatus, quippe quæ graviores, in Tribunali per cognitionem, & ſententiam peractæ dicuntur. Hinc Plinius Trajano reſcripſit; *Cognitionibus de Chriſtianis interfui numquam ideo neſcio quid & quatenus, aut puniri ſoleant, aut quæri*. Et quia de ſupplicio Chriſtianorum ſermo incidit, nolim hic mittere, hoc judiciorum diſcrimen ex Martyrum actis planius probari. Principes Pagani iſthæc judicia graviora eſſe rati ſunt, quapropter per ſe ſervatis ſollemnibus ea in Tribunali per ſententias, & cognitiones exercebant. In illis videre eſt interrogationes factas ab Imperatore, quæ profecto aliud nihil, quam defenſiones reis oblatæ, ut ipſimet ſuas cauſſas agerent, quum Patronorum auxilio deſtituerentur.

Ex his velim intelligas, ſicuti ratio controverſias expediendi diverſa fuit, ita etiam diverſas fuiſſe formulas judiciorum, nam ſi præter ſollemnia juris, & pro bono & æquo judicatum eſſet, hac utebantur dictione. *Placuit Imperatori*, ſecus vero *Pronunciandi* vocabulum in more erat. Ita in *l. maritus D. de quæſtionibus*, ubi dirempta quæſtio eſt ſecundum ordinarium jus, ut uni teſti fides non præberetur, dicitur ſic *Pronuntiavit Imperator quæſtione illicite habita unius teſtimonio*

non

Digitized by Google

non esse credendum, ideoque recte provocatum, sed in omnibus ultimarum voluntatum controversiis dictionem *placuit* cernere est, nam in istiusmodi judiciis semper ex bono, & æquo sententia ferebatur. *Ex æquo & bono testamentorum controversias judicatas* (a). Porro ut fides atque memoria servaretur de his omnibus, quæ in Principis consistorio agebantur, commentaria fieri mos erat. Et hæc sunt *Acta*, quorum in Codice Justinianæo aliquando mentio fit, ut in *l.* 2. *de excusation. & Maximiliani A. A. C. C. inductis Firmino, & Apollinario, & ceteris Principalibus Antiochensium adstantibus Sabinus dixit &c. Diocletianus dixit. Certis dignitatibus data a nobis est indulgentia munerum civilium & personalium, idest his, qui aut ex Protectoribus sunt, aut ex Præpositis. Hi ergo ad munera personalia, aut civilia non vocabuntur.*

Quæ huc usque edifferuimus, consuetudines & formulas fori Romani respiciunt sub Principibus. Videamus nunc, quantum ad orientem Monarchiam firmandam profuerit Augusto judicia in civilibus controversiis exercere, quem morem & insequentes Principes tenuerunt. Pene dixerim unicum Monarchiæ fulcrum hoc fuisse, ut Principes de negotiis civium sententias ferrent, etenim sub decretorum, Constitutionum, rescriptorum, beneficiorumque nomine antiquum omne jus subvertebant, illudque in medium adferebant, quod præsenti Reipublicæ formæ aptaretur. Et quidem haud libertati videbatur Octavius adversari, si Jurisperitis, Prudentibusque sibi adsidentibus de negotiis civium sententiam ferret. Nonne enim Prætor, Ædilis, aliique Reipublicæ Magistratus, vel per se, vel per alios data judicii formula judicabant? Si vero hic stetisset Octavius, nihil quidem novi effecisset. Sed in hoc antiquam libertatem evertebat, quia sub interpretationis fuco jus novum condebat, & in speciem transactæ litis per sua decreta leges universales in similibus cautis ferebat. Arcanum hoc mire Justinianus *in l. ultima de legibus* prodit. *Si Imperialis Majestas* (inquit) *causam cognitionaliter examinaverit, & partibus cominus constitutis sententiam dixerit omnes omnino Ju-*

(a) *Tullius in Bruto.*

Digitized by Google

Judices, qui ſub noſtro Imperio ſunt, ſciant hanc eſſe legem non ſolum illi cauſſæ pro qua producta eſt, ſed & omnibus ſimilibus. Quid enim eſt majus. Quid ſanctius Imperiali eſt Majeſtate? Vel quis tanto ſuperbiæ faſtidio tumidus eſt ut regalem ſenſum contendat? Quum & veteris juris, conditores Conſtitutiones, quæ ex Imperiali decreto proceſſerunt legis vim obtinere aperte, dilucideque definiant. Ex quo enucleate intelligis datum Principis decretis, ut per iſthæc judicia & in ſimilibus cauſſis jus conſtituerent. Ex quo ſane factum, ut in dies proheveretur, quod Principi magis arrideret.

Ceterum quum per hanc conſuetudinem ad immenſum excreviſſent decreta Principum jus conſtituentia, nec in ſolis rebus judicatis, ſed & in ceteris ſimilibus, adeo jus effuſum ſparſumque eſt, ut Theodoſius, quum certam juris formam conſtituere vellet, ſtatuerit tandem, ne deinceps decreta Principum in aliis rebus præterquam judicatis jus facerent, metuens nimirum, ne ingenti eorum numero denuo jus vagum, incertumque evaderet. Jam vero penitius intelligimus, cur is in *l. 2. C. de legibus* præſcripſerit. *Quæ ex relationibus, vel ſuggeſtionibus judicantium, vel conſultatione in commune florentiſſimorum Sacri noſtri Palatii Procerum Auditorium introducto negotio ſtatuimus, vel quibuslibet corporibus, aut legatis, aut Provinciæ vel Civitati, vel Curiæ donavimus; nec generalia jura ſint, ſed leges faciant iis dumtaxat negotiis, atque perſonis pro quibus fuerint promulgata;* Neque ſolum Principis decretum legis jus nanciſcebatur, ſed ſi juriſperiti inter ſe forte diſſidebant, id profecto auctoritatis vim habebat, quod Princeps ſtatueret; hac ſcilicet conficta ratione magis bonum, æquumve eſſe, quod Principi arrideret. Inſigne exemplum proſtat in *l. Æmilius Largianus D. de minoribus*, ubi Paullus contra ſuam ſententiam refert Antoninum Imper. pro pupilla pronunciaſſe in quæſtione, reſtituenda ne eſſet in integrum, nec ne, illiuſque ſententiam ceteris ſecum ſentientibus prælatam. Hinc intelligas, quantum ſtudii adhibuerint Prudentes, ut per technas ſuas, & ſimulationes, ne videretur antiqua libertas everti, Principum decreta vim legis adferrent.

§. III.

Digitized by Google

§. III.

De Conſtitutionibus, Reſcriptis, deque beneficiis, atque diſpenſationibus Principum.

NOn ſolum autem in conſilio ſuo præſentibus per decreta Octavianus ſuum unicuique jus reddebat, ſed & abſentibus, nempe per Conſtitutiones, & reſcripta judicibus ſe conſulentibus reſpondebat, vel litigantibus interjecta appellatione de Magiſtratuum ſententiis, jus dicebat. Hinc poſteaquam de Principum decretis ſuper negotiis præſentium latis ediſſerui, de eorumdem Conſtitutionibus, Reſcriptis, beneficiis, aliiſque diſpenſationibus agendum eſt. Et ſi in decretis faciendis id maxime ſtuduit Octavius, ut jus novum conderet, eamdem operam per Conſtitutiones ſuas, & Reſcripta navaſſe oſtendam, ut non minus Urbs, quam Provinciæ novo Regimini accommodarentur. Itaque licet conſtitutio in univerſum omnia cujuſque placita denotet, in jure tamen noſtro Principum Conſtitutiones pro legibus eorumdem univerſalibus uſurpantur; potuiſſent ſane planius leges appellari, ſed ad avertendam invidiam, conſultius in recenti Monarchia legum ferendarum poteſtatem nominibus non inviſis occultari exiſtimatum eſt, quum & ſub libera Republica receptiores Juriſconſultorum ſententiæ Conſtitutiones appellarentur. Principum igitur Conſtitutiones leges ſunt, unde titulus in *Cod. de Principum Conſtitutionibus*, quæ honoris cauſſa ſæpiſſime vocantur *leges Sacræ*, *Sacratiſſimæ*, *Divales Sanctiones*, *leges venerabiles*, *oracula ſalubria*, *leges perpetuæ*, *æternæ*, *publica jura*, *apices ſacri*. Verum has Principum leges non ſubdolis tantum nominibus ad offenſionem vitandam, ſed & aliis fictionibus obtegi mos fuit; tum enim Principis oratio de eo jure, quod per novam Conſtitutionem condere vellet, in Senatu præcedebat, tum deinde una cum ipſo Senatuſconſulto id in publicum prodibat, ut hac confecta ratione, nova illa lex Senatus potius auctoritate, quam Principis poteſtate ferri videretur. Sed præter hæc aliis, atque aliis eodem conſilio exquiſitis uſi ſunt *vocabulis*. Leges aliquando edictales

Digitized by Google

les vocitarunt, quemadmodum in libera Republica præter invidiam edicta erant Magistratuum : sæpe Epistolas Generales, ut in *l. 4. D. de fugitivis*, cujus epigraphe est *generalis Epistola* Div. *Fratrum*. Non raro *Principum orationes*, *Pragmaticæ Sanctiones* dicebantur, quibus aliisque nominibus modestiam quamdam, honoremque Senatus præferre callide studebant. Ut autem ad omnium notitiam pervenirent, omnesque iis tenerentur, ad Præfectum Prætorio, Præfectum Urbi & Magistros militum istiusmodi Constitutiones dirigebantur, quas deinde in frequentioribus Civium conventibus evulgare per Edictum debebant.

Quum igitur Constitutiones novum revera jus conderent, nihil mirum, si in *tit. institution. de jure naturali gentium, & civili* legatur, *quodcumque Imperator per Epistolam constituit, vel cognoscens decrevit, vel edicto præcepit legem esse constat*, quumque, ut diximus, juri veteri derogarent hinc receptum ut potiores ipso jure essent Constitutiones, utque juris nomine jus vetus intelligeretur. Quod si per Constitutiones quid antiquum confirmaretur, rem non tantum jure, sed & Constitutionibus ita sese habere dictare mos erat. Vide legem *falsa demonstratio* 33. *D. de conditionibus*, ubi habetur. *Hoc ita juris Civibus ratione & Constitutionibus Div. Veri, & Antonini cautum est*. Quum autem novum jus Constitutiones essent, novumque jus veteres leges abroget, hinc verba illa intelligimus *Constitutiones, quæ jus vetus emendant, stricte esse accipiendas, Constitutiones novas strictius esse servandas*. Nam per eas illam veteris juris partem existimandum est voluisse Principes abrogare, quam expressis verbis significassent. Hæc de Constitutionibus; veniamus ad Rescripta, quæ maximam juris novissimi partem efficiunt.

Erant rescripta responsiones, quas Principes vel ad libellos supplicantium, vel ad relationem Magistratuum dabant. Sæpe autem libellos hujusmodi mittebant Principes ad Judices, ut ipsi sane inquirerent, *an preces veritate niterentur*; sed consuetudo hæc, ut Princeps per libellum responderet, ab Octaviano refertur accepta, is enim ut Tranquillus scri-

ſcripſit (a) *ne plus minuſque loqueretur ex tempore inſtituit, ut per libellum Princeps ſupplicantium precibus reſponderet*, quod deinceps inſequentes Principes retinuerunt, unde *tit.* proſtat *in Cod. de precibus Imperatori afferendis, & de quibus rebus ſupplicare liceat.* Porro autem in ambiguis, ac difficilioribus cauſſis ſolemne etiam fuit Magiſtratibus per relationes Principem conſulere, quæ ſæpius in jure *conſultationes* appellantur, ſic Plinius ad Trajan. (b). *Salva Majeſtate, Domine deſcendas oportet ad meas curas, quum jus mihi dederis referendi ad te.* Hinc *tit. Cod. de relationibus, & appellationibus, & conſultationibus.* Verum Principes libellis ſupplicantium, vel Magiſtratuum relationibus reſpondentes juriſperitorum conſilio uti ſolebant, ita enim dabant intelligere, ſe ſe non jus novum, ſed, quod melius, æquiuſque Prudentibus videretur, ſtatuere. Hinc Divi Fratres reſcribentes in *l. 17. de jure patronatus*, hæc præfantur . . . *Sed quum & ipſo Mæviano, & aliis amicis noſtris juriſperitis adhibitis plenius tractaremus, magis viſum eſt.*

Sed abſonum hic non eſt videre, quam viam initio Auguſtus, aliique poſt eum inierint, ut reſcripta vim legis nanciſcerentur. Sunt reſcripta vel generalia, vel ſpecialia, illa jus generale conſtituebant, eademque profecto ratione, qua Conſtitutiones, ac decreta Principis legis vim obtinuerunt; ſpecialia vero, quæ ad certum locum, aut Provinciam, vel ad certum aliquem Magiſtratum, aut Judicem in ſingularibus negotiis ex privatorum precibus prodibant, per quam ſpecialia negotia abſolvunt. Hinc nullam ob cauſſam fieri videbatur, ut ſpecialia reſcripta vim legis haberent, quippe quæ legum ipſarum rationi opponebantur, per quam ea lex haberi debet, quæ ad omnes fertur. Sed ex adverſo intererat Principis, ut per reſcripta non minus in Urbe, quam in Provinciis poteſtatem legis ferendæ exerceret, illudque jus conderet fucato reſcriptorum nomine, quod rebus ſuis conveniret. Quamobrem ſic res componebatur, ut quod

(a) *Cap. 48. in Octav.*
(b) *Lib. X. cap. 40.*

Digitized by Google

uni reſcribebatur, ſimili ſe præbente ſpecie, idem ſemper reſponderetur. Hinc in *tit. inſtitution. de fideicommiſſariis hereditat.* legimus *Div. Auguſt. ſemel iterumque gratia perſonarum motus*. Quamobrem Judices ſecundum reſcripta ſæpe repetita, ac nunquam variantia judicantes, jus illud conſuetudinarium in forum invehebant, quod legibus ipſis ſcriptis firmius putabatur. Studebant autem, ut reſcripta ſaltem per confictas interpretationes, & in externam ſpeciem cum legibus convenirent; ut obſequium iis non ſecus, ac legibus ipſis haberetur. In iiſdem laudabant ſæpe Principes prudentum reſponſa, ut cum ii maximæ auctoritatis penes Romanos eſſent, horum benevolentiam hac arte captarent. In reſcribendo hanc paſſim uſurpabant formulam, *ex æquo, & bono ita ſibi videri*, ut per æquitatis ſimulationem reſcripta hæc magni apud omnes fierent; qua potiſſimum æquitatis cauſſa a jure conſuetudinario diſcedere piaculum cenſebatur. Itaque ſi vetuſta quædam lex objiceretur, Prudentes reſpondebant. *Sed hoc jure utimur*, nempe conſuetudinario illo, quod æquitatis ratione receptum per reſcripta Principes invexerant.

Verum hiſce rationibus ad vetuſto juri derogandum comparatis addenda ſunt beneficia Principum, ſive diſpenſationes, quæ non minori ad venerandam antiquitatem evertendam vi pollebant. Sunt autem beneficia Principum, ſive liberalitates in duplici differentia, alia enim generalia, alia ſpecialia, hæc pro certis quidem perſonis, illa vero univerſis conferebantur, quæ potius beneficia legis dicuntur ex novo jure, hoc eſt ex Principum invecta Conſtitutionibus, ut beneficium reſtitutionis in integrum, *inventarii*, *repræſentationis*, *diviſionis ex Epiſtola D. Hadriani inter fidejuſſores*, *aliaque hujuſmodi*; Specialia igitur, ut dixi, certis perſonis, & Collegiis, ſive corporibus dabantur; ut ita de jure communi recederent, de quibus exempla proſtrant in *l. 4. Cod. ad S. Tertull.* His præmiſſis operæ pretium duco facturum, ſi paullo altius rationes depromam, quibus per has diſpenſationes jus vetus peſſum iret, quod ſane difficile veſtigatu haud eſt. Conſtituto Principatu, id par erat, ut is ſolutus legibus eſſet, hoc eſt juſta exiſtente ratione poſſet legibus derogare. Sed in orienti

Mo-

Digitized by Google

Monarchia periculoſæ id aleæ plenum erat, maxime vero in Romana Republica, ubi juris veteris obſervantia maximo in obſequio putabatur, & inviſa nimium quantum legum ferendarum poteſtas. Hinc Principes legum veterum molem diruere clanculum more ſuo cupientes, appoſitiſſimam diſpenſationis rationem excogitarunt; ſiquidem per hanc, jus vetus minime quamquam tolleretur, legis tamen vinculo modo hic, modo ille ſolvebatur. Sic quum muto puberi ſubſtituere non liceret, a Principe id impetratum, ut tradit Paullus in *l. ex facto de vulgari*. En conceſſione Imperiali liberam teſtamenti factionem, cui per leges non licebat, aliquando datam legimus in *l.* 35. *C. de inoffic. teſtam.* Princeps ſæpe minori veniam ætatis dabat, ut cura ſolutus res ſuas agere poſſet. Item quæ coram univerſo Populo in comitiis fieri ſolebant, ſi coram Principe fierent, legitima quidem putabantur, ut in adoptionibus, atque arrogationibus compertum omnibus eſt, ut quidem quum a Patriciis ſexcentæ inventæ eſſent ſollemnitates, ut actus legitimi eſſent, innumeræque formulæ, quod fulcrum eorum dominationis erat, quibus ſuum quiſque experiretur; Princeps ad omnia hæc uno ictu evertenda induxit, ut quæ coram ſe fierent, valerent non ſecus, ac ſi adhibitis ſollemnitatibus omnibus coram Magiſtratu facta eſſent. Hinc conſuetudo illa, qua ſi quid coram Principe minus ſollemniter fieret, haud aliter, ac ſi ſollemniter in jure coram Prætore peractum foret, haberetur. Ex quibus omnibus comperta eſt ratio, qua Principes in recenti Monarchia effecerint, ut jus vetus abrogarent, novumque per ſubdolas ſimulationes, arcanorumque involucra inducerent.

§. IV. ET ULTIMUS.

De Legibus Juliis Judiciorum.

VIdimus hucuſque novam conſuetudinem fori Romani per Julium, atque Octavianum invectam, patefecimus item technas, quibus ad jus vetus evertendum novumque inducendum, ut legum ferendarum poteſtatem hac arte obtegerent,

Digitized by Google

uſi ſunt. Quoniam vero nullum eſt forum, quod judiciorum formulas non habeat; hinc prætermittendæ haud ſunt leges Juliæ, quæ certam in foro agendi rationem, atque formam reſpiciunt. Sane accepimus ex Gellio (a) Julium quaſdam judiciorum leges tuliſſe, quas & Auguſtum retinuiſſe ſuſpicari licet, quum eadem amborum imperandi ratio fuerit. Ait igitur is. *Atque in dierum quidem diffiſionibus, comperendinationibus, & aliis quibuſdam legitimis in rebus ex ipſa lege Julia, & ex Sabini Maſſurii, & ex quorundam aliorum juriſperitorum commentariis commoniti, & adminiculati ſumus.* Primum autem caput legis hujus eſt, ne minor viginti annorum ad judicandum adlegeretur. Sane quum judicandi facultas prudentiam maximam deſideret, qua carere cenſetur, qui vi maturioris conſilii haud pollet, uti ſunt minores, merito ſanctum ne viginti annis minor Judex legeretur. Neque Princeps hic hujus ſaluberrimi inſtituti primus auctor putandus, nam ut docet Sigonius *lib. 2. de judiciis cap. 6.* triginta quinque annos natus eſſe debebat, qui Judicis munere fungeretur. At enim Tranquillus in Octav. *cap.* 32. tradidit: *Judices a trigeſimo ætatis anno allegit, ideſt quinquennio maturius, quam ſolebant.* Ex quibus in mendo cubare lex noſtra videtur, quæ annos viginti præſcribit, ſed Binkershoek *obſervation. juris lib. VI. cap.* 17. docet, quod ſedulo advertendum, non legem noſtram, bene vero Tranquilli locum mendoſum eſſe.

Fundus ejus opinionis eſt Calliſtratus, qui in *l.* 41. *de receptis, qui arbitrium* ſcripſit, *quum lege Julia cautum ſit, ne minor viginti annis judicare cogatur. Nemini licere minorem viginti annis compromiſſarium Judicem eligere.* Ex quibus verbis duo velim notes, & legis Juliæ caput fuiſſe, ne minor viginti annis judicare cogeretur, & juriſperitos Principis ſanctionem ſtatim ad ſimilia protuliſſe, nempe ad arbitria, ut undequaque novum jus radices ageret. Neque hic omittendus eſt inſignis Ulpiani locus *in l.* 57. *D. de re judicata*, ubi hæc ait: *Certe ſi Magiſtratum minor gerit, dicendum eſt juriſdictionem ejus non improbari. Et ſi forte ex conſenſu judex minor da-*

(a) *Lib. XIV. cap.* 2.

Digitized by Google

datus sit, scientibus his, qui in eum consentiebant rectissime dicitur valere sententiam. Proinde si minor Prætor, si Consul jus dixerit, sententiamve protulerit, valebit. Princeps enim, qui ei Magistratum dedit omnia gerere decrevit. Quod ut intelligatur, advertendum est leges judiciarias, quum in Populi manu, penes quem judicia versabantur, essent, Populum iisdem sollemnibus solvere potuisse, quemadmodum Scipio apud Livium ait (*a*): *Si me omnes Quirites Ædilem facere volunt satis annorum habeo.* Sed quum potestas legum, & judiciorum Principi deinde facta esset, ad eum profecto legibus annalibus, quæ munera spectant, & judicia, solvere pertinebat.

Alterum caput legis nostræ est, quo prohibetur Judex rei, de qua Judex est, arbitrium recipere, inve se compromitti jubere, ut in *tit. de receptis, qui arbitr. j.* Sed hoc publicam utilitatem videtur offendere. Nonne boni judicis munus est, aut esse debet, ut lites, controversiasque quanto potest celerius expediat? Quum igitur lites citius per compromissum, & arbitrium, quam per judicium finiantur, quæ caussa est, quapropter Judici hic prohibetur, quominus arbiter rei in jus jam deductæ fiat? Contra vero utilitate maxima lex nostra non caret; nam quum nullus judex a munere ferendæ sententiæ se se possit eximere, ratio finit ne arbiter ipse fiat, quum enim per arbitrium sententiam animi sui patefecerit, num credas eumdem, si forte res ex arbitrio in jus producatur, secus pronunciaturum? Hæc est prohibitionis hujus ratio, & quidem ad rem appositissima.

Tertium demum caput est de prorogata jurisdictione, illius nempe, qui jurisdictionem habet, licet respectu litigatorum sit incompetens, seu non proprius judex. Porro integra verba legis hujus non habemus, hæc tantum supersunt, *quominus inter privatos conveniat*; quæ sic explicat Ulpianus in *l. 1. D. de judiciis. Si se subjiciant alicui jurisdictioni, & consentiant inter consentientes, cujusvis judicis, qui Tribunali præest, vel aliam jurisdictionem habet est jurisdictio.* Hæc jurisdictionis species per consensum litigantium *prorogata appellatur*. Sed, ut pulchre mo-

(a) *Lib. 25. cap. 2.*

monet doctiſſimus Nood *de juriſdictione, & imperio*, minus recte dicitur prorogata, quum prorogatio de tempore ad tempus affirmetur, non vero de perſona ad perſonam, nam potius proferri, propagari, quam prorogari juriſdictionem dicendum eſſet. Sed quid quid ſit, rem potius ipſam expendamus. Privatos homines juriſdictionem dare nemo umquam adfirmavit; quum autem juriſdictionem prorogare idem ſit, atque eamdem in aliquem conferre, qui quod ad ſe ſaltem judex incompetens ſit, cur tantum datum privatis, ut juriſdictionem poſſent prorogare, quum imperium, & juriſdictio a ſuprema tantum poteſtate pendeant, eaque intra præſcriptos fines exerceri debeant? Dicam tamen, quod & egregio Nood viſum, nempe publicæ utilitatis cauſſa, hoc eſt odio litium id factum, ut celerius tranſigerentur, & finitæ minime denuo ſuſcitarentur. Sed quum Octavius id maxime curaret, ut veſtigia omnia priſcæ libertatis, quantum poſſet, deleret, qui tandem inductus eſt, ut privatorum arbitrio juriſdictionem prorogandam daret? Id tantum adfirmaverim, quum Octavius tot, ac tanta circa Magiſtratus, & judicia immutaſſet, ut rebus conſuleret ſuis; facillimum factu futurum, ut in tam magna rerum varietate judex ſæpe incompetens inveniretur: ne igitur lites ex litibus exſuſcitarentur, ſanxiſſe, ut ſive per expreſſam, ſive per tacitam conventionem privatorum voluntate juriſdictio prorogaretur.

Quæ hactenus edifferuimus, ad rerum privatarum judicia ſpectant, quum deprompta ſint a Ulpiano ex edicto, in quo ſancita fuerant, quæ ad jus privatum, non autem ad publicam vindictam pertinebant. Videamus modo quam breviſſime, quid ſtatutum fuerit in publicis judiciis. Sanxit primo ne quis uno, eodemque tempore de duobus reis quæreret, niſi ſuam injuriam perſequeretur, deinde ut locum, ubi crimen admiſſum, perſonam, quæ patraſſet, Conſules, & menſem deſignaret, cujus profecto formula extat in *l. quamvis de judiciis*. *Apud illum Prætorem, vel Proconſulem, Lucius profeſſus eſt ſe Mæviam lege Julia de adulteriis ream deferre, quod dicat eam, cum Cajo Sejo in Civitate illa, domo illius, menſe illo Conſulibus illis adulterium comiſiſſe*. Et jam tandem volumen hoc abſolvimus, quod, humaniſſime lector, ſe-



du-

Digitized by Google

dulo perlegendo, pernoſces quidem, an fidem obligatam liberaverim. Siquidem leges ex forma ipſa civilis regiminis deprompſimus, quemadmodum inſtituti mei ratio poſcebat; & ſpero quidem rem aſſequutum. Rivulos conſectatus minime ſum, ſed omnia a fontibus potius haurire adniſus; nempe ab Auctoribus, quorum ex monumentis Imperii arcana certo certius patere poſſent. Hanc potiſſimum Auguſtalem Juriſprudentiam ex Tullio, Tranquillo, Tacito, maxime vero ex Politicorum facile Principe Dione, nempe Caſſio, aliiſque comparare ſtudui. Quod ſi opinio me aliquando fefellerit, & abſonum quid, ineptum, aut abſurdum in hoc argumentum novum omnino (abſit invidia), atque hactenus intactum irrepſerit, bona quæſo verba. Si vero me voti compotem factum cenſueris, mecum conjures precor, fruſtra facultates omnes, potiſſimum vero jus civile appeti, ni omnia a fontibus ſuis repetantur. Vale, & laboribus meis forte non pœnitendis fruere. Iiſque tamquam facibus prælucentibus ad meliora utere. Nam ipſe fori ambagibus implicatus, negotiiſque in dies magis, magiſque creſcentibus diſtentus, maxime vero valetudine in ætate quamvis juvenili labente opellam hanc, qualis qualis exiſtimabitur, ad umbilicum perduxiſſe, haud parum habebo.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google